D. O. M. A.

EPISTOLARUM CHYMICARUM

ANDREAE LIBAVII
M. D.

Liber Tertius,

AD

Præstantes quosdam Germaniæ Philosophos & Medicos,

DE

Variis artis Chymicæ magisteriis,

IN USUM ET OBLECTAMENTUM eorum, qui de naturæ & artis arcanis, rationibusq; disserere & cognoscere aliquanto exactius cupiunt, conscriptus editusq;

1 5 9 9.

Cum Priuil. Cæs. Maiest. speciali ad decennium.

FRANCOFURTI,

In officina Typographica Ioannis Lechleri, impensis Petri Kopffij.

AMPLISSIMAE DIGNITATIS, ET PRVDENTIAE VIRIS, D. CONSVLIBVS ET SENATORIBus praeclarae ciuitatis Imperialis & Reipubl. WINSHEMIAE, amicis suis officiose colendis.

ANDREAS LIBAVIVS M. D. P. ET Physicus Rotemburgi ad Tubarum. S.

MAGNAE olim existimationis fuisse, Viri prudentissimi, & Cõsules, Senatoresque amplissimi, pręclaro & illustri loco, patriaque exortum esse nobili, aut etiam ius ciuitatis talis meritis, uore, pecunia aliisve sibi comparasse modis, non tantum D. Pauli acta testantur, sed & politicorum historiae, tituliquc ex patria & ciuitate splendidi ad plenum id confirmant. Quanti erat ciuem Romanum audire? Quanti Atheniensem, aut Spartanum? Hodie quoq; ea re non parum est Supercilii, & fiduciae. Ad hoc totum non foret tanti, nec adeo ad

† 2 soli-

ſolidam gloriam proficuum, niſi pri[illegible]
auctoritaté conciliaſſent virtute & in[illegible]
gentib. ciues præclari. Vix cuiquam nunc eſt
ſtro ſeculo Athenis natú aut Cóſtantinopo
li, aut Solymis, aut Memphiſe prodiiſſe, quæ
licet olim hæ Respubl. floruerint, nunc
nihil habeant præter barbariam [illegible]
lem. Satius eſt patriam dicere Norimb
gam, aut Auguſtam, aut Rotemburgum,
etiam veſtrum illud winshemium aut alia
Germanorum præclara loca, quod cer
tum ſit ea non muris tantum iunctisque do
miciliis formam vrbis exhibere, ſed virorum
præſtantium, quorum fama patriis non co
tenta terminis imperij exceſſit amplitud
nem, frequentia iam multis temporibus
guiſſe, & adhuc Dei beneficio in flore e
reque docere ipſa non focos, & limina, ſ
culturam ab ingenio & virtute profecta
veri ſplendoris fundamenta poſſidere. No
tam laudata fuit ROMA ſeptem collibu
no muro incluſis, quam conditore RO
LO, & conſeruatoribus ampliatoribusq
Imperii SCIPIONE, METELLO, FAB
CAMILLO POMPEIO, CAIO CÆS
RE, AVGVSTO iuxta ac CICERON
SVLPITIO, ENNIO, VIRGILIO, HO
RATIO & cæteris. Parum eſt in muris
tectis ad famam illuſtrem præſidii, ni ci
habeant gloria ingenii & rerum geſtarum e
cellentia ſublimes. Celebria quondam
ra-

ant, & munitiſſima emporia Tyrus, Co-
ıthus, Sidon, Carthago. Sed harum famam
nge poſt ſe reliquit nullis firmata mœnibus
arta; multum autem antecelluerũt, ferme-
ıc etiam obſcurarunt Athenæ ſolæ. Qua
ıæſo re alia quam rerum geſtarum, & inge-
i magnitudine? Quantum eſt quod ille ſu-
rbiſſimus Tyri princeps conferre loco ſuo
ıtuit præ eloquentia vnius Demoſthenis,
l prudentia virtuteque Themiſtoclis? Æ-
yptum olim, Chaldæam & Babyloniam ma-
io numero peregrinæ adibant gentes, non
. regionum amœnitate, quanquam hæc
ı fuit nulla, ſed fama ſcientiæ abſtruſæ ex-
tit.. Habent loca, quibus diuinæ prouiden-
munere gloriari poſſint adminicula na-
: ſed verior, conſtantior, ſublimiorque
per dignitas ab incolarum virtute & cõ-
ndatione dimanauit. Ita veſtram Rempu-
icam, Dei optimi maximi beneficentia præ-
re exornatam reddunt & commendant
ulta, ſed inter ea nullum eſt pietate, erudi-
ıne & prudentia ſuperius. Ortelii illi veſtri,
heodorici & reliqui ſapientes an non in-
io effecerunt, vt latior territorii finibus
ſhemii fama etiam exteros in admira-
nem traxerit? Ea res animos conſiliaque
nor, excitauit veſtra, vt poſt laudabiliter
tuta, adminiſtrataque ſacræ literaturæ
ercitia, etiam viros eruditionis profectu
gues intra mœnia receperitis, nec tantum

ipsi studeatis omni virtutis laude excelle
sed & aliorum similium consuetudine & c
sortio iucundo frui. Macti este viri amplissi
tali virtute, & hoc ciuitatis vestræ ornamé
tum, quàm diutissimè non tantum sartum t
ctumque diuinitus adiuti conseruare, veru
etiam subinde prouehere in maius, & auctiu
reddere contendite. Boni ad bonos, ait apu
Platonem Socrates, accedere solent etiam in
vocati. Ego si non fui hactenus ad amussi
talis, studui certè in malis non esse, sed bo
rum commercio melior euadere. Itaque tum
aliis modis solitus sum earum captare b
uolentiam, tum lucubrationum mear
quantum diuina gratia contulit, nuncupati
ne. Quid ni ergo vos quoque, viri præclari
eo numero habeam? Bene itaque de v
sentientis, & vestra studia amantis acci
pignus hoc, librum nempe Epistolarū C
micarum mediocri diligentia à me congest
rum, quanquam labore non exili, tertium
quem nomini vestro laudato consecro, offe
roque omnino persuasum habens eum fide
lem fore meæ erga vos affectionis honorific
testem. Admonuit me locorum vicinitas, &
hospitiorum cæterorumque communio &
mutua quam inter se colunt nostri vestriqu
oppidi ciues beneuolentia inter illa vestr
studia præclarosque conatus vestrum nome
non esse prætereundum. Si quid peccatum
me est, amoris id sanè & officii est, quod spero
apud

apud vos facilè omnem culpam diluturum. Accipite itaque libellum obuiis vlnis & animo hilari, nec pœniteat vos inter eas esse ciuitates, quas suis commentariis dignas iudicant eruditi. Valete & mea studia vobis commendata habete. Calendis Septembris.
Anni salutis 1598. Rotemburgi
ad Tubarim.

TITVLI EPISTOLARVM HOC LIbro comprehensarum.

14. Not-

† 5 34. De

55. Quæ-

CATA-

CATALOGVS MED. ET Philoſophorum quibus nonnullæ Epiſt. addictæ.

IAcobus Zuingerus Phil. & Med. apud Baſilienſes, ibidemq. profeſſor.

Paulus Simlerus Phil. & Med. Pa. atros Traiecti Sueuorum in Francia Orientali.

Ioannes Schenckius à Grafenberg Phil. & M. in Academia Friburgica Briſgoiæ.

Chriſtophorus Muldenerus P. M. Marburgicus.

Ioannes Hartmannus M. Mathematum apud Marburgicos profeſſor, Chymiæ ſtudioſus.

Hermannus Vuolfius Phil. Med. & Prof. illuſtris Marburgi.

Balthaſarus ab Herden Ph. & M. Norimbergicus.

Thobias Faber Ph. & M. Illuſtris in aula Vinariæ apud Illuſtriſ. Proelectorem Saxoniæ

Hieremias Kuntzſchius Phil. & Med. Oppaniæ Sileſiorum.

Ioannes Moſellanus P. & M. & Gymnaſiarcha Halæ Sueuorum.

Geor-

Georgius Rhumbamius Ph.& M.Vratis-lauiæ Siles.

Christophorus Rhumbamius Phil.& M. Vratislauiæ Senior.

Martinus Vueinrichius Philos.& Philiatros Vratislauiæ.

Ioannes Heurnius Ph. & M. Lugduni Batauorum, & Academiæ illius loci professor præclarus.

Matthias Carnarius Ph. M.Illustrißimi Holsatorum Ducis primarius.

Hieronymus Fabricius Ph.M.& Reipub: Vuinshemiæ Poliatrus.

Qui præter hos asscripti sunt Epistolis, conficti sunt ad materiam.

LECTO-

LECTORI S.

PRimis duobus epiſtolicæ cō-
mentationis libris, amice le-
ctor, ſtudui fundamenta non-
nulla iacere, ſeu potius rudimē-
ta Alchymiæ viris ſolertibus
proponere iudicanda, vt poſtea
cognitis ſententiis eo alacrius
pergere & certius figere poſſem
veſtigia. Iiſdem mediocri diligē-
tia declaratam puto Ergaſiam,
ſeu primam Alchymiæ partem
de operationibus, vbi ſi quid de-
ſideraueris, vel mea, vel aliorum
ſecutura induſtria, quantū De-
us dederit virium, tibi ſatisfa-
ctum aliquando cognoſces. Li-
bro hoc tertio volebam tibi ma-
giſteria ſecundæ partis propo-
nere, & partim declarare, partim
acceſſione aliqua locupltare (ne-
que enim repeto præcepta ipſa,

ne me

ne me tautologiæ ocioſæ accuſare poſſis) ſed non potui conſilium ad finem perducere, propter occupationes. Quæ itaque ſuperſunt reieci in futurũ, quandocunque Deus, ceptis bene aſpirauerit. Interim hæc beneuole iudicare & ad tuos vſus conuertere potes. Michelianos dentes, quos infixos prioribus vides, tua ſponte & induſtria diiudicabis. Si quid aũt habebis abſolutius, id pari mecum ſtudio citra reprehenſionem aut calũniam ſocietati humanæ communicabis. Epiſtolis premiſi nomina partim vera, partim ficti-tia, quod iudices quidem requirerem & viuos & induſtrios; ſed tamẽ cũ nõ omnis quæſtio apta eſſet illorum dignitati, perſona

qui-

quidā fuerunt occultandi. Spero tibi mea ſtudia & officia non diſplicitura. Vale.

Inuidiæ faſcinum.

Inuidiam veritus quiſquis monumenta recuſat,
Ponere virtutum robora parua putat,
Indignumue Deo ſe credit, inertia mentem
Ni premat, ignauo vt parcere quiſq; velit.
Experiare ſacros virtutum in corpore morſus
Liuide, num ſperas vulnera poſſe pati?
Quo magis admordes, hæc ipſa animoſior exit.
Infelix, cui non inuidet vllus homo.

A. L. P.

EPIST.

D. O. M. A.

EPISTOLARVM CHYMICARVM Liber Tertius.

De his potiſſimum quæ ád magiſteria qualitatum ſpectant.

EPISTOLA PRIMA.

APOLOGIA ADVERSVS imprudens de operationib. chymicis. 11. Epiſt. lib. comprehenſis IOSEPHI MICHELII *iudicium, titulotenus tantum Mittelburgi editum, & ad nundinas autumnales anni 97. miſſum, ad amicos quibus illa aſcripta.*

QVÆ libro Epiſtolarum chymicarum ſecundo ad vos, amici, de operationibus chymicis, non præcepta condendi animo, ſed percontandi diſcendique à vobis ſtudio perſcripſeram, quanquam plærique ita accepiſtis, vt nunquam me pœnitere operæ ſuſceptæ propter cumulatam in me beneuolentiam ſummam, amoremque ampliſſimum, iure poſſit: non ignorabam tamen, quantum à ſublimitate

istius artis dignitateque abessent, & me adeo non satisfecisse postulatis eius, vt non lucratus beneuolentiam studiaque vestra rei præclarè gestæ meritis mihi semper videar, sed honoraria loci cessione, precarioque ad ea, quæ vix sperare, nedum promittere cuiquam audebam, admissus. Gratulabar mihi successum instituti, & iam animum ad nouam adiiciebam simili arte amicitiam. Sed ecce, dum de hoc cogito, audiri visa est malo omine vox quædam auctore apparente nusquam. Animi itaque dubius consilium suspendo, & ad exercitationes vmbraticas conuersus interim in his elaboro tam feruenter, vt binis Decadibus absolutis tertiam aggrederer, iamque de censoribus & prelo essem solicitus. Sed admoneor denuo, atque etiam promissi religione compellor ab amicis ad stadium desertum iterum occupandum decurrendumque. Non ita pridem etiam allata vis est ab eo, quem ob conformitatem studii amicum potius speraueram mihi quam hostem. Is vocatur Iosephus Michelius patricius Lucensis Medicus, quem aiunt in Anglia degentem medicinas, & nescio quid aliud profiteri ætate iam senem, qualem ipsa mouere debuerat canities, abstinendum esse à crimine insectandi & calumnia. Minitatur autem titulo solo absque libro ad nundinas Francofurtenses misso, apologiam chymicam aduersus inuectiuas, calumnias,

mnias, imposturas, ignorantiam, mendacia & similia quæ mihi affingit crimina, in secundo Epistolarum ad vos de operationibus chymicis libro. Cogitaui illico: Ecce onus molestum. Beneuolentiam à viris magnis dudum impetratam, premere, & obscurare odio inuidiaque annititur. Resistendum instar palmæ est, nec committendum, vt semel collata studia inueterascant, atque intermoriantur calumniæ veneno. Sic ergo redeo ad Epistolas, & familiare exercitiorum genus, vosque compello primos & rogo, vt eum, cuius specimen apud me edidistis præclarum, tueri, sartumque ac tectum conseruare velitis fauorem, nec permittatis, vt ex insidiis prorepens vipera radices animi erga me propensi arrodat, indeque natam amicitiam euertat, prosternatque. Non quidem vnquam de vestra in me facilitate & sententia præclara dubitaui; veruntamen, cum, nisi alatur familiari consuetudine, beneuolentia, & stimulis alloquiorum frequentium solicitetur crebro, exolescat; non feretis moleste, me in fomitem hunc frequentius inspirare, indeque subiecto pabulo solido ignem excitare luculentum. Etiam hoc vos rogo & obtestor, vt cum mihi delecti sitis operis à me instituti iudices, hæcque sit vestra prouincia, & possessio, iure communitatis in exercitio liberali, & tot experiundi olim sudoribus acquisita, impe-

tialique communita auctoritate, non patiamini è vepreculis nescio quas nitedulas iudicandi prærogatiuam vobis extorquere, falceque in vestram missa messem, fructum vobis speratum interuertere. Quid illi Michelio cum vobis tam amicè absque omni certandi aut statuendi imperatoriè animo, consecrato opere? Quas ille inuectiuas calumnias in eo, quibus oculis, qua mente potuit videre? Qua vero etiam fronte, & lingua in publico accusare? Si inuectus in improbitatem collegij impostorum falsique nominis chymistarum sum, iure id sum meo, qui me veritatis in palæstra hac nostra defensioni falsitatumque euersioni non minus natum ornatumque scio, & profiteor verè, quam illi se putant opinanturque genitos esse; nec decere me ignauius timidiusque in asserendis illustrandisque bonis versari, quam illi in euertendis corrumpendisque iisdem contentiosius dataque opera ammoliuntur. In veritatem eiusque propugnatores sum inuectus numquam. Nulla vnquam eos læsi calumnia. Ipsa res loquitur, quam simplici studiosoque vos compellarim animo, non ad mea iudicia compellens vestra, sed de rebus propositis sententiam rogando inuitans amicè. Num nefas est proponere animi sensa, & peritorum iudicia explorare? Cur illi libuit conuitiari calumniarique turpiter potius, quam docendo

quæsitis

quæsitis satisfacere? Turpe illud calumniæ nomen nunquam ea in re ne in mentem quidem venisset, nisi auctorem eius primum, fœdissimè calumniando omnem sibi in posterum fidem præcidentem, nuperque admodum in luce manifesta impudentissime mentientem deprehendissem. Imposturas vult detegere meas. Quid est, amici, quo vobis impositum à me possitis vel fingere? Obuiam itum imposturis volui quantum potui: Imponere aliis quomodo? An vero nobis ignotæ sunt Paracelsitarum, quas notaui fraudes? Si ignorat ille Michelius, à crucibus, & patibulis passim in ceruices eorum erectis discat. Sed explicat ille imposturas meas. Professus sum operationum chymicarum διαγραφὴν ad virum illustrem Camerarium, & quidem ita, vt more Academico vetusto in acroaterio Platonico re proposita ad differendum prouocarem eum, quem sciebam in vniuersa Philosophia chymica plurimum desudasse & valere. Negat Michelius, me gnarum esse istarum. Imposui itaque vobis id pollicitus quod ignoro. Atque non ex meo penu produxi ista μηχανήματα; sed ex Hermetis, Gebri, Arnoldi, Calidis, Lullii, Vlstadii, quin & Paracelsi & reliquorum, quos tum in Epistolis nominaui, tum operi Alchymiæ præmisi, monumentis in quibus tum nomina ipsa pridem descripta extant

tant, tum nominum declarationes & praxes. Hanc volebam chymiam descriptam, quam illi sunt professi. Si ignoro operationes, eius artis ignoro, quam ipse sibi fingit Michelius. Bene fecerit, si ostenderit mundo artem nobilorem, atque ita veteres recentesque diuino affecerit beneficio. Nam cum omnes alii chymici vetustate glorientur, & Paracelsus, licet pro sua stultitia arrogantiaque iubeat se sequi priscos; tamen hic quoque non alias operationes monstrauerit; à me vero illæ omnes sedulò sint conquisitæ, & suis nominibus descriptæ, naturaque rerum & vsu declaratæ: noui quid coquere in furnulis suis illum Michelium, & fortassis noua decipula illicere incautos suspicio est. Nos cum artificum venerando choro illam amplectemur Chymiam, quam hactenus experientia mundo comprobauit, & cuius opera tam nobis sunt nota, quam antiquis, repudiato illo Michelio, donec & ipse sua pari fide muniat. Nemini imposuit mea ignorantia, siue prisca spectes præcepta, siue Micheliana, quæ adhuc sepulta esse credo, nec ego cuiquam obtrudere cupiui. Si quis adeo est simplex, vt dubitet de his, quæ inter artificum manus versantur, ille & dubitet de sua ratione, sitne recta an praua, expectetque aliunde aliquid absolutius. Titulum libri mei iudicat falsum & ementitum, nempe his

tribus

tribus vocibus indicatum, DE OPERATIONIBVS CHYMICIS. Quas vero ego ſpeciatim pronunciaui? Solutionem, coagulationem, diſtillationem, ſublimationem, inceratio-nem, circulationem, reuerberationem & reliquas. Eæ omnes vel ipſis Grammaticis teſtibus, ſignificant ἐνέργειαν, καὶ ποίησιν, ἢ πρᾶξιν. Τὸ γὰρ διαλύειν, καὶ διακρίνειν, καὶ συγκρίνειν, καὶ ὁμόφυλα ἐπὶ ποιεῖν τι, καὶ ἐνεργεῖν. Cur itaque non appellem ἐνεργήματα, μηχανήματα, operationes, aut ſi quod eſt aliud affine nomen? Iam eas eſſe ex Chymicorum officina conſtante probataque peritas is ſolus ignorat, qui Chymiam omnem veram. Quid ergò ille MICHELIVS nugarum texit? Quid ſtruit calumniarum? Non vſus ſum falſo titulo, non emen-tito, vt ille falſo & mendaciter ſcribit: ſed vero, iuſtoque, vt patuit. Neque ergo etiam mortales decepi. Reſpondebit his, amici, immortalę veſtrum teſtimonium, reſque ipſa immortaliter illi calumniatori obloquetur, mortalem mihi deceptum eſſe ea re nullum. Sed quid opponit tandem meis operationibus? Promittit oſtendere, quæ & qualis ſit vera illa vniuerſalis medicina Chymica, & quomodo componi debeat. Procedat vero illud inſolitum lumen, & nos miſellos in tenebris quiritantes tandem illuſtret, conſoleturq;. Debebimus illi Mi-

Promiſſum Michelii.

chelio grates magnas. Sed quid iſtud ad rhombum? Nunc ego per operationes Chymicas volui conficere vniuerſalem medicinam, eamque vobis titulo mendace obtrudere? Minime vero gentium. Scitis enim quibus viribus me talibus panaceis oppoſuerim, & adhuc aduerſer, patronis eorum in fumum plane chymicè reſolutis. Neque ergo meum tractatum ille Michelius intellexit, neque inſtitutum attendit, ne dicam videri eum mihi ab omni Chymia vera exulare hoc argumento, quod non agnoſcat opera eius propria. Expectabimus plurimorum errorum, quorum accuſantur vulgares medici, quo titulo fortaſſis & vos ornamini, ἀποκάλυψιν illam nouam, non indignaturi ſolis lumine caliginem noſtram illuſtrari, nec commiſſuri, vt erroris conuicti contumaces vitiorum defenſores prædicemur. Age vero Micheli, & te virum præbe. Mirabimur induſtriam docti à te meliora, teq; laudibus diuinis in cælũ vehemus. Sin vero committes, vt dicendum ſit, te nobis impoſuiſſe turpiter, proque aurea medicina obtuliſſe quiſquilias pridem repudiatas, noſtrum erit, de te, vt meritus fueris, ſtatuere. Conſule famæ tuæ, metireque vires, & ſi impar es illi magnifico promiſſo, in aliud potius quod frigiferum ſit mundo ſtudium horaſque impende. Quæ te cauſa impulit ad tam acerbe de me ſcribendum? Soliti

liti ſunt noſtri aliquanto acrius obſiſtere Paracelſo, mihique luctandum ſimili in arena fuit cum improbitate & nequitia Ambaldi, Gramani, Biſterfeldii, Engelharti, Diaconi, ſed accepta, non data defenſionis cauſa, in qua tamen argumentorum magis quam perſonarum notas attigi. In te quid admiſſum à noſtris eſt, vt tam rabide procurreres? Verum ſcito, tuis conuitiis calumniaque me non plus commotum iri, quam Dionem, Socratem, Gelonem, Periclem, Cleanthem aliosque tum philoſophos ſummos, tum imperatores potentes, ferunt. Cogitandum enim eſt, te ideo inſanire & maledicere quia ſapere & bene loqui non didiciſti, agendumque tecum eſt quo modo cum deliro medici, qui furentem verbis, non vituperant proſcinduntque conuitiis, ſed morbo ſanando occupantur, contemptis criminationibus. Ego te admoneo conſuetudinis & ſententiæ vere philoſophantium, ne ita tuos canos calumnia polluas, ſed ſi quid docendum eſt, animo tranquillo proferas. Nihil nunc reſtat, niſi vt amicos, quos hac epiſtola compellaui, ſuaui demulceam problemate, & pro mea ad proficiendũ ſtrenue in occultis auiditate, ſedulo rogem, quidnam ſtatuant de illo antiquorum Chymiæ procerum decantato celebrique vniuerſali. Itane eſt, viri præſtantes, vt chartæ (nihil enim præter eas hactenus exſculpere potuimus) illæ magniloquæ gran-

De vniuerſali lapidis philoſophici virtute.

dæuæque pollicentur? E philosophorum Mercurio lapidē sapientum fabricare iubent, qui sit Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων, quo præconio Heleneum ornat medicamentum Homerus. Quis vnquam extitit, qui eius professione & effectu tam diuino gloriari iure potuerit? Sed expectatis fortassis illum Michelium. Metuo ne frustra. Valete interim, & me fauore vestro etiam amplius prosequimini. 12. Decemb. anni 97. Veteri computo.

EPISTOLA II.

Sitne satis in chymica contemplatione versari, an requiratur etiam praxis?

Ad Agathonem Telesium chymiæ Antesignanum.

SCITVM est illud de officiis vitæ honestæ præcipientis Tullii axioma? Virtutis laus omnis in actione consistit. Nullam nimirum honestatis gloriam quenquam consequi posse putat, nisi secundum virtutem agat præclare. Quid enim sola contemplatio rei bene gerendæ habet emolumenti? Hæc est illa ἐυπραξία & summum bonorum, quod non tantum sibi propositum habet Ethnicus, verum & in vna qualibet arte honesta quicunque secundum eius virtutē operatur sapienter. Sed cum τὸ ἐπαινετὸν in fine sit, quemadmodum & τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν: ad finem præclarum vnamquamq; agendo aspirare Scientiam, nec minus

minus eodem contendere debere verum eius professorem, est abunde manifestum. Quorsum autē ista philosophemata TELESI dices? vt intelligas nimirum etiam chymicam virtutem in actionē sapiente sui laudē quęrere, totamque ad finem compositam esse bonum, quem si non obseruet artifex chymicus, neutiquam erit in ea arte bonus probusq;, imo si & Ethicum honestum neglexerit, ne vir quidem bonus. Atque multi præclarum putant, & solum summæ felicitatis, quo τὸ θεῖον quam proximæ assequamur, omne studium in Theoria consumere.

Arist. in 10. ad Nicom: cap: 8. Perfecta felicitas contemplatiua quędam operatio est Plato in Philebo. Marsilius in argumento ad 1. de Repub. Platonis.

Num itaque chymicus noster speculando beatior est, quam agendo? Num ars ipsa non tam τὸ ἐυπράττειν, quam θεωρεῖν sibi habet propositum? Si ita putas, TELESI, age philolosophorum huiusmodi volumina noctu dieque versemus, & animum contemplando operationes speciesque chymicas abunde oblectemus. Manuarias aggressiones apparatusque relinquamus officinæ furnariæ. Mentē oportet scientia attritam non manus habere chymicum, qui diuinitati volet esse felicitatique proximus, & mortuis, quod esse dicunt Philosophi, fieri similis. Sed nisi tu argumentis solidioribus diuersum comprobaueris, non parem iudico esse causam scientiarum illarum quas magnas perfectasque arbitrantur, & huius nostræ Alchymiæ. In illis enim fortassis quia circa diuina, occupantur, ad quæ contemplanda

φιλοσοφία μελέτημα θανάτυ, καὶ θνατοῖς ὅμοιωσθαι.

templanda puri, auccandus à corpore animus est, & ad cœli dorsum euchendus, nihil prodesse potest corpus, aut eius actio, imo vt Platonici sentiunt syncerræ veritati contuendę illud aduersatur, nisi fortassis hæc sunt Philosophorum à negotio ad otium procliuium commenta iucunda quibus abblandiuntur ipsi sibi, maluntque præscribere recte viuendi leges, quam actionibus exprimere, quod hoc ipso non abest á turpitudine, velle nimirum de præclare agendo præcipere cum totam vitam mortuis similem peregeris, & ne videre quidem cupias, quomodo bene agatur. Chymiæ conditio est diuersa. Videtur enim eius actio non esse sinę adminiculis corporeis posse, nec pati finem illius rerum contemplationes meras. Non est abstractarum artiũ, sed in materia cumque actione esse natarum. Itaque & primam sui partem chirotechnicis absoluit, quorum dexteritas concilianda est non menti, sed manui. Implicati iam sumus formidoloso cum Turcis bello. Multi ex philosophorum Theologorumq; Coronis prosiluere, & scriptis voluminibus sua cõsilia in medium contulere, docuereque Imperatorem nostrum, quomodo arma capere, iisque in hostem vti debeat, idque non καθόλȣ tantum, quo pacto, quiuis rationis compos probabiliter de reb. humanis differere potest sed & κατὰ μέρος. At illi nunquam manũ bellis admouerunt, & fors nondum liberare vagina gla-

na gladium perite poſſunt. Quid dicat his Annibal? Quid noſter Tullius? Tu ipſe intelligis iudicium. Vereor ne ſimiliter de chymico contemplationibus ſolis indulgente ſit ſtatuendum. Quæcunque eſt virtus generoſa, ea exerit ſeſe extra ingenii ſepta, atque vt per experientiam rata firmataque eſt & cõprobata iudicio bonorum, ita viciſſim in campo inter populos præclare agendo ſe conſpiciendam admirandamque præbet. Quid confert ad vſus humanos ille, qui imaginibus intus cogitatis ſe oblectat ſolum, ſæpeque comminiſcitur ea, quæ nullo vſu comprobari poſſunt, quæq; ipſa confutantur experientia? Atqui cõtemplatori ſuo apparebant vera. Plato ille Priſcorũ DEVS parum admodum certitudinis tribuebat ſenſibus. Omnem philoſophiam in ideis quærebat æternis. Verum quidem hoc de præceptis ſua methodo conſtitutis. Inde enim ſi opus ſit actione, peti eius exemplar poteſt. At illa ipſa primum per experientiam, quæ non eſt abſque actionibus ſingularibus, ſunt conſtituta, & ſi poſtea non excedunt animi cancellos, ſeque ad efficiendum imperata accingunt, nihil proſunt generi humano. Ipſi quoque ſpeculatori quid aliud promittunt præſtantque, quam inanem quandam voluptatẽ, & ſine nucleo corticem? Meditetur ſane aliquis de Oeconomiæ legibus, & quomodo recte ſit inſtituenda, victuſque quærendus præclare cogitet; non autem

Platonici ſpeculatores ſæpe ſuis phantasmatibus decipiuntur, intus expectantes quæ foris petendũ erat. In Theæteto, Phædone, Timæo.

adhibeat

adhibeat manũ aratro, nec impellat famulitiũ ad operandum, næ ille mihi inani ventre ſtrenua exercebitur media Refert Ariſtoteles Anaxagoram Clazomeniu felices beatoſque habuiſſe, qui iuſtis honeſtisq; actionibus tranquille incumberent, diuinaq; aliqua contemplatione participarent. Nimirũ & hic æquum cenſuit, vt Theoriæ coniungatur praxis ad aliquid in vita laudabile aſſequendũ. Bene etiam ipſe philoſophus eos, qui non agunt iuſte temperanterq;, ſed ad diſputationem confugiunt, putantes ſe ita philoſophaturos, futurosq; probos, improbat, comparatq; ægrotanbus, qui Medicos diligenter audiunt quidem, ſed nihil eorum, quæ mandantur ab eis, efficiunt. Neq; enim hi corpore, neq; illi animo ſic bene habebunt. Quanquam itaq; ſingularem putemus eſſe voluptatem in contemplatione chymica, exigit tamen hæc ars etiam operationem, tum vt firmetur Theoria, quandoquidem decipi poteſt opinionum futilitate, tum vt aliquid emolumenti perueniat ad communitatem. Nihil autem refert ipſene aratrum ducas, an boue ductum cures, modo promoueat & exequatur id quod præſcribit agricultura. Hoc eſt verum philoſophiæ dominiũ ſapientię ſtudio ita profeciſſe, vt poſtquam ipſe exercitatus ſis vitæ ſapientis actionibus, aut ex aliorum curſu didiceris, poſſis recte imperare. Longe enim firmius eſt quod ſimul ab experientia præcipitur, idque mouet magis.

Anaxagoræ Clazomenii dictum.

Chymia propter Theoriam exigit praxin.

magis. Vale mi TELESI, & ſi quid hac ſententia deliratum putas, amicè mone. 13. Decemb:

EPIST: III DE FINIBVS *Chymiæ diſtinctis.* AD ORONTIVM ARETAEum Virum Magnanimum.

NIHIL in expetendis ad vitam beatam habendum eſſe præter virtutem, occinunt nobis ſæpe illi, qui vere viuendi rationem ab humanis ad quædam diuiniora auocant, & in hoc ipſo ſummam ſtudiorum ſuorum ponunt. Excellens ſane & plauſu digna ſentenita eſt. Sola enim virtus creditur ſufficere ad ad beate viuendum. Sed cum hoc quoque addant, ipſam ſeipſa cotentam nihil amplius appetere, neque extra proprietatis ſuæ ſeſe terminos efferre, velim ex te, Oronti, ſciſcire, num ſummum putes virtutem, & vltimum, in quo acquiſito ceſſandum ſit, & cui ſoli aliquid laudis ſit tribuendum, nihil vero his quæ antecedunt ſummum, neque quæ ſequuntur. Noſti.n. nihil ſimul fieri, & perfectum eſſe, & ſuccedere ſibi formas perfectionesque ſubalternas ad vnam aliquam extremam in qua ſit quies. Sed non ita, vt vacatio feriæque poſthac ſint illi vltimæ. Eſt enim & hæc alicuius gratia, donec ad omniũ primam peruentum ſit, vnde in ſeſe redit circulus, ni temere ſit inſtitutus. Hæc vt melius contemplemur, relinquamus illam generalitatem, & nos

nos ad chymicam, tanquam exemplarem virtutem accommodemus, de qua ſpeciatim putes illa quæſita & pronunciata eſſe. Virtutem chymicam non contentam eſſe omnino ſui contemplatione, ſed & actionem requirere ante confecimus. Ita enim conſequetur illud quod ἱκανητὸν iudicant. Sed putemus perinde ſeſe habere in illa ipſa, ac in Architectonica, & quidem Naupegia. Nouit ſeu mercator, ſeu imperator ſibi opus eſſe, ad tranſmittenda maria & vehenda quæ oportet, naui. Conſulit eius fabricandæ magiſtrum, commodamque ſibi parari curat. Hūc exuſcitat autoritas vſusque, vt exemplar ex præceptis & modum agendi petat, hocque principio mouente quidem ſed immobili, per ſuccedentes in materia ex rudi & imperfecto ad formam, perfectionemq; vltimam motu debito abſolutiones, tandem compactam confectamque exhibeat nauim, porro non ſolicitus quibus rebus eam adhibere velit eius Dominus. Ita plane etiam operatur natura, dum ſuo inſtinctu ex ſemine vel analogo producit plantam aut animal, non ſimul vno impetu, ſed ordine operis per motus fineſque medios ad vnum ſummum, quo præſente eſt id cuius gratia motus inſtituebatur, quod poſtea cedit in vſum hominis, vel beſtiæ, aut etiam perit, non curante natura. Differentia tamen eſt, quod ibi principium motus ad ſubſtātiam ſit externum & à conſilio, hic vero internum nempe nàatu-

à naturæ potentia adminiculis adiuta debitis, nisi ei præsidem velis dare DEVM, qui excitatus compellatione indigentium naturam promoueat, perque eam agat in materia tanquam per instrumenta sua artifex. Expedies itaque mihi hoc iam & qua es solertia docebis, cum chymicus contentus notitia virtuteque sua in se lætetur solus, vtpote qui habeat summum bonorum in se sufficiens ad omnia: Interdum vero etiam, vt laudem inueniat, operetur, num iudices hanc laudem esse id duntaxat, à quo impulsus ad opus consurgit, an vero expectet donec vel Medicus, vel Oeconomus aut alius quispiam necessitate aliqua compulsus, eius operam conducat, nil solicitus ad quæ redemptor speciem illam effectam vsurpet? Quid mihi videatur exponã paucis, postea tuum auditurus iudicium. Qui chymico nihil tribuũt, nisi seruilem operam, quam oporteat expectare redemptorem suum, instar sutoriæ sartoriæve, illiberaliter mihi videntur sentire. Habet quidem ars ipsa suos fines, & mouetur successiue melioris gratia, ita vt materiam à natura acceptam primũ exuat rudi forma, postea exaltet, euehatque ad summam aliquam prout est species illa, quam intendit, veluti oleum, aquam stillatitiam, essentiam quintam, & similes, in quibus artis respectu finis interior formæ est coniunctus, plane vt & in naturæ operibus. Huc quoque cum peruenit, actionem suam

absoluit, & iam merita est illud honestum pulchrumque & laudabile, de quo declamitatur passim in scholis sapientum. Sed artifex qui motu artis vtitur non famulatur semper, nec cogitur expectare operis facti emptorem. Etenim cum studium eius non minus sit circa arcanum inque abditis naturæ thesauris abstrusatum rerum inuestigationem, quam ministerium communitatis humanæ: liberali non raro inducitur contemplatione, & species chymicas vno fine absoluit, vt constet mysterium operum naturalium, hincque orta doctrina pascantur tanquam in veritatis campo scientiam appetentium animi, expleaturq; naturæ nostræ, quæ etiam per se sine vtilitate proposita, quia iucundum est & pulchrum, scire cupit multa, desiderium. Itaque si physica contemplatio non seruilis est, sed liberalis ingenuaque, etiam chymica hactenus erit, nec spe emolumenti externi aut opum aut vanæ gloriæ semper mouebitur, sed sua ducetur iucunditate, fructusq; veritatis, qui est verus animæ cibus, appetitu ad agendum procedet. Externus finis, quem vsum aliqui nominant, non videtur proprius artis esse neque artificis liberalis, aut saltem si & hic proprius est, ab illo tamen vtpote diuiniore digniorcque admodum obscuratur, & non tam arti propositus est, quam artificis necessitati, qui porro ductus nouo aliquo principio, veluti Ethico, aut Theologico, aut cæteris, o-

pus

pus ſuum exponit, vtendum medice, Occonomicè, politicè, &c. In quo tamen non ſeponendus eſt finis honeſtatis, ne quid peccetur in Ethicas, Theologicas, Medicaſque virtutes. Sicut enim peccaret Naupegus, ſi nauim optime ſecundum ſuam artem abſolutam, alio motus argumento hoſtibus prætoriæ ad huius perniciem vellet commodare: fieret enim perfidus ingratuſque: ita chymicus ſi ſpeciem opuſque ſuum in interitum hominis innocentis conuerteret, aut conuerſum redderet. Varias nobis impoſuit perſonas natura, variaque officia. Plurima debemus ſanctitati pietatique, multa patriæ & parentibus; nonnulla amicis. Erga omnes, vt poſtulat cuiuſque officii virtus, nos gerere oportet præclare, nec quicquam intermittere quod ad pietatem honeſtatemque pertinere poſſit. Itaq; chymicus ſi inducta plumbo auri ſpecie virtutem ſuæ artis excedere velit, & neglectis veritatis terminis, iuſtitiâque violatâ pro auro genuino vendere, non fungetur officio boni viri, quanquam non egerit tunc vt chymicus, ſed vt quidam ex communi ſocietate, quem oportebat eius leges obſeruare. Ita ſi præſidio artis ſuæ cognouerit venenatos ſuccos quoſdam eſſe & deleterios, nō perſuadebit hominibus ſe ſalubre vitæ auxilium porrigere, ſed à pernicie abſtinebit vſuros. Ignorantia tamen non affectata etiam in Iureconſultorum circulis inuenit immunita-

tem veniamque. Itaque si Chymicus suum opus laudabiliter absoluit, postea que alia assumta persona, id ad vsus diuinos humanosve concedit absque fraude & dolo malo inscius mali consilii; redemptor vero id sua malitia ad perniciem vsurpet, extra culpam est artifex. Quod ad fines citra vltimum attinet, sic sentio, non quidem eos summam mereri laudem; si tamen leges artis obseruatæ fuerint, quoniam ex illis quoque aliquid est veri & vsus boni, cuius gratia etiam formam aliquam habent coniunctam; non priuandos esse sua gloria. Sed sunt nonnullæ imperfectiones quæ ruditati sunt ita vicinæ, vt parum distent; nonnullæ ad vltimam accedunt magis. Illis nihil inest laude dignum, & fors etiam culpandus artifex est, qui opus naturæ, consilii melioris caussa destruxit, nec aliquô perfectionis perduxit, si id sponte neglexit. Quæ vero fini summo sunt propinquiora, ea magis erunt in precio. Sæpe tamen suscipitur operatio successus tentandi & disciplinæ caussa. Necesse enim est in aliquo periculum fieri antequam absolutus sis artifex. Huiusmodi quæ sunt, nec laudis nec vituperii quicquam videntur habere, sed perinde esse ac ea opera naturæ quæ absque vsu pereunt. Sed hæc sunt faciliora iudicatu.

De prædestinatis a natura elaborationibus.

Illud vt contentionis arrogantiæque est plenissimum, ita difficilimum intellectu, num scilicet agnoscere possit artifex, ad quod vltimum

timum quod ſimul eſt laudatiſſimum & optimum expetendorum, natura aptum reddiderit deſtinaueritque ſuum opus, ſi artem ſit experturum. Putant enim nonnulli naturam dediſſe omnia imperfecta eo conſilio, vt abſolutionem ab arte, eaque chymia expectent. Hoc dum ſibi perſuaſum habent, & operantur alius alio modo, efficiuntque ſpecies chymiæ diuerſas, magna eſt controuerſia, quodnam ad vltimam naturæ voluntatem intentumque ſit perductum, ſeu quænam ſit, vt loquuntur, prædeſtinatio rei altiſſima. Si exemplo ſermonem declaratum cupis, noſti à multis parari ſtibium diuerſimode. Alius in [illegible]m purgans vertit, alius in puluerem calcemque [illegible]reticam; tertius mutat in flores, quartus in dictum [illegible]ulum: nonnulli in oleum, aliqui liquorem; nonnu[illegible]nam eliciunt ex eo tincturam vocatam; interdum Alcali, & Elementa & Principia: Et ſunt qui hoc calcem eius vocent, alii aliud, prout cuique opus ſuccedit & peritia adeſt. Inter hæc tam multiplicia ſtudia quæritur quodnam aſſequatur id quod perfectionis vltimæ nomine appetat natura. Eſt autem illud paradoxum ex tali quodam extructum principio. Hominum gratia omnia naſci volunt: ſed vt naſcuntur non poſſe prodeſſe: Malum enim vbi[illegible] coniunctum eſſe bono; & ſpecificis tantum ſeu eſſentiis ineſſe bonum & proficuum credunt, capſulis proiectilibus, ma-

Stibii prædeſtinatio.

Plin. lib. 27. cap 3. alio ſenſu: malum nullum ſine aliquo bono; quod diſtorſerunt Paracelſici.

terialique corpore contemptili, propter venenum & noxam. Sed cum illa ſpecies eſſentialis liberata à ſuo carcere expeditaque, variis ſe formis conſpiciendam præbeat, quibus & variæ virtutes cohærent: quin & magiſterii operibus ipſa integra poſſint ad nobilitatem eſſentialem perduci: quæſtio illa exoritur quam tibi propoſui. Nolunt quidam Antimonium ideo à natura factum, vt purget, atque huius gratia ad vitrum perducatur, aut florem illum furioſum ſeu venenatum. Tincturam & neſcio quod myſterium in eo quærunt, cuius ea vis ſit, quæ catholici philoſophorum lapidis ad ſeruandam omnino ſanitatem, pellendoſque vndiquaque [illegible] bos omnes ea tanquam vn[illegible]icina, vitæ noſtræ familiar[illegible]. Simile enim ſimili & ſ[illegible], & ſanari iudicant. Hoc vnum eſt quod admodum per te mihi explicatum cupiam. Eſt & alterum, nempe, putesne ſolius Medicinæ in Diætetica, Therapeuſi, & Chirurgia conſiſtentis gratia naturam primario omnia procreaſſe, vt ſic arcana per Chymiam prolicita ei tantum inſeruiant tanquam principali inſtituto; reliquis vero poſſe quidem adhiberi tum integra, tum eſſentialiter elaborata, ſed vel obiter abuſiueque vel minus principaliter. His quæſtionbus vbi ſatisfeceris, non grauabor tecun plura fabulari. Vale. 13. Decemb

1 5 9 7.

Seuerinus.

EPIST.

EPISTOLA IIII. DE PRAEDE-stinationibus rerum naturalium ad certas species chymicas, & num hominis solius gratia sit Chymia.

Orontius Aretæus Andreæ Libavio. S.

LEGI libenter quæ proximis ad me literis de fine chymico perscripsisti. Fatendum nimirum est, sordidarum artium conditionẽ excedere Chymiam, seseque honoratis illis scientiis, quas ingenuas liberalesque appellitant associare, & ob hoc finem quoque habere tum in Theoria tum praxi laudatum, nec paruo honore existimationeque ornare suum professorem artificiemque, qui si velit externis quoque commodis frui, ab ea non destituitur, nec in paupertate relinquitur. Illud deplorãdum est quo diuinius est studium quodque, quo honoratior scientia, eo impudentius eam rapi ab improbis hominibus, & ad maxima sæpe scelera conuerti, quod experti sumus Chymiæ maxime propter insatiabilem auri cupiditatem euenire, cum tamen si montes illius metalli hæc ars præberet, nullius futura esset numeri, neque id consultum generi humano. Non tamen desunt, etiam veri liberalesque eius tum assertores tum Doctores, qui, si omissa parumper cõtẽplatione illa diuina ad manuaria exercitia sese demittunt, non ob id à culmine honorum ad seruitia turpia illiberaliaque descendunt, & se feci plebis immittunt stolide. Neque enim pudere debet virum fortem, commisisse cum

Non aduer fatur digni-tati Theorici praxin attentasse.

hoste manũ, conflixisseq;, quamuis ea res nõ sit absq; corporis annisu, & armorum vsu artificioso. Nec medicum pœnitet aliquando parasse sua manu pharmaca: nec Cyri dignitati aduersabatur hortorum arborumq; plantatio digestiq; in quincuncem ordines. Est in fastis Romanis Palæstinisq;, ne aratro quidem abstinuisse summos Rerump. & Regnorum antistites. Nihil decedebat ab honore Pontificio Sacerdotibus Iudaicis, etiamsi victimis mactandis præessent, & multas sua manu iugularent. Sed nec cogitur Chymicus artifex semper irrepere furnariam. Neque enim minus est callidus quam medicorum familia, quæ ignobiliores operas famulitio demandauit suo, ipsaque satis habet, si astet rectrix operum & moderatrix. Quæ itaque pulchritudo, qui honor & encomium virtuti scientiarum artiumq; debetur, cum chymia vtrique subsit, & amicè in vlnis complexuque earum conquiescat; ea etiam chymico, siue is intimo fine contentus nihil præterea spectet, siue etiam coniungat honestatẽ communionis, & tum sibi, tum aliis vtilis velit esse, debẽtur. Cæterum quas proponis quæstiones, non temere iudico esse tractandas. Noui n. viros magnos quoq; in huiusmodi desudasse, nec cũ paruo tum honore tum emolumento cõiunctum foret, si exactè constaret, quodnã sit illud summũ, maximè nimirum proficuum generi humano dignissimumq; iuxta ac nobilissimum

ſimum ad ꝙ quęlibet res naturæ per artē eſſet perducēda. Crede mihi, ſi id homini cōſtaret, prope hominis excederet conditionē. Non .n. eſt ſine notitia rerum exacta ſiue ſubſtantiam ſpectes, ſiue fines vſumque. Eam vero in diuinitatem duntaxat cadere, quę intus res aſpicit, æſtimatque ſola perfectiſſime, nemo fortaſſis negauerit. Tunc quoq; non humanam haberemus artem, non præcepta illa, quæ ab artificibus poſita videmus, ſed longe abſolutiora, & diuinæ potentiæ plena. Sed cum homines ſimus, oportet nos intra metas humanas manentes ea boni conſulere, quę ad ſuſtentationem huius vitæ conceſſit autor omnium & gubernator Deus. Hic nos manu quaſi duxiſſe, ne plane nihil eſſet quod ſequeremur, certo eſt credendus. Addidit ſenſus, quibus rerum extremarum conſequimur notitiam. Conceſſit rationem, qua & comprehendimus ſimplicium imagines & iudicamus componentes alteram alteri, & ex prioribus poſteriora conſequentiaque extruentes. Ita reminiſcimur antecedentium, eaque cum præſentibus & futuris copulamus, prudentes factorum experientia artium genitrice redditi. Satis hoc erat præſidii ad iſtud, de quo quærebas, aſſequendum, modo non deficeret attentio & ſapiens rerum delectus, nec pigeret tæderetque in inquirendo experiundoque laborum. Arbitrantur nonnulli eſſentialium virtutum quędam iudicia in rebus integris extare per characteres ſeu cœlitus curſu & eſſi-

Summæ rerum prædeſtinationes homini incognitæ

Inſtrumenta noſcendi.

De characteribus rerum, ſeu chiromantia, vt vocant.

cacia aſtrorum impreſſos, ſeu ab ipſa natura foris ad contemplandum ſe iudicandumque oculis propoſitos. Hinc q; intortũ eſt ſerpentium de more, vt radix ſerpentaria, id deſtinatum ſerpentium veneno iudicant, quo pacto ſcorzoneram quia ſerpentis cuiuſdam præ ſe fert imaginem, alexipharmacum eiuſdem in ſe exhibere & credunt, & experientia probant. Nuces iuglandes cranio reſpondent teſtis, & cerebro ſubſtantia vel nucleo. Illas itaque cranio, hunc cerebro iuuando natum credunt. Quæ aculeos infeſtos gerunt, vt cardomaria, laterum puncturis perhibentur vtilia. Sanguineis punctis nonnullæ herbæ ſunt inſignes & ſucci quidam parum diſtant à ſanguine. Arripitur character, ſanguiniſque nocumentis adhibetur res ſignata. Satyriorum radices noſti. Sed nec ignoras ad vim genitalem promouendam adhiberi eaſdem. Non libet hiſtoriam texere. Id enim pridem pro ſua induſtria præſtitum ab aliis eſt, mihi totum iſtud fundamentum ſuſpectum incertitudinis eſt. Neque enim video, cur capiti debeat prodeſſe quod capitis figurã obtinuit, niſi & braſſicas & poma omnia cum genere papauerum eo in numero habeas, nec quicquam omni modo prodeſſe poteſt eidem. Itaque ne nux quidem illa quam myriſticã vocant multum conducit capiti phreneticorum. Quis tam ſit demens vt lethargico adhibeat papauera, aut datulæ, ſtramoniæque fructum. Experientia,

com-

comprobaſſe nonnulla dicitur. Sed non ratione ſigni, verum virtus aliâs ita erat, & fortuito vtrumque in vno conuenit. Cur non omnia capiti profutura capitis ſigno coarguit natura? cur, cum tot ſint affectus capitis, quorum vni non raro conducit medicamentum, alteri vel fruſtra vel cum detrimento adhibetur, hoc non docuit nota diſcreta? Num inuida aut infida illa erat? Succinum quo ſigno dices Epilepticis & Apoplecticis decreuiſſe? quo ambar, moſchum, maioranam betonicam, rorem marinum & huiuſmodi infinita ad cerebrum notaſſe? Num etiam ſcelerata natura eſt, quæ nocentia & iuuantia iiſdem ſæpe notauit characteribus, hominique impoſuit? Quorſum characteras imprimat, cum ex vſu humano maxime κακυργία ϗ βούθημα pendeant? Nonnulla debentur ventri pro cibo: alia pro potu. Hæc eadem etiam medicamenti ſunt vice, nec raro, ſi male vtaris, nocent, vt vinum vſu prauo. Ignis pellit frigora ab omni membro. Eadem exurit nimius. Quid hic ſigni habet? Cranium hominis alteriuſque animalis capiti, hepar lupi hepati humano, renes renibus, vẽtres ventrib. inquies ſuccurrunt. At inquam viciſſim cerebro nocet cerebrum felis: cantharides veſicæ vim afferunt, & plurium animalium vrinæ ſunt deleteriæ, ſicut & ſputa humoresque dentium & habitus, & oculi oculis obſunt. Itane illis eſt ad ſimilia character? Extrahunt chymici, &

noxam

noxam tollunt dices. Imo vero nonnunquam augent, & ne sic quidem consequuntur id quod volunt. Cranium in essentiam oleosam redactum non cranium hominis sed cerebrum sanat. Cum cerebro quid habet commune? Cur vero idem non præstat cranium felis aut lupi aut propius exprimentis hominem simiæ, Nereidis &c.? Vertant sese in omnia rerum miracula huius opinionis fautores. Nihil scientificum inuenient, sed fortuita pleraque. Causas enim permutant causis, cumq; alia virtute pern[illegible]ctio, aliam adducunt. Certe mineralium tota prog[illegible]ies illud commentum refutat. In illis inuenitur nonnunquam caluariæ similis cadmia argentosa. Ea vero extrema pernicies est & homini & bestiis pene omnibus. Quo iudicio & signatura externa cognitum eam caluariæ prodesse? Quo nocere? At non his tantum exitialis est, sed & cordi & reliquis. Cur non euertitur signum signo, si quando in vno concurrunt multa? Frustra ad extractitiones confugitur. Si enim essentiam eius cadmiæ spectes, ea purum est venenum sicut & arsenici. Neque enim verum est, quod aiunt corpora esse venenata, essentias non item. Illi arsenici corpus retinent, essentia per fumum dissipata. De stibio par ratio est. Nullum id habet argumentum, quod indicet vniuersale potius esse, quam particulare adiumentum. Nullo signo declarat se oculis prodesse magis, quam pedi-

pedibus, ſicut nec cadmia lapidoſa quam calaminarem vocant, & chalcanthum album & ſimilia. Sed cur quæ proſunt iiſdem eodem modo non habent idem ſignum vt ruta, fæniculum, chelidonia, calaminaris lapis, euphraſia, lapis hirundinum, ciconia; thymallus piſcis, ardea & huiuſmodi multa? Arbitrariæ ſunt iſtæ ſignorum interpretationes, aut fortuitæ. Fabuloſum eſt illud de ſtibii prædeſtinatione commentum, & quidem hoc ipſo exemplo audacia aſſertionis egregiæ confutatur. Cum enim diuerſis præparationibus & vſu diuerſiſſimas exerat virtutes, & occidere, ſeruareque poſſit, foriſque & intus iuuare aut nocere, num iſta omnia ſuus indicauit character: Quinam ille tandem? Quæ nota admonet artificem, vt ſic illud elaboret, & non aliter; hac forma viribusq; relinquat eſſentiam, nec procedat vlterius? Quis docuit tincturæ modum eſſe vltimum? Adime illis experientiam. Tanquam volucri alas præcideris. Plinius hanc chiromantiam vt appellant, vix in vno lithoſpermo aſſeruit, cum ſcripſit: Neque in alia herbarũ fides eſt. Vides ſtatim ad quam „ medicinam nata ſit. Eſt autem eius ſpecies „ vt etiam ſine autore vſus ſtatim noſci poſſit. „ Hæc ille. Alii omne pene lapideum calculis curandis aſſignant. Itaque & lapides animalium, piſcium, fructuum, cryſtallum, iudaicum, & alia ad hoc accommodant, quale tamen ſignum non eſt in ſaxifraga, ſuccino, oleo

Stibii prædeſtinatio ficta.

Lithoſpermum.

oleo ſcorpii, ligno nephritico & cæteris. Ego, ſi quid iudico, puto in primis rerum naturam in explorato eſſe debere, quidquid poſſit quælibet integra in vſu potiſſimum perito laudatoque. Deinde ſubſtantiam ſingularem ſenſibus & ratione probe examinatam ad leges eſſentiarum parandarum applicandam, quæ monſtrabunt quid maneat, quid decedat, quoque gradu procedendum aut quieſcendum. Non enim omni opere graduque omnis præſtat virtus. Dandum nõnihil etiam arbitrio artificis eſt, ſiue ad vſum reſpiciat prudentem, ſiue ad placitum laboret. Seruatis vbique innoxiis, aduerſa delere contendet, aut frenare. Vin' exemplo rem illuſtratam? Noſti rhabarbarum integrum diuerſas accepiſſe vires, adſtrictoriam ſcilicet & purgantem. Si illam tantum deſideras; Elabora materialiter ad alcali, vel turpethum, vt vocamus, hoc eſt, extrahe ſuccum, qui ſibi relictus purgandi vim obtinet, ſin diuapores, non purgat, ſed firmat aſtringendo, idque ſalubrius adiecto ſale proprio, quanquã hic etiam vim purgantem promoueat, & ſi copioſior eſt ad renes vertat impetum. Rurſus in aceto eſt pars aquea, & alia ignea. Vtram deſideras: ſeparationem monſtrabit præceptum artis. Aquea enim ſcandit ad legem ſtillatitiarum, primo ſequitur acor, & tandem ignea prodit arte ſpirituum. Quo alio charactere tibi hæc patuerunt, niſi ſenſus & experientiæ? Propoſitum ſit ſti-

Rhabarbarum.

Acetum.

ſit ſtibium tanquam ante non viſum. Vin ſcire elaborationis modum? Fragilis eſt, liquatuque facilis & euaporabilis ſubſtantiæ. Si deſtilles, non facile elicies humorem niſi igni vehementiſſimo. Sin calcines ſola flamma, exexpiratio eſt coniuncta. Nondum ſcis ſitne eſſentia in ſpiritu, an in calce. Excipies florem, & calcem factam retinebis. Hanc, niſi fixa eſt, fuſione vitri rediges in ſubſtantiam vitriformem, quam ſi amplius elabores, ad alcali liquatile in humido perduces: Sed & ante calcinationem vitreſcit, licet ſeruata obſcuritate inſtar concreti ſanguinis. Ex ea extrahes rubeam tincturam. Alio modo per lixiuium & acetum crocum abſtrahes. Imo ſunt elaborandi modi plures, de quibus alibi. Quo iam charactere ſcis quænam res labore tam multiplici apparata ſit eſſentia? Quis tibi præter vſum vires monſtrat? Sed & ſæpius elaborata nonnunquam toties ſunt ſpectanda, quoties fuerunt in arte. Putant aliqui tunc abſolutam rem eſſe, & ad eſſentiam perductam cum eſt puriſsima, & tranſparens, neque reuertitur ad antiquum, quanquam formas externas mutare ſoluendo, coagulando & aliis modis poſsit. Cur vero iuxta hoc axioma puriſs: ſtibii vitrum non ſit eſſentia? At hoc ſæpe tantum abeſt ab adiumento, vt etiam ad deleteria accedat. Nec potes flores, liquorem & alcali tincturamque eodem argumento repudiare. At vires non eaſdem habent nec tantum

Regulę quorundam de eſſentiis.

tum

tantum diſcrepant extrema forma, niſi adeò demens ſis, vt liquorem è ſale Alcali credas idem eſſe eſſentia chymica viribusque, cum vitro & floribus, quæ tamen generibus artis diſſident, & virtute. Tutiſſimum in his conſilium eſt poſtquam vſus & experientia monſtrarit eſſentiam ab arte elaboratam hac illaue forma eſſe ad vſum valentiſſimam, maximeq; accommodam, ad hanc maxime operando contendere. Ita conſtat ſuccini vim ſummam eſſe in oleo puro albo, citrino, rubeo (tot enim maxime colores ſunt in eius puritate). Si elaborandum eſt, non calx, quam in illa materia inepte quæras, non Alcali, non aqua ſtillatitia, quam fruſtra è ſpiritoſo ſicco pinguique expectes, & ſimilia, ſunt laborib. quærenda; ſed ad oleum ſtatim aſpirandum. Et hæc eſt illa ſumma in nonnullis prædeſtinatio veluti caryophyllos; nucem myriſticam, macim, & huiuſinodi olei vel balſami legibus ad hunc ipſum finem perducere, nec velle niſi temere in aliis luxuriari. Sūt autē nōnulla quæ tum vſus alia forma exigit, tum non repugnat natura, quanquam alia ſit ſumma, veluti ſuccini vltimus ſcopus eſt oleúm puriſſimum, at & butyri, modo poteſt concinnari. Sulphuris quoq; eſſentia oleoſa eſt. At aliquando & Alcali eius, & ſpiritus poſcitur cum tinctura, quamuis hæc oleo ipſi eſſentiali inſit: nonnunquam ſatius eſt id elaborare magiſteriorum præceptis, veluti exaltare figendo, tingendo-

Ea eſt prædeſtinatio rei optima, qua optime prodeſt, ab hac lecedut reliquç, pro gradu emolumenti. In qua autem forma optime proſit, natura & experientia oſtendit.

gendoque vt in metallis ſtabilem prębeat tin-ćturam. Sed ne ſim prolixior, iubeo huius rei cupidos ipſam artem & artificum monumenta conſulere. In ea enim quid ex quo fieri debeat poſſitque, ſiue principali fine, ſiue aliquo alio, idque vel animo, vel neceſſitate iubente, haud difficili negotio cognoſci poteſt. Alteram quæſtionem expedio paucis. Scimus hominem propoſitum rebus omnibus inferioribus eſſe, omniaque gratia eius condita, ipſum autem propter Deum, & homines factum. Arbitrio ergò creatoris omnia cætera hominis ſaluti inſeruiunt. Eum dominum & principem famulitio ſuo colere iure fati oportet omnia.

Chymia ad Dei gloriã & hominum ſalutem inuenta.

Nõ itaque culpanda eſt ſentẽtia eorum qui artem chymicam poſt Deum optimum maximum debita inde gloria venerandum, hominum cauſſa inuentam exiſtimant, vt alter alterius hoc inſtrumento ſalutem defendat æquè ac ſuam. Sed cum duæ ſint hominis partes, chymia famulatur corpori principaliter. Materiata enim exiſtens non poteſt niſi tali prodeſſe primum. Conſequenter tamen etiam animum iuuat ſeu notitia & vſu, ſeu corporeas turbas è medio tollendo, ſicque ſedatis affećtibus mentem in tanquillo ponendo. Hominis poſtea bonitatem nonnunquam experiuntur etiam beſtiæ. Sicut enim eius cauſſa primum reperta medicina aliquid opis confert, obiter etiam in beſtias hominis

gratia conditas, vt sic nihil hac quoque in parte ad hominem perueniat emolumenti; ita est & de chymia statuendum. Vtrobique tamen homo est scopus naturaliter & post Deum vltimus. Bestiis enim prosumus, vt per eas bene habeat homo. Par ratio est plantarum. Sed & noxiorum in his auertendorum caussa sæpe vsurpantur humana adminicula. Non opus est verbis in abusuum tanta procliuitate. Vtrum homini ad medicinam tantum inuenta sint Chymica artificia, an vero etiam aliorum commodorum ergo, non est iudicatu difficile. Multa certè habet Chymia etiam ad oblectamentum comparata, multa ad ornatum. Nonnulla requirit res familiaris, nonnulla publica. Chymiæ est mineralium elaboratio. Ea non semper sunt medendi instrumenta. Confirmat iudicium metallurgia tota quæ plus ad externas necessitates excolitur quam medicinæ nomine. De Gemmaria, vitrariaque non est vt dicam. Olea quoque quam multa ad alios veniunt vsus? Quod maximum perfectumque in chymia magisterium nominatur, conuersio nimirum metallorum in aurum opere philosophorum arcano, & corporis medelam sibi propositam habet, & externorum adminiculorum præsentiam. Sed vt vt plurimis hæc ars inseruit; voluerunt tamen artifices eam maximè ad valetudinis defensionem comparatam esse. Non quidem istud ex Gebro, Hermete, & similibus

Chymia nō solius medicinę gratia.

Maximum magisterium.

milibus adeo eſt conſpicuum. Sed tamen poſteriores eorum mentem declaraſſe, veriſimile eſt. Putant nonnulli poſteriores Chymicos, cum non poſſent aſſequi priorum in lapide felicitatem, aut ſaltem difficilimè poſſent, alium arti præclaræ finem quæſiuiſſe, & medicinas factitaſſe, cum nequirent metalla perfecta & gemmas. Non reiicio nec propugno coniecturam. Siue ἀτυχία & cupiditates prauæ hunc tandem finem, ne omnis temeraria eſſent opera, excogitarunt, ſiue ab initio ſtatim intento primario ſpectatus eſt idem, parum ad rem intereſt. Naturæ diuitiæ ſæpè ex fortuito alienoque patuerunt, & poſtea proprium ſibi ſtatuerunt imperium, quomodo conſentaneum eſt metalla primum obiter, nudata poſtea inter vſus humanos locum inueniſſe, & plurimas medicinarum alterius gratia aſſumtas, fors alimenti, aut etiam veneni ſtudio, notitia demum ſua in artem propriam conceſſiſſe, quomodo Plinius narrat auri ſpe minium primarium pictorib. inuentum eſſe. Hæc tibi pingui, quod aiunt, Minerua, reſcribere placuit. Si quid ſolidius ſuccurrerit, eius me admonebis. Vale.

EPISTOLA V. AN CHYMIA SIT *pecuniæ coaceruandæ gratia, & exiſtimationis inueniendæ præclara*

AND. LIBA.

Ad

Orontium Aretæum virum magnanimum.

QVANTVM ego iudico, ſatis dilucidè expediiſti id quod tibi quadam audacia, vt te ad me informandum prouocarem, propoſueram. Mihi quidem videris perſuaſiſſe, illos characteres, quos aiunt additos rebus ad vſum in homine indicandum, non huius gratia à natura inſtitutos eſſe, neque etiam certum documentum præbere poſſe, ſed ex vſus experientiæque accommodatione ad ſimilia, confictos ab hominibus. Cum enim natura per ſe ſua opera elaboret exornetque formis decentibus, & vires conferat cuique ad aliquid vtiles; accidit duo inter ſe collata quibuſdam notis conſentire, & cum alterum alterius ſignificandi gratia à natura non eſſet inuentum productumque, arripi ſignum ab homine & applicari ad rem quam is ſignatam credit, quomodo Tarquinius capita papaueris non accommodabat ad medicinam, quaſi putaret figuram iſtam capitis adiumentum deſignare, ſed ad principum in Republica tyrannidi obſtantium perniciem. Intellexi vero etiam ex te poſſe Chymicum artem ad vtilitatem quoque ſuam conuertere, quo mihi videris approbare τὸ χρηματιστικόν quorundam, qui fiducia iſtius profeſſionis & operum chymiæ, ſibi putant ad diuitias immenſas honoreſque perueniendum eſſe. Quocirca non tantum magni æſtimant venduntque ſpecies à ſe confectas, ſed & per medicinam diſciplinamque ad infinitos the-

tos thesauros sibi aditum faciunt. Negant e-
nim suam professionem à medicina esse se-
iunctam: quod chymiæ vltimus finis sit ad sa-
lutem hominis operum chymicorum con-
uersio. Negant item alium præter ipsos artifi-
ces posse factam medicinam commode ad-
hibere, quod tota medicina ex chymia pateat,
itaque sit docenda & exercenda, vt hæc præ-
scribit, nec alius habeat notum apparatum
medicamentorum, quem aiunt cuique mor-
bo peculiarem esse, quanquam hoc repugnet
aliorum placitis volentium prædestinatum
naturæ per se in homine ad suum opus con-
surgere, citraque intentionem artificis aut
medici exequi id cuius gratia est. Hic quæ-
stus profecto longè est vberrimus, præsertim
cum solennibus quibusdam encomiis sua po-
pulo commendent, quasi hæc, quam porri-
gunt, sola sit medicina, sola efficax vsusque iu-
cundissimi, facilimi, tutissimi perfectissimi-
que. Accedit illa iactantia, sibi solis constare
conficiendi modum. Ne itaque tam felici in-
uento destituatur genus humanum, docere
quidem, sed maximi, volunt, quamuis & hic
non desint qui mundum sua arte iudicent in-
dignum. Vnde ipsâ inuidiâ inuidentiores,
magisque muti quam Harpocrates aut pisces,
sua arcana in abstrusis habent, neque, vt alicui
committant, vlla re possunt induci. Alii non
quoslibet admittunt discipulos, sed religione
quadam selectos, quos etiam oportet tan-

quam ad orgia, & ſacra Eleuſinia quam deuotiſſime iurato æterno ſilentio accedere. Quid mirum autem annatare aliquos Thúnos tam ſuauiter, tantaque ſpe bonorum ineſcatos? De hoc fine admodum vellem te pluribus diſſeruiſſe. Videtur enim eiuſmodi quædam perſuaſio occupaſſe etiam animos à vulgo erectiores, vt putent, cum abſque ſumtibus & adminiculis foris petendis non poſſit eſſe hæc vita; illa vero ſcientia promittat viam facilem, longeque aliis fœcundiorem, aureis argenteiſque nummis ad quælibet comparanda repertis: omnino diſcendam eſſe pecuniarum cauſſa Chymiam. Nolo tamen tibi moleſtus eſſe, & à magis neceſſariis ad hæc fors ingrata tuam auocare attentionem. Probe videtur de huiuſmodi diſſerere Ariſtoteles, cuius ſententiam ſcio tibi in hac re non videri contemnendam. ἑκάστου (inquit) κτήματος διττὴ ἡ χρῆσίς ἐστιν. Ἀμφότεραι δὲ καθ᾽ αὑτὸ μὲν, ἀλλ᾽ οὐχ ὁμοίως καθ᾽ αὑτὸ, ἀλλ᾽ ἡ μὲν οἰκεία ἡ δ᾽ οὐκ οἰκεία τοῦ πράγματος, οἷον ὑποδήματος ἥ τε ὑπόδεσις, καὶ ἡ μεταβλητική. Poterit itaque chymicus ſuæ artis operibus aut ad medendum aliaque commoda humanæ vitæ vti, quem vſum Philoſophus interiorem vocat & rei domeſticum, veluti cum calceus pedum muniendorum gratia factus ad hoc ipſum adhibetur: aut ea rei familiaris publicæque cauſſa permutare, ſeu venditione eorum ſibi acquirere vitæ publicæ & priuatæ adminicula.

Tali ſententia Romani imbuti fuerunt Horatii tempore, vt eſt in 1 Epiſt. lib. 1: Hor. O ciues ciues, &c.

1. Polit. 6.

nicula, qui finis licet item eis per ſe competat, tamen reſpectu illius eſt externus & quodammodo alienus. Sed hæc natura à deprauatis cupiditatum infinitate hominibus non raro peruertitur, ſiue τὸ ζῆν ſimpliciter reſpicias ſiue τὸ εὖ ζῆν. Quæ vitæ duntaxat ſe natos putant ſuoque abdominii, εἰς ἄπειρον τῆς ἐπιθυμίας οὔσης, inquit Philoſophus, καὶ τῶν ποιητικῶν ἀπείρων ἐπιθυμοῦσιν. Hi ſunt illi qui omne ſtudium in opum quæſtum ſibi, vt viuant tantum, ponendum putant. Itaque etiam in infinitum corradunt diuitias non impendentes viciſſim bonæ vitæ cauſſa. Sed alii etiam bene & cum honore ſplendoreque viuere deſiderant. Itaque τὸ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικὰς ζητοῦσιν. Ἐν περιβολῇ γὰρ οὔσης τῆς ἀπολαύσεως, τὴν τῆς ἀπολαυστικῆς ὑπερβολῆς ποιητικὴν ζητοῦσι. κἂν μὴ διὰ τῆς χρηματιστικῆς δύνονται πορίζειν. δι᾽ ἄλλης αἰτίας τοῦτο πειρῶνται, ἑκάστῃ χρώμενοι τῶν δυνάμεων οὐ κατὰ φύσιν. Hinc euenire putandum eſt vt auari Chymici animum ad diuitias pecuniamque adiicientes pulcherrima abutantur arte contra eius naturam: magnates vero qui auri gratia tales ad ſe inuitãt, ſui ſplendoris voluptatumque quærant inexhauſtum fontem, & ſimiliter naturam artis peruertant, faciantque perinde ac qui noſtro tempore bella ſuſcipiunt militantque non fortitudinis cauſſa, ſed vt per hanc eiusve ſpeciem ſibi, vnde liberaliter ſplendideve viuant, comparent, quod & ipſum repugnat

Fortitudo.

fortitudinis naturæ ἀνδρείας γὰρ οὐ χρήματα ποιεῖν ἔστιν, ἀλλὰ θάρσος· Οὐδὲ στρατηγικῆς καὶ ἰατρικῆς, ἀλλὰ τῆς μὲν νίκην, τῆς δ᾽ ὑγίειαν. Hac ſententia philoſophi ad chymicum ſtudium accommodata nunc acquieſco. Satis ſplendoris eſt artifici ex honeſtæ liberaliſque artis ſcientia & exercitio ad vtilitatem hominum per ſe comparato: Satis item ad familiam ſuſtentandam iuuandamque ſocietatem emolumenti, ex iuſtitiæ opera æquiualente precio compenſantis legibus. Non enim cogetur ſua gratis temereque profundere. Flagitioſum vero illud genus hominũ eſt quod naturā deprauat & alieno principio male accommodato infamiam conciliat arti. Nos hoc operam dabimus, vt iniquè de ea ſentientibus perſuadeamus vſum iſtum non eſſe artis genuinum, ſed ex alio fundamento, cupiditatum ſcilicet improbarum, aut neceſſitate expenſarum ad ſplendorem vitæ conſeruandum profectum non rectè ad artem referri, quomodo & alias res præclaras inquinare ſolet, & quaſi à naturæ ſtatu ad corruptelam traducere abuſus. Tu cura vt valeas. Valenti enim rectè corpore animoque neque πρὸς τὸ ζῆν adminicula ſufficientia deerunt, neque πρὸς τὸ εὖ ζῆν εὐπορίαι. Vale. 14. Decemb. 97.

EPIST.

EPIST. VI.

De quodam fine socio ad illustrandas artes cognatas.

AND. LIBAVII
Ad

Iacobum Zvingerum phil. & medicum Basiliensem.

NON esse vilium sordidarumque artium vnam chymiam, IACOBE, sed inter honoratas nomen quoque profiteri suum, non tantum res ipsa conuincit, sed & rei astipulantur philosophorum summorum, inter quos non vltimum locum tulit felicis memoriæ pater tuus, testimonia locupletia & luculenta facta. Quo enim studio in ea versati sunt ingeniosorum multi? Quo illam excoluit labore & industria genitor tuus? Multa ei debent ob præclaram operam Musæ Iatricæ: multa Philosophicæ; sed non pauca etiam chymicæ. Itaq; & si quid mihi ea in re vel iudicii est vel autoritatis, non immerito inter Chymiæ veræ principes eius nomen reponere debui, & quanquam ingenii præstantia laudatissimorumq; operum excellentia aliâs sit celeberrimus, conferre tamen etiam de meo aliquid, & quantum in me est posteritati huius viri famam commendare, cuius opera, studium, eruditio & fides in cõmune profuit omnibus. Sed in illa arte lubitum est mihi tecum quiddam pro iure liberaliter philosophantium

contemplari, & poſtquam de aliis finibus vſuque cætero cum aliis egi, nunc ad ſocietatem coniunctionemque illam, qua omnes artes inter ſe cohærere exiſtimantur, conuertere cogitationẽ. Vulgare illud eſt, omnium inter ſe vnam eſſe copulatiuam, vt loquuntur. Neque enim tantum vno philoſophiæ complexu continentur omnes quas libero homine dignas arbitrantur, ita vt cognatio affinitaſque ipſis ſit ex vniuerſitate ſtudiorum ſapientiæ, cuius tãquam vnius genuinique ſunt corporis membra: verum etiam ita inter ſe ſunt deuinctæ, vt nonnullæ ſubalternent, patianturque iura ſuperiorum: nonnullæ vero etiam in eadem re commune habeant imperium: omnes eâdem gaudeant methodo; omnes ſua præcepta amice alteris accommodent, vt inde quandocũque opus eſt, lux accedat alteris ſine alterius detrimento. Quid dicam de fine communi, ad iuuandam humanæ ſocietatis conſuetudinem? Manifeſta ſunt hæc, inque omnium verſantur oculis. Illud paulo obſcurius, & neſcio an etiam à vero alienius, quod nonnulli contendunt, ita præ aliis excellere chymiam, vt non tantum methodo naturæ ſit nobilior, ſed & in præcepta inquirat, congruant, ne ad iuſtitię veritatis, ſapientiæque leges in logico theatro propoſitas generatim, an non? Quocirca putatur etiam nonnulla veterum placita non in generalibus duntaxat artibus, ſed & ſpecialibus

Artium cognatio.

Chymiæ abuſus ad mutanda præcepta aliarum artium

libus, mutare, nonnulla corrigere ſuaque fide totum ſyſtema vndiquaque ſtabilire. Limis admodum tranſuerſiſque hanc ſeu poteſtatem ſeu arrogantiam intuentur philoſophorum reliquorum concilia, nec videntur ferre poſſe licentiam, tam temere, vt arbitrantur, ſibi raptam. Sed tamen perpendendum eſt hoc poſtulatum, propoſitis ordine ſecundum ſpeciem rebus, vt pateat quid natura ferat, & quid ei vendicent minus decenter aduocati. Nolo ponere nomina. Scio enim plæraque faſtidiri. Volunt initio aliquid (neque enim omnium eadem eſt cenſura) qui ſe chymicæ profeſſionis titulo iactitant, Theologiæ ita inſeruire ſuam artem, vt nonnulla longe ſecus, ac factum hactenus eſt in ſchola ſacerdotum, explicanda docendaque eſſe conuincat. De mundi creatione quid ſcriptum ſit in ſacris, ex litera noſti. In principio " creauit DEVS cœlum & terrã, dicit MOSES, " terra inani exiſtente & vacua, tenebriſque oc- " cupantibus abyſſum, & ſpiritu Domini fo- " uente aquas, &c. Ne te morer multis, ex ma- " gni artificii chymici regula aliqui, aliqui ex microcoſmi fabrica longe aliam nobis exprimunt ſententiam, quã verba præſeferunt. Cum enim opus lapidis dicatur ab Hermete mundi inſtar fieri; & ſimilia ſe declarent mutuo, putant non terram ab initio creatam eſſe, nec cœlum, ſed materiam aquæ ſpeciem per ſe ferentem, ita vt iuxta D. PETRVM omnia

Creatio mundi per chymiam declarata.

mnia initio fuerint aqua, & ex aqua extiterint, quæ est ratio Mercurii philosophorum. In ea aqua latuerunt Elementa quatuor (aiunt); latuit & cœlum. Miram philosophiam audies, sed paucis. Cœlum inde emersit cum igni, petiuitque superiora specie nigra. Ita enim tenebræ incumbunt abysso, donec stellis in cœlo accensis lux exoriatur. Aliqui dicunt, id fumi spiritusue instar exaltatum esse, sicut videmus in destillatione sublimationeque, vapores & halitus ascendere coagularique in summo: Vnde cœli substantia nihil sit aliud quam feruentissimus spirituum, concitatissimusque in sublimi coagulatus. Solutione enim & coagulatione totam mundi œconomiam conficiunt. Terra hæsit in imo inanis & vacua. Quidam eam factam tradunt coagulatione ex aqua illa corpulenta, vt reducatur nobis illa veterum σύγκρισις καὶ διάκρισις. Aqua inter cœlum & terram hæsit aëreæ naturæ particeps. Quid enim aliud aër est quam aqua extensa seu resoluta? Quid aliud aqua quam aër coagulatus? Subtilior & diaphana eiusdem pars aër est, crassior aqua. Ita DEVM condidisse quatuor mundi capsulas aiunt, & præterea ex illis separasse quintam naturam, quæ sortita sit vim generationis rerum, dandæque essentiæ inferioribus per collatum salē sulphur & hydrargyrum. Vnde postea iterum extractæ illæ essentiæ appellentur quintæ. Sed qua arte emerserunt Stellæ? Coagula-
tionis

tionis nimirum exaltationisque progressu, sicut subinde nobilius fit opus philosophicum, & astralem induit naturam. Sed oporret me sermonem abrumpere propter sequentia. Sapienti sat dictum est. Homo quomodo est creatus? Duplici, vt ostendit chymia, & analogia microcosmica cum macrocosmo. Coagulauit ex humore femineo secundum Hiobum, vt hodie fit in generatione. Quæ enim huius ratio est, ea & creationis: Et sicut Mercurius philosophorum maiorque mundus concreuit ex aqua, ita & homo. Pudet dicere quæ in libro vitæ paracelsi scripta extant. Quẽ incedit voluptas portenta legendi, adire illud monstrum potest. Omnia autem ista creduntur effecta manu ignique DEI. Hęc.n. duo instrumenta etiam ars habet, post præcepta artis, quæ sequitur artifex tanquam ideas illas & exemplar platonicum. Cum mundus est interiturus, qua arte modoque instaurandus est? Igni quidem seruatur destruendus. Ita enim in opere philosophico ignis externi excessus destruit omnia. Reuocatur ex iisdem principiis, nempe aqua, & ignis regimine debito maturescit absoluiturque, seclusis omnibus erratis & pollutionibus, ad purissimi rubini perfectissimam naturã. Illud interest inter artem chymicam, & DEI potentiam, quod hic subito facit, quæ illa gradatim ex rudi absoluit. Quomodo placent tibi huiusmodi interpretamenta? Sed inuadunt etiam Dialecticam,

Creatio hominis explicito nonnullorum.

Mundi restitutio.

ćticam, reprehenduntque illa rerum genera decem, negantes Ariſtotelicos illos moroſos inſulſoſque (tales enim habentur) intelligere ſubſtantiam & accidens, formam & qualitates & reliqua. Quid ita vero? Materiatas ſenſileſque res pro ſubſtantiis habent dementer. Non enim ſubſtantia eſt id quod ſenſu cognoſcis: ſed ſubſtantiæ capſula & accidens: Non eſt rei qualitas illa externa elementaris: ſed quædam potentia interior & ſepcifica. Corpus ergo chymia docet eſſe accidens, & non ſubſtantiam: nec actiones paſſioneſque & reliqua ſunt ea quæ videntur Peripato, verum longe alia. Ita eſt de relatis. Omitto reliqua. Eſt enim tibi nota hæc deliratio. In Phyſicis quantus eſt reprehenſionum cumulus? Habent quidem & iſti chymici materiam primam, ſed ab Ariſtotelica, qualem ſaltem interpretes cōminiſcuntur, longe diuerſam. Rerum principia ſunt ſulphur, ſal: Mercurius ſecundum ſubſtantiam, ex quibus conficitur illa materia chymica, quā putant & phyſicam principali iure eſſe, ſiue generice intelligas, ſiue ſpeciatim. In his quoque ſulphur magis eſt actiuum, Mercurius magis materialis, ſal formam creditur prębere: Phyſicorum vero illa Elementaris exploditur. Nihil interit chymico. Ariſtoteli eſt corruptio & generatio, illa ab Ente ad nō Ens, hæc contra. Chymicis ea res eſt occultatio accidentaria in corporib. ſicut generatio in eiſdem eſt manifeſtatio.

De ſubſtantia & accidente.

Principia.

tio. Quæ hactenus ἐκ τῶν ἀδυνάτων apud Physicos fuerunt, chymicis fiunt δυνατά. In vnum enim locum proprium compingunt multa; vacuitates in capsulis elementorum statuunt dimensiones penetrant spiritibus, infinitum actuale inter corpora ponunt, cum essentiarum claustris corporeis occultatarum non sit numerus, nec finita magnitudo. De generabilibus trāsmutabilibusq; quātū variant? Libeat tibi intueri Ideā Seuerini. Rerū naturā mutatā cognosces, pro vt est Aristotelicorū obsoleta doctrina. Iam & medicina non aliquatenus, sed tota transformatur in aliud schema, alia præcepta, noua vocabula & loquendi modos. Ridentur temperamenta, qualitates sensiles, humores. Non vrina appellanda est, sed sal solutus: non bilis sed liquor arsenicalis, &c. Arbitrantur enim omnia humana & rebus ipsis & rerum notis congruere cum mineralibus & astralibus, cum sal terræ & sal animalis perinde sint, fiantque lapides in homine eodem modo, vt in fluminibus. Cor non cor est, sed Sol, leo, aurum. Cerebrum non est cerebrū sed alijs hydrargyrus aliis luna. Quæ demētia est omnia ita immutare? Imo illi nos nō amentiæ tantū accusant, sed & scelerata peruersitatis, q̃ tam sinistri cæceq; in rerū natura versemur, cumq; erremus ipsi, scientes volentesque, non audita chymicorum istorum sapientia, in errorem rapiamus alios. Nobis non viuunt mineralia, Chymicis viuunt. Deprehendunt

hendũt.n. æqualia in osse hominis & osse terrę, si ita licet appellare. Chymia veras ventorũ origines monstrat ex resolutione terrei sicci, vnde aucti halitus impetum acquirunt, & obuia quæuis protrudere conantur. Quis fulmina rectius explicauit chymico? Sulphur & halonitrum, non illa stulta exhalatio Aristotelis cum frigore & calore obsesso id efficiunt. Negatum est ex incorporeo & immateriato fieri corpus. At ecce chymicus ostendit hoc ad oculum, dum specificas qualitates spiritusque coagulat in corpora satis factu perceptilia. Vnde imbecillitates in rebus? Non ex passionibus & vi elemẽtari. Substantia ipsa perpetitur nihil. Corporum est imbecillitas defectus & mors tandem ipsa, hoc est accidentium. Omnis enim essentia immortalis est. Hinc ratio resurrectionis humanę explicari potest, dicique, cur anima ab obitu sit superstes, & vnde reditura corporibus vita. Morborum caussas ridicule explicarunt Galenici. Si sciuissent adiacentium eas esse, non essentiarum, aliter sensissent, atque ita etiam fundamentum sanationum correxissent, asserentes nõ contrarium contrario esse remedio, sed simile simili. Omnis enim medela fit per essentias, quæ naturæ nostræ nec aduersantur, dumque ei succurrunt, obiter accidentia in corporibus tollunt, quæ est cura accidentaria, & non primaria Medico. Quid de Anatomicorum studio dicam? Nihil ineptius esse chymia tota euincit,

uincit, vera anatomia est, cor mundanum à suo inuolucro liberare, idque conciliare cum corde humano. Carnes qui secat & scrutatur loculamenta spirituum, non plus laudis meretur quam è macello lanio quiuis. Sed desinam tandem, ne me totam illam Camerinam hausisse putes. Quid sentiam de tam præclaro Chymiæ vsu, cogitabis. Ego quidem alibi satis me aperui. Versatus sum in illo studio mediocriter, non passus mihi animum præoccupari huius illiusve Philosophi auctoritate aut verbis. Dico quod res est, multa nimirum artis chymicæ opera egregiè posse illustrari, multorumque causas inueniri exactius, quam iudicant è vulgo nonnulli. Sed integras artes mutare, præceptis linguaque abiurandis, neutiquam video in eius potestate esse. Imò confirmat plæraque, tantum abest vt aboleat. Apparet autem istorum hominum vesania maximè in Theologicis, & impossibilibus naturæ. Non si ex vno producantur multa, euertitur axioma de vno vnius corporis loco proprio. Actu vnum quod erat, potestate est multa. At nunc non plura vno occupat loca. Semel dico non est Chymiæ euertere aliarum artium solida & genuina decreta, non est. Affingitur hoc ei calumniose, quod cum tu intelligas præclarè, ne quid dubitare de industria videar tua, sermonem abrumpo. Vale. 14. Decemb. 97.

D EPIST.

EPISTOLA VII. SINTNE O-mnia naturæ opera imperfecta, vt necesse sit ea per chymiam perfici.

Ad Iacobum Zvvingerum phil. & medicum præstantem.

INGRATVS quidem est sententiarum semper conflictus. Veruntamen qui veritatem docere, erroribusque oppositis illustrare cupit, ad illum ipsum necessitate trahitur. Quanquam itaque molestus acerbusque est bolus iste, deglutiendus tamen & tenebris profligatis, lux syncera oculis inferenda. Scripsit pridem Philosophus de naturæ operibus & fine, ὅτι ἡ φύσις μηδὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην, καὶ ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα. Hoc ex tripode naturæ prolatum oraculum conuellitur quadam chymicorum censura. Dicunt enim omnia naturæ opera esse imperfecta; perfici autem magisterio suo. Videri poterat hoc iudicium idem ei quod in problematis extat. Naturam nimirum praue omnia facere & plura praua quam proba; nisi eodem in loco eiusdem infirmitatis etiam ars accusaretur. Nam & hæc asseritur praue omnia facere, pluraque praua quam proba relinquere, id quod arguat architectonica, vestiaria, pictura, &c. Sed hoc illis chymicis non arridet. Potius enim videri volũt omnia proba machinari quã praua. Natura, inquiunt, vincitur ab arte in multis, quæ-

1. Pol. li. 5. de an. inces-su cap. 10. 2. de part. a. 14.

tis, quæque ipsa nequit, ars perficit vt etiam est in 2. Phys. tex. 79. Non posse vero illam perficere sua', aperta concludunt ratione. Omnia hominis gratia procreat. Hactenus itaque omnia sunt perfecta absolutaque si quam optimè ei prosunt. At sine corporib. superuacuis capsulisque nihil producit natura. Eas vero tum non prodesse homini, tum etiam obesse sæpe, longe lateque patet per totam alimentorum medicinarumque contemplationem. Quorsum enim tot superfluitates? Vnde excretiones tam multæ? Perfecta si opera naturæ forent, nihil esset abundans, nihil ablegaretur. Cum autem secernuntur plurima, naturam non esse assecutam optimum conuincitur. In optimo enim nihil est praui, nihil abiectile. Chymia vero secernendi potentiam adepta semouet inutilia, colligit proficua, eaque corpori hominis postea ita accommodat vt tota in eius naturam concedant, cuius gratia erant procreata. Sed finge naturam absoluere etiam essentias cupere. At non potest per turbas, & pericula aliaque cum quibus conflictatur, incommoda. Non nascitur res sine fulcro; non alitur foris synceris. Munimenta multa requirunt iniuriæ. Satis erat animali substantia animæ & carnis. Hæc enim potissima solaque necessaria pars est eius. At neutiquam exequi munia posset sua, absque sustentaculis.

Hæc cum non ſint de ſubſtantia eius, tamen adeſſe oportet propter viuendi agendique commoditatem. Parum futurum erat τὸ ζῆν, oportebat etiam εὖ ζῆν. Et huius gratia multa concurrerunt. Sed cum reſpicimus vſum in hominis ſalute, licet ibi non erant temerè, hic tamen ſunt. Non opus eſt pedibus medicinæ, vt ad hominem perueniat, nec alimento pennis. Itaque diſcalceantur excorianturque boues; aues exuuntur plumis, & vel abiiciuntur hæc, vel ad alios minus neceſſarios vertuntur vſus. Omnino tunc bona perfectaque ad hominem res eſt, cum ſegregata per chymiam pura putaque redditur. His ita ſuppoſitis negant facere officium medicos, qui, cum eos ad defectus ſuos compenſandos produxerit natura, ita tamen eam relinquunt vt inueniunt, hoc eſt, ſtercora cum Margaritis, cadauera cum eſſentia viua, locumque cum locatis propinãt, viderique volunt, quaſi re præclare geſta, ſuæ ſatisfeciſſe functioni. Venenãt naturam hominis, non iuuant, & in mala immedicabilia ſcientes volenteſque præcipitant. Naturam ducem ſequi, ſemper optimum eſt habitum. At ea vt fruatur ſubſtantiis nucleoque, cortices detrahit, ſeparatque. Ars medicorum, quæ negotium faceſſit naturæ afflictæ morbis, neutiquam poteſt eſſe bene comparata. Atqui debuerat eſſe, cum in ſupplementum naturæ ſit excogitata. His & ſimilibus argumentis vetuſtos inceſ-

ſunt hi

ſunt hi qui ſe chymicos appellant, & euidentiſſime à ſe demonſtratum putant, nihil ad hominis vtilitatem, quæ proxima eſt animi auxiliis, & poſt hæc ſummam obtinet in corpore conſeruando dignitatem, adhibendum eſſe niſi eſſentias meras; atque ideo inuigilare ſuis magiſteriis chymicum. Mirifica horum vis eſt, & non abſque plauſu. Videmus nimirum ita fieri etiam in officina ſutoria, veſtiaria & reliquis. Omnes enim vt vltimum artis ſuæ ad hominem minore neceſſitate defendendum aſſequantur, proiectilia ſecernunt damnantque. Solus medicus vellera & ouem deuoranda ſimul exhibet, quæ certè grauis eſt aduerſaria, & probrum non leue. Sed de medicorum inſtituto defenſioneque ſcripſi etiam aliâs. Nunc illud ſaltem tibi probare volebam, arbitrii potius, quam neceſſitatis eſſe, omnia naturalia quæ ſubiacent arti (quædam enim non ſubeſſe, vt cælum, animas, qualitates, apertum eſt) ad eſſentias per Chymiam deducere, niſi quid exprimat violenti circũmſtantia, καὶ ἡ ἐξ ὑποθέσεως ἀνάγκη. Argumenta, qua es induſtria, vides ipſe. Sed num mihi quoque ſeu pari ſolertia, ſeu felicitate cernantur proferanturque, tibi iudicandum relinquo. Puto enim Chymicum non omnia debere eſſentiis. Etiam in magiſteriis non pœnitendam ponit operam. Hæc autem item ad hominis emolumentum comparata eſſe, fortaſſis inficias iuerit nemo. Deinde multa

proſtant in natura, quæ per ſe ſatis ſunt apta ad hominem ſuſtentandum. Fruſtra vero elaboraueris in eo, quod laborem vlteriorem non requirit, ſed ad finem præſtandum iam eſt paratum. Hoc autem comprobauit experientia, tum neceſſitatis tempore, tum abſque ea. Quis enim apricaturo petat radios ſolares chymicè depuratos? Quis refrigerium ab aqua aereve frigido quærenti hunc prius in officina elaboret? Nunc expectes in ſiti ad fontem, donec cum deſtillatorio aſſit artifex? Corpus animi gratia dicitur eſſe à Platonicis, quamquam fors rectius dixeris, ſi de homine ſentias, hominis ergo. Si ſat bene ſeruit famulaturque animo, ſat agit benè. Poſſe autem id procurari adminiculis integrorum quid eſt notius? Naturam ducem ſequendam eſſe monent præclarè. Quæ vero natura eſt quæ magis delectetur ollulis chymicorum quam coquorum Chytropodibus? Ipſi chymici qua re victitant? Num eſſentiis ſuis? Minimè omnium. Integris vtuntur luxurianturque ſatis aptè. Eadem natura fruſtra dediſſet ſegregationum inſtrumenta, ſi voluiſſet nos nudis vti chymicorum ferculis. Quotus vero quiſque eſt, ſi illa chymica voret, qui non reddat aliquid ſuperfluum, experiaturque id ſibi minus ſuaue? Quæ conſeruatio nobilior nutritione eſt ad ſubſtantiæ integritatem? Medicinas maior hominum pars abhorret, atque etiam omnes ſi fre-

ſi frequentes. Non enim benè, ſed malè inde afficiuntur. Vtcumque ergò in nonnullis aliquando præclarè deſudat Chymia, in omnibus tamen, quæ adiumento ſunt hominibus id fieri non eſt neceſſe. Conſequens eſt nec imperfecta dediſſe naturam. Quæ enim hominis gratia principaliter dedit, cum is varia deſideret auxilia, quod ſic non commodat καθ' ὅλυ, id ne putandum quidem eſt huius gratia collatum eſſe. Ad aliam ſeruetur neceſſitatem. Naſcitur arſenicum, napellus, ſcorpio, vellera ouium, coria boum, ligna, &c. Ideon' vt comedas, & pro cibo vtaris? Minimè vero omnium. Vnumquodque iſtorum ſuo fungitur munere, ſuo loco & ſtatione. Videndum, ne iniurius in naturam ſis, qui permutare vſus velis, niſi ipſa ambiguum, arbitrariumque tibi reliquerit auxilium. Dicunt illi venena eſſe ſeparanda, vt poſſit auxilium nudum accommodari. Sed non eſt veteratoria, nec nouerca natura. Copiam adminiculorum procreauit. Quod ſi tamen aliqua neceſſitas ex accidente te in inopiam præcipitauerit; tunc præſto eſt ars illa laudata, & ſi qua eſt alia, quam miſeriæ humanæ excogitarunt, non felicitates. Huius neceſſitatis gratia etiam extructa ſunt pharmacopolia, in quibus in omnem euentum inſtructum ſeruatur penu. Hoc admittit etiam auxilia Chymica, non ex omni re conquiſita, ſed ex

his quas maxime comprobauit vtendi neceſſitas & experientia. Poſſe tamen quæ artis facultati ſunt ſubiecta elaborari omnia, non puto negandum eſſe. Eam enim vim pollicetur artis integra conſtitutio. Reliqua tuæ relinquo admonitioni. Non enim dubito quin multa habeas & cumulatiora, & iudicii exactioris. Vale.

EPISTOLA VIII. CHYMIAM NON cuiuslibet eſſe ſed periti, virique humanæ ſalutis ſtudioſi, cum & ea faciat quæ malo vſu ſunt venena;

AD

PRVDENTIVM OMNIBONVM De honeſtis.

RECTE ſentis, mi Omnibone, odioſam eſſe & cruce dignam illius vocem qui ſcripſit, tantum pollere Alchymiam, vt adminiſtrata per artificem ex rebus quibuscumque, nihil niſi quod hominis naturæ familiare eſt & ſalubre, inſtar apis etiam ex venenatis floribus mel proficuum legentis, relicto eo, in quo virus detrimentumque eſt, excipiat & elaboret ita, vt poſtea duntaxat præbitum abſque omni aſtantium cura in corporibus humanis expugnato morbo feliciſſimum ſit remedium. Memini me vanitatem hanc & peſtilentem perſuaſionem in quo-

In quodam ex Paracelsi fece falsi conuicisse. Tua argumenta vt vidi, præclara certe iudicaui. Fortissime enim solidissimeque istam euertunt opinionem. Sed est quod te monendum puto. Non quidem ignoro eius stultitiæ impudentiæq; esse Paracelsi pedissequos, vt suo igni menstruis, aliisque instrumentis id ausint ascribere, quos tu idem ingeniose iuxtá ac neruose confutasti, quandoquidem ea res non est simpliciter & pro se suo instinctu agentis naturæ brutæ, sed intelligentis, quæ certa sit in qua parte lateat venenum, & quousque producendus sit labor chymicus, vt vsui respondeat opera: Sed attende, tamen ne is autor, apud quem tu ista legisti verba, recte sit locutus, tropoque commisso lectorem fefellerit. Fortassis enim non Vulcano, & succis, quos menstrua vocant, id asscripsit, sed artis laudato fini, & artifici qui suo ingenio peritiaque vsus eius præcepta dirigit, vt per instrumenta assequatur id quod instituit. Reuera ignis non eligit materiam, sed pro sua natura agit in vnamquamque dispositam. At artifex formam agendi ab arte sequens, ex proæresi sua iuxta finem quem intendit idoneam conquirit, adhibetque postea id artis documentum, quo possit commode præparari. Si quis indiscretim secundum quoduis præceptum in quauis re velit operari, si non proficit, aut venenum pro auxilio salubri fabricat, non artis ea culpa est; sed aut imperitiæ ar-

tem vſurpantis aut malitiæ. Diuerſos rerum vſus, & apparatus in numerato oportet habere Chymicum, neque temere agere, ſi quando incognita adoritur. Multa ſunt in Chymicis artificiis, quę vſu malitioſo non iuuant hominem, ſed perimunt. Hydrargyrum purgatum multis experientiæ teſtimoniis conſtat venenum non eſſe. Idem iudicium eſt ſalis. Chalcanthum qui venenum eſſe putat, ignorat eius vim ſalubrem vſu bono in liquore, quem ſpiritum nominant, quanquam etiam iuxta magiſteria repurgatum & prouide vſurpatum nihil habere virulenti deprehendatur. De Alumine non eſt vt dicam. Noſti enim hoc vulgari vſu immiſceri ſuccis, & iuſculis congelandis. Iunge vero illas res etiam puras, & compoſitis hydrargyro, ſale chalcanthoque per ſublimationem effice quod ſublimatum argentum viuum vocant: ſi ad animalia referas, quid aliud quam venenum genueris. Ars vero non vult te veneficum eſſe, neque etiam artifex hoc ſtudebit artis præſidio. Vnius rei multi ſunt fines. Ad alia itaque, non ad potandum, fit illud magiſterium. Nec minus noxiam feceris aquam deſtillatione, ſi ex alumine, ſale & chalcantho liquorem elicueris, additoque poſtea ſublimato, laborem repetiueris. Iudicandum eſt de hoc idem quod de priore. Meminit Scaliger cuiuſdã plantæ peregrinæ, quæ tota minus ſit noxia, at per deſtillationem aquam exhibeat præſentis pernicieí.

Chymia etiam Venena facit.

niciei. Sane ille iudicat artis operæ deberi veneni citatiorem facultatem. Nemo vero est, quin de talibus agens, pro exemplo adducat Yucæ succum & porri aliorumque. Negare non possumus, hos fieri artis extractoriæ instituto. Mel pronunciat Paracelsus destillatione in venenum abire. Stibium integrum licet sat magna quantitate absque vlla noxa in corpus immittere, at non eius florem album sublimatione factum, quemadmodum nec vitrum catharticum. Vitriolum album integrum quadam dosi innoxia potes: Calcem vero eius neutiquam, Plumbi massas in suo corpore diu gestarunt nonnulli, atque etiam deglutitas ventriculo immiserũt. Veteribus ex eo fiebant globuli ad intestinorũ obstructionem. At non est similis vsus Cerussæ, & lithargyri. Vidit Platerus, Auicenna, Falloppius, Massaria & alii multi grandem quantitatem hydrargyri sine vllo incommodo tanquam aquam potulentã ebibitam. Si præcipitati tantum præbere velles, iugulares hominem. Videntur etiam quædam per se venena, compositionibus chymicis euadere longe truculentiora. Quidã. n. Realgar suum fabricant ex sulphure, calce viua & arsenico: quidam quam Risam galli nominant (quæ vox conuenit cum germanica Reuschgehl quasi auripigmẽtum diceres) ex duplici concinnant arsenico, quorum tamen ynum satis erat ad interimendum. Ita tincturæ metallorum, & additamenta

Realgar.

menta

menta iis elaborandis destinata non raro sunt præsentissima venena. Omnium fabricandorum præcepta habet Alchymia, sed non ad vsus eosdem. Per se itaque illa innocua est nec malefica. Sua enim suis vsibus, iisque laudatis & concessis addixit. Actum de cuiuslibet artis maiestate & innocentia est, si in virum malum incidat, qui ea ad sua scelera flagitiaq; abutatur. Huiusmodi vero admonitiones cautiores reddere debent tyrones, ne imparati & temere ad hanc aduolent scientiam, nec putent sibi licere quoduis quouis vsurpare modo. Verum enimuero, mi Omnibone, tanti est industria artificis periti, vt etiam quæ hoc apparatu, vsuque præsentissima forent venena, aliis artificiis, & adhibitione in saluberrima possit vertere auxilia, venenique vim vna extractam denuo separare. Exemplo nobis est illa decantata Yuca. Quanquam enim pręsenter interimat succus recens expressus, tamen accedente diuaporatione omnẽ veneni facultatem obliuiscitur, fitque vsu etiam interno saluberrimus. De Toxico Hispanorũ audiuisti sæpius. Id vel halitu cydoniorum euadit innoxium & elumbe. Napelli succus adeo exitiosus est, vt, teste Ponzetto, non quouis vase possit contineri, tanquam altera Stygia. Sine eum ad ignem difflare; & experire in bestia. Mirabere ignauiam. Flos albus antimonii nõ est absque veneno, si statim ab officina, nec vlteriore opera elaboratus deglutiatur. Sed præma-

præmaceratum aceto ſtillatitio coque, & expirare ſinito: noxa m ſuſtuleris. Ita artifices ſublimatum quoque addita ſtibii vel tartari eſſentia cò ſublimitatis perducunt, vt à perito artifice in maximis adhibitum malis ad miraculum vſque conducat. Quæ olea nimis ſunt ſpirituoſa, adeo vt colliquando nocerent, vel abſque fructu præteruolarent, ea rectificát certis expirationum modis, quomodo & Empyreumata aquarum tollunt. Quæ materialiora, quam vt efficacem vim & citum præbeant auxilium, deprehendunt, ea nobilita nt vel repetita ſeparatione, vel circulatione. Non accuſanda ars eſt, imperitia peccante. Neque eſt cuiuſuis in periculoſis elaborare & experiri velle. Tutius tyrones in leuioribus artem exercent: veluti ſpiritum vitrioli acidum etiam ſcrupulari quantitate liquoribus, ſuccis, aliiſue permiſtum dederit artifex impune, ſicubi non eſt vnionis ſolutio, aut ventriculus labefactus æruginoſis humoribus. Si tyro vnam atque alteram guttam experiri velit, ſecurius conſulat. Sed & magiſter opera ſolertiore tam excellentem reddet medicinam, vt in nonnullis morbis ſit miraculi inſtar. Talem elaborationẽ putantur nonnulli vocare prædeſtinationem naturæ ſummam, quandoquidem melior fieri nulla alia artis ope poſſit, vt hac acquiſita plane ſit quies, cum in aliis inferioribus etiam porro procedere liceat. Scribit alicubi chymicus non ignobilis ſe omnia

vene-

venena per artem fixa, absque cunctatione potaturum, quo facto excellenrem eius operationem videtur cōmendare. Ego vero tam confidens esse nolim, nec Napellū vtcunque paratum, vt nec cadmiam argentosam, arsenicum, & cæteraesitare. Non quodvis transit in quoduis sed in determinatum, ipsaque venena ét concocta in Indiorum rege non exuebant naturam. Si itē aliqua venenis est essentia, non est solida gloria pro rei substantia cadauera offerre. Sed ne te diutius detineam, aut erudire velle videar ipse erudiri indigus, desino, & te valere iubeo. 15. Decemb: 97. Rotemburgi ad Tub:

EPIST: IX. CHYMIAE PRAECEPTA ET *artificia dispersa esse in varias officinas, vbi nōnunquam polluantur accessu alienorum. Et obiter de Purpuræ ex Plinio confectione.*

Ad

Paulum Simlerum Philos. & medicum excellentem Traiecti Sueuorum.

SÆPE cogitaui de vulgari illo verbo, quo aiunt, Neminem posse simul plura, eaq; omnia recte agere: quod principium infelicitatis sit, relicto priore vitæ genere ad aliud temere discedere, & pluribus opificiis manum admouere. Credo & tibi in scholis olim tyroni sępe occentum esse versiculum istum:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus

Perin-

Perinde enim ſeſe habet in intellectu ac in ſenſu, potiſſimumque viſu. Multa ſimul obtutu vno videre non poſſumus? Perpendiculo enim in punctum directa tunc acies eſt, at παροπᾶν ſeu aſpectu perfunctorieque cernere multa ſimul licet, ſed tamen vnum principaliter, reliqua obiter neglectimque. Aliâs attentio deficit, notitiaque in omnibus. Ita in tactu in quem defixi ſumus motum, eum eliſo altero ſolum percipimus euidenter. Nec auditus alium obſeruat morem. Sonum vnum cui aurem præbemus attente, exacte iudicare conceſſum eſt: multos ſimul, niſi ad vnum redactos, neutiquam. Sed tamen illa ipſa documenta non parum mihi videntur labefactari experientia. In harmonia multi ſunt ſoni ſingulares. Eos omnes ſimul tum auris bene percipit, modo ſit conſtituta bene, tum mens artificis iudicat. Faciem formoſam cum intueris, cur non ſimul totam æſtimes, licet partibus conſtet diſcrepantibus? Et eſt vt in ſono harmonia, ita in cōſpiratione colorum figurarumque conſenſio. Qui genera animalium habet nota, eadem opera ſimul intelligit ſpecies. Fingere vero etiam libet monopolam quendam variarum mercium, cuius vna taberna ſit in India, altera in beatis Inſulis, tertia Venetiis, quarta Vlyſſibonæ, cæteræ alibi. Omnes nō vnum tractant mercimonium. At ſi aſſit induſtria diligentiaque in omnibus, proficitur ad illam immenſitatem opum, quas noui-

novimus sibi parasse quosdam. Domina plurimarum artium est chymia, plures aperuit officinas. Cur non omnibus bene præsit, omniaq; recte disponat laboriosus chymicus? An minor ei potestas quam Dialectico, qui cum artem habeat instructissimam & in varia officia diuisam, omnibus tamen ita præest, vt nullum negligat? In solio thronoque Dariũ collocabat Philosophus in sua de mundo contemplatione, ipsumque corpore immotum animo per tot regna pervagantem, & porrectis manibus vbiuis administrantem iusta tanquam Dei vicarium repræsentabat. Num itaque refellimus illa prouerbialia, an subtili quadam ratione explicamus? Non facit præter officium chymia, si in multas se diuidit societates. Dei quidem est tam absoluta facultas, vt ipse vnus adesse omnibus, eaque digerere nutu voluntatis suæ recte queat. Sed cum ab ipso ad hominẽ peruenerit scintilla quædam diuinæ auræ & simulacrum imitari hic quodammodo τὸ θεῖον potest, & variis instrumentis famulitioque fido id peragere, quod particulatim ipse non poterat. Interim tanquã Logista quidam singulas rationes ad vnam generalem vocat tabulam, ex qua diiudicat æstimatq; partes & totũ. Quemadmodum Imperator per satellites & stipatores gubernat imperium vastum; ita chymicus vario ministerio opera variarum officinarum. Qui ergo excoquit elaboratq; metalla, vt ex lapi-

lapidibus ſegreget nobilem ſubſtantiam, famulus eſt Chymici. Qui gemmas fodit & expolit, eiuſdem eſt miniſter. Qui eraſis arborum corticibus euocat pinguedinem, vt reſinam picemque vel lacrymam etiam ex aliis plantis inciſis, vice fungitur chymici. Nonnihil accepit inde bractearius, nonnihil Chryſopæus; aliquid tinctores: plurima pharmacorum adminiſter, & alii opifices de quibus memini actum à me eſſe ſuperiori libro. Subit autem etiam prudentia eiusdem ſeu Domini, ſeu præſidis iſtorum ſubditorum. Quæ enim præſtantiora ſunt operum, quibus & ingenio opus eſt penitiore, & peritia ſingulari, quæque maieſtatem præ ſe ferunt quandam, & in admiratione ampliſſima poſſunt ſuum conſtituere profeſſorem, ea non commiſit gregali famulitio, ſed aut per optimates adminiſtrat aut tractat ipſe. Medicorum calliditatem in hoc eſt ſecutus, qui vulnerum & ſimilium curam raro adoriuntur ipſi, ſed retenta ſibi theorica dignitate, iureq; dominii, operas manuarias permittũt chirurgis, de quibus tamen rectè an ſecus agentib. liberam ſtatuendi reſeruarunt poteſtatem. Illi ipſi nolentes pharmaca terere, ſuccos exprimere & reliqua huius officii magis ſeruilia quam liberalia aggredi, hic quoq; ſibi proſpexerunt de miniſterio. Pari dexteritate ius & dignitatem ſuæ artis aſſeruit Chymicus. Itaq; & inuenias nomina permutata. Nã cum metallurgus chy-

miæ famuletur, eiusque partem tractet, non tamen vocari chymicus solet. Ita est de cæteris abiectioribus. At cum artifex ipse summus miracula rerum promit, & ex argento facit aurum; ex pipere oleum præstans, ex vino essentiam quintam, tunc artis vocabulo nuncupatur, tametsi etiam metallicæ officinæ possint ex ferro æs, & contra ex ære ferrum facere, & aniculæ aquam ardentem ex vini cereuisiæque fecibus aut polenta prolicere: è iuniperis, cerasiis, pomis, &c. succos extrahere & similia facere. Non appellabam Alchymistam illum rusticum, qui nuper apud me profitebatur aquæ Iuniperinæ destillationem descensoriam, eamque ita dextrè describebat vt admirationi esset, qui tanta sapientia in tam sordido homine habitare posset? Non dignamur chymici honore eum, quem alicubi nouimus antimonii vitrum præparare solerter. Sicut poëtæ nomen solis illis destinat Horatius, quibus ingenium est sublimius & os magna sonaturum; ita chymicus est non ille particulæ vnius atque alterius effector, sed totius artis professor & in mirabilioribus elaborator. Verum his relictis placet tecum in tinctoriam irrepere, ibique nostræ chymiæ particulam aliquanto accuratius inuestigare & iudicare. Purpuræ faciendæ rationem interisse, quia in nullo est hodie vsu, atque ideo impune per maria vagantur murices, buccina, purpuræ, &c. arbitrantur,

De purpura.

trantur,

trantur, siue ipsum artificium obliteratū, nec cōstet præparandi tingendiq; ratio, siue coccino aliisq; colorib. iuuentis in serico purpuræ succus satis superque ad dignitatem & luxum compensetur, vt non sit opus maria scrutari, & tanto precio florem ex faucibus ostreorum raptum lanis inducere. Sed ego artem intermissam successu aliarum tincturarum minus sumptuose parandarum, & damno operarum iudico, non defecisse ignorantia. Quanto enim in precio fuerit purpura, tum PLINIVS indicat, tum Aristoteles scribens nonnullas ex magnis purpuris ad minæ precium peruenisse, cum posterioribus temporibus idem ferè color longè minoris tingeretur. Itaque non artis inscitia, quam Plinius accuratè literis tradidit, sed vilioris permutatione cecidit. Si libet paulisper in eam intendamus aciem intellectus, & num ad nostra ingenia, fiducia scientiæ chymicæ, possit accommodari, experiamur. Primum docet Plinius, quo tempore & modo legitimè capiendæ sint purpuræ, post canis ortum scilicet, & ante tempus vernum, quandoquidem cum fœtificauere fluxos habeant succos ad splendorem operis minus idoneos, licet id negligant officinæ. Modus capiendi fuit per pisciculos, vel conchas paruulas raro textu coniunctas in modum nassæ, & prius esurie domitas vt quasi semineces apparerent. Hæc textura in altum proiiciebatur. Tunc enim con-

Plin. lib. 9. cap. 38. & 39.
Arist. 5. hist. 15.

chæ ſe aperiunt, purpuræq; eſcam quærentes linguas inſerunt. Sed illæ ſe pungi ſentientes clauduntur, & ſic retinent purpuras, quæ tandem ſubiecta naſſa extrahuntur. Alias enim elabi ſolent remittentibus conchis. Ita duo genera purpurarum ex ſententia Plinii capta ſunt, maius & minus. Deinde explicat idem auctor qua in parte gerant illum tinguendis lanis vtilem ſuccum ſeu florem, in faucibus ſcilicet mediis vena candida, quanquam parua quantitate: venam hanc eximi viuis, adhærente aliqua carnis portiuncula, idque in maioribus, cum minores frangantur trapetis. Ita quæſita materia tincturæ eſt. Sunt autem illa ex Ariſtotelis Græco reddita, quanquam neſcio an ſatis fideliter. Ita loquitur ille: ἁλίσκονται τοῦ ἔαρος ὅταν κηριάζωσιν, ὑπὸ κύνα δὲ οὐχ ἁλίσκονται. Οὐ γὰρ νέμονται. ἀλλὰ κρύπτουσιν ἑαυτὰς, καὶ φωλεύουσι. τὸ δὲ ἄνθος ἔχουσιν ἀνὰ μέσον τῆς μήκωνος καὶ τοῦ τραχήλου. τούτων δὲ ἐστιν ἡ σύμφυσις πυκνή. τὸ χρῶμα δὲ ἰδεῖν ὥσπερ ὑμὴν λευκὸς, ὃν ἂν ἀφαιρῶσι. θλιβόμενος δὲ βάπτει καὶ ἀνθίζει τὴν χεῖρα. ἡ δὲ ἄλλη σύμφυσις οἷον στυπτηρίας. ὅταν δὲ κηριάζωσιν αἱ πορφύραι τότε χείριστον ἔχουσιν τὸ ἄνθος. Vide & reliqua ibidem. Ratio apparatus & elaborationis ad tinguendum à Plinio elegantius magnificentiusque deſcribitur, quam vtile erat diſciplinæ. Non raro deprehendimus eloquentiam obſiſtere ſimplicitati doctrinæ. Debuerat itaque paulo rudius pinguiuſque

artem

artem pertexuisse. Sed studeamus eam aperire nostris verbis. Centenis floris extracti libris adiiciendos sextarios salis singulos putat, & macerandam misturam triduo, quandoquidem longius spacium colorem reddat deteriorem. Nostri chymici fortassis iuberent centupondio (ad libram Romanam) floris adiicere sesquilibram salis, & vtrumque simul loco tepẽte macerare, & quasi putrefacere. Interim ad coquendum cortinæ fornacisque structura erit consideranda. In hac enim non est paruum artis momentum. Probat Plinius cortinam plumbeam, quali vtuntur etiam ad nonnullos minerales succos eliciendos. Huic adaptandus est longinquæ fornacis cuniculus vt modico queat vapore torreri. Non satis intelligo huius fornacis rationem. Vaporarium tamen eligi vox vaporis iudicat. Chymico fors esset balneum vaporis, seu vapidum, aut roridum. Sed cum grandiloqui sæpius permutẽt vocabula propria impropriis, potuit per vaporem non humidus, sed siccus qui alioquin est halitus, accipi, quomodo in opere magni artificii ignem vaporosum requirunt, qui certè non est spiritus humidi (licet & de hoc aliqui præcipiant, sed non ex sensu peritorum) sed sicci. Si itaque de gradu ignis dicendum sit, vox Torreri indicat siccum: vox modico, primum aut secundum, qualem aliâs per cineres elutos procurant notantque, solis forna-

Apparatus tincturæ purpureæ.

Dispositio vasorum cocturæ.

cisque modo competente. Humidus enim balneo, vel fimo intelligitur. Vocant etiam stufam siccam, cum in catino nudo est materia cum liquore. Quinam autem est ille longinquæ fornacis cuniculus? Da veniam diuinanti. Noui in officinis metallicis nonnunquam subterraneo cuniculo imponi ignes, ita tamen, vt illis in postrema parte sursum pateat ad ahenam ollasve via. Putemus velle Plinium, vt vapor seu calor ab igni non recta & proxime verberet catinum, sed procul dirigatur per canalem quantus satis est ad gradum ignis lentum. In hoc enim summa negotii est, lente coquere materiam & paulatim despumare. Sic purgamenta spumosa vnà cum carnibus venisque secedent, & liquor iuri sese immiscebit. Qui nequit Plinianam fornacem assequi, ei satis est si quauis alia industria hunc lentum calorem procuret, ne vitietur coloris dignitas violentia ignis, aut adustio eueniat. Constructa fornace, materia putrefacta ponenda in cortina & perfundenda aqua est, ita vt amphora huius (seu sextarii 48. aut lib. 72. sextario pro vnciis octodecim accepto) capiatur, illius vero libræ centum quinquaginta; vel si vna opera plus elaborare consilium est, oportet illam obseruare proportionem. Minus enim aquæ est, quam floris, subduplum nimirum ferè. His ita peractis, curandum est, vt secundum verba Plinii igni supposito mistu-

Artificium coquendi floris.

miſtura ferueat, hoc eſt, vt ipſe ſeipſum explicat, modico vapore torreatur, vtrobique ſimplicioribus imponente grandiloquentia non admodum grata veritatis luci. Neque enim ferueſactio, neque toſtio in hoc opere locum habere videtur, multo minus vſtio, cuius in ſequentibus facit mentionem. Certè admodum lentam eſſe coctionem, intelligitur ex dierum numero, qui ſunt in illam inſumendi & tincturæ lege. Decimo enim fermè abſolui dicit, vt poſſit experimentum tincturæ capi. Iuſtius lentam appellares digeſtionem, aut, cum ſeparationis gratia inſtituatur, putrefactionem chymicam. Interim carnes & ſpumæ membranæque à tinctura liberatæ ſunt tollendæ, quæ res non eſt abſque agitatione & conſideratione frequente, in interuallis ſemper tecto vaſe, & igne induſtriè gubernato. Ne ſemper abſtinendum ſit, chymici furnum aceſiæ admouent, aut illud, quod ſtufam ſiccam vocant, vaporant è foco ſubiecto, vel laterali propagato tubulis canalibusve calore competente. Finis eſt vt liquefactis iſtis ſegregetur color tincturæ ab alienis, aquæ ſe committat, & iuſtam tum conſiſtentiam tum lucem acquirat. Purpurarum maiorum ſaniem, & buccinorum virus ita præparatum fuiſſe, ex Plinio liquet. Quomodo paruæ Conchæ fuerint tractatæ, vix verbo ille indicauit, nempe

trapetis fuisse, fractas. Sed Philosophus in libello de coloribus paulò luculentius iudicat primum fuisse tusas; postea vniuersam humiditatem ex eis elutam effusamque in cortinas, & coctam, primò apparente nullo colore in tincturis, sed postea humido magis concocto, cum interim varii conspicerentur. Necesse itaque est & hic aquam adiectam fuisse cum Sale, & coctionem continuatam vsque ad coloris constantiam, finemque desideratū. In Conchyliis, hoc est, murice, quod est genus diuersum à purpura, concha minore & buccino, coctio quidem iisdem peracta fuit vasis, sed temperatura & fine diuerso. De his Plinius ita, in conchyliata veste, inquit, cætera eadem sine buccino, præterque ius temperaturæ æque pro indiuiso humani potus excremento dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor saturitate fraudata tantoque dilucidior, quanto magis vellera esuriunt. Ostrum nimirum describit, quo nomine appellant muricis sanguine tinctam vestem, quæ eadem & Conchyliata est. Cruorem autem muricis dicunt esse grauem in succo, coloris austeri in glauco, & irascenti similis mari. Vnde aliqui vocant Halurgū, quod tamen nomen diuersum aliâs colorem designat, quam quem Conchyliatæ habent. Hic enim cæruleus est vt heliotropii, vel violæ serotinæ, aut florum maluæ, vt alibi indicat Plinius

Temperatura ad conchylia.

Cruor muricis.

Color Conchyliatæ purpuræ.

Plinius, & licet intelligere ex glauco austeroque conchyliorum sanguine. Fieri tamen potest, vt ad amethystum, & coccũ ipse quasi in medio interiectus, in diuersis accedat propius Apparatus eius dicitur conuenire cum purpuræ confectione, & sine buccino esse, vt credendum sit tincturam esse simplicem. Sed admiscendum tamen vrinæ humanæ tantundem est, vt indicat vox, Æque, & ita coctio instituenda, vt non separetur amplius, & paulo liquidius ius relinquatur. Non enim ad eam spissitudinem redigitur, quam in purpura obseruari dixit. Etsi accesserit quoque infecturæ tenuitas, vel si ita tingantur vellera vt saturitas absit, & magis esuriant, hoc est admodum tenuiter diluteque tingantur, pallor ille laudatus obtinetur, quem lib. 21. cap. 8. argumento heliotropi & cæterorum florum indicat. Sed videamus tingendi rationem Parato purpurarum succo immergitur vellus eluciatum seu lana pura caminata & eluta, deque vase suo in cortinam translata (id quod signari voce elutriati solet, quasi lutro hoc est vase in quo dilutum est & emundatum, exemtpũ & alteri immissum dicas) exploraturq; tincturæ bonitas. Si respondet voto, & color placet, ad cocturæ finem est peruentum. Sin ob aquam adiectam consistentia dilutior crudiorque est, continuatur coctio ad iustam spissitudinem & splendorem, quod Plinius dicit: Donec spei satisfiat vritur liquor: quod

Ratio tingendi.

Elutriatus.

de purpuræ flore est intelligendum potius quam de conchyliis. Quæ vero spes illa? Rubeus color, ait, nigrante deterior. Itaque cum in uellere vel lana rubedo diluta apparet, nondum perfectus succus est: cum rubedo conueniens purpuræ, siquidem hæc simplex spectatur, nec licet prodire vlterius, hic standum. Nam & rubras purpuras simplices fuisse consentaneum est. Aliàs vltimus scopus est rubicundus nigricans cum splendore, citra tamen vstionem, léta diuaporatione agitationeque assidua & circumspecta cauendam, quanquam Plinius dicat vri liquorem. In conchyliata scopus est pallor laudatus, de quo ante. Præstantior hic est si respondet violæ serotinæ quam ile prouunciat esse conchyliorũ vegetissimam, modo nobis constaret, quæ nam esset hæc absque dubio. Putare licet interim violaceum colorem notari multo albo mistum, qualis est in floribus cichorii cæruleis, aut in caudæ panonis ambitu oculi á latere spectato, qui tamen est virore perfusus & aliqua flauitie aut viola canina dicta.

Conchyliatæ scopus.

lib.21.cap.8.

Scopo in experiméto cognito, relinquitur lana in succo horis quinis, vt potet colorem plenius. Extractæ primæ submittitur alia carnimata idque donec absumpta sit sanies tota. Nonnunquam pro lana creta tingitur vt fiat purpurissum. Ratio tincturæ eadem est quæ lanæ. Inter coquendum etiam quæ spuma purpurea enatat, seponitur pro iudicio pictoribus.

ctoribus vtili. Nam recrementa quoque obiter facta non sunt proiectanea, sicut nostro tempore, qui Brasilio Vercinio & Cocco tingunt feces, cogunt in laccæ quandam speciem adusus pictorum. Ita est de purpura simplici & conchyliata veste. Buccino nulla peculiaris tinctura parata est, quia dilutiorem habet florem, cumque fluxum, & euanidum remittentem, vt ait Plinius, fucum. Ad misturas tamen etiam hoc est petitum, & præsertim pelagio alligatum, hoc est, iunctum purpuræ in mari libere vagantis cruori, itaque factum, vt maneat quasi astrictum. Porro de tinctura mista, operta, & repetita legimus buccinum pelagio fuisse m stum, vel inductum. Vnde pro diuersitate temperaturæ cocturæque diuersi emerserunt colores, quos iteratis infecturis siue in eodem, siue diuerso iure variabant. Nec in cruoribus concharum id factum solis est, vt sic omnis purpura esset halurgos seu maris opus, etiam ad coccum est progressum, huiusque color præmissus Tyrio peperit Hysginum. De his libet audire Pliniū ipsum. Iuuat ludere impendio, inquit, & lusus geminare miscendo iterum, & ipsa adulterare adulteria naturæ. Votum quoque factum è vitio portentosis ingeniis, & gemina demonstrata via luxuriæ, vt color alius operiretur alio, suauior ita fieri, leuiorque dictus: quæ verba explicant geminam misti coloris rationem. Aut enim ipsa medicamina in cortinis fuc-

Buccinum.

Purpura composita.

Hysginum.

fuerunt confuſa, aut alterum alteri inductum in ipſa lana, quæ ratio non tantum in vno genere valuit, marino ſcilicet, ſed & marino terreſtrique ſimul. Illius exemplum his proponitur. Buccinum pelagio admodum alligatur, nimiæque eius nigritiæ dat auſteritatem illam nitoremq;, qui quæritur, cocci. Ita permixtis viribus alterum altero excitatur, aut aſtringitur. Summa medicaminis in libras vellerum de buccino ducentæ, pelagio centum & vndecim. Ita fit amethyſti color eximius ille. Hæc de miſtura. Ex ſumma votoque tincturæ colligas duplicem eius modum deſcribi, vt exiſtat rubrum coccineum, qualis forte fuit rubra Tarentina & amethyſtinum eximium, quanquam huius duntaxat temperaturam iudicauit, niſi velis vno eodemque coctionis iure & coccinum nitidum, & amethyſtinum factum duplici voto laboribus diuerſis quomodo nouimus coquendi gradibus euenire. Rubuiſſe vero coccum non opus eſt teſtimonio. Qui color amethyſti eximius fuerit, in gemmæ hiſtoria exponitur, Perlucent, inquit, omnes violaceo colore. Indica abſolutum purpuræ habet, ad hancque tingentium officinæ ſua dirigunt vota. Fundit autem eum aſpectu leuiter blandum; Præcellens debet eſſe in ſuſpectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leuiter roſeus nitor, quo ſigno patet nihil abſurdi eſſe quod dixi eadem temperatura diuerſé præparata aut pota. coccineum

Purpura coccinea.

Amethyſtina.

Amethyſti color.

tineum vel amethystinum fuisse procuratum. Certe si violam martiam contemplemur, in ea occurrit coccinei cæruleiq; potentia albo & nigro diuersimode cõmistis. Posterior infectura, qua colori color inducitur frequentior fuit. Inde extitit Tyria purpura vnius infecturæ, & Tyria dibapha, inde dicta quod bis tincta esset veluti magnifico impendio, qualiter Plinii ætate omnes pene commodiores purpuræ tingebantur. Ea successit rubræ Tarẽtinæ. In monobapha Tyria vellus seu lana primum fuit satiata (seu permissa bibere quantum potuit) pelagio, seu purpuræ liberæ flore, immatura adhuc viridique cortina, seu nondum cocto colore ad consistentiam illam spissiorem, quę requiritur ad purpuram simplicem, mox permutata in buccino seu translata ad alteram cortinam, in qua buccini liquor iam lege artis coctus erat, colorem acquisiuit, cuius laus summa fuit, sanguinis concreti nigricans aspectu idemque suspectu refulgens, quo argumento vult Plinius Homero dictum sanguinem purpureum, quanquã, vt sanguinis sunt differentiæ, ita & Tyriæ purpuræ fuisse, alteramque altera magis & illustrius rubuisse, nemo fortasse dubitet. Dibapha Tyria si scopum attigit, argumẽto monobaphæ, necessario nigricauit magis. Sed credi potest dilutiores remansisse in tinctura, & inæquales colores, ne atra plane euaserit. Oportet pelagio primum lanam immitti, po-

Tyria monobapha.

Dibapha Tyria.

ſtea buccino: Hinc reddi pelagio, ſed fortaſſe dilutiori. Neque etiam puto iterum buccino fuiſſe immerſam: Porro amethyſtina purpura Tyrio fuit operta vt ex violaceo ſanguineoq; ſeu rubro genitus ſit ille, quem Tyriamethyſtum nuncuparunt. Idem tentatum eſt in conchyliata. Ita enim Plinius: Non eſt ſatis abſtuliſſe gemmæ nomen amethyſtum. Rurſum abſolutus inebriatur Tyrio, vt ſit ex vtroque nomen improbum Tyriamethyſtus, ſimulque luxuria duplex: Et cum confecere conchylia, tranſire melius in Tyrium putant. Pœnitentia hoc primum debet inueniſſe, artifice mutante quod damnabat, &c. Nominant & Tyrianthinum. Sed quem? Num Tyriamethyſtum, an conchyliatam Tyriam? Incertum quidem hoc mihi. Hanc tamen puto & Tyrium oſtrum dictum, & cum Ianthinum ſit violaceum, quo colore laudatur Amethyſtus, non abſurdum iudico eundem feciſſe Tyrianthinum & Tyriamethyſtum. Cum item inebriari Tyrio ſcribit, primum quidem miſturam buccini & pelagii habuit, ſed poſtea cum Tyria tinctura ſit inductitia, debuit prius pelagio infici, poſtea buccino, an ſatis erat tantum ius vnum, ſeu pelagium, ſeu buccinum? Tandem cocco, ſeu infectura Chermeſina inuenta, acceſſit miſtura noua, qua cocco tinctũ Tyrio tingebatur vt fieret Hyſginum, quod diſtare à dibapha Tyria colore luculentiore puto & ſumtu minore. Dũ ille Hyſ-

Tyriamethyſtus.

Videtur ille eſſe quem noſtri vocãt rot-braun ex violaceo & rubro qualis etiã eſt Hyacinthi rubri vel quem pauonaceum Itali, ex violaceo & nigro: ſeu pauco cæruleo, plure nigro.

Hyſginum.

Hyſginũ dicit, nonnulli legunt bis Byſſinũ, vt ſit ſenſus Plinii de coco Byſſino tincto Tyrio. Reprehendunt hoc alii, negantque Byſſinum tinctum fuiſſe cocco. Plinius ſane cum de Aſbeſto ſcripſit, Byſſini mentionem fecit, & linum fuiſſe colligere eſt proximi principatus poſt Aſbeſtum, mulierũ maxime deliciis circa Elim in Achaia genitum. Purpureæ tincturæ ſubiectum non erat linum ſed lana, vellera ue & ſericum, cumque Aſbeſtum ignibus repurgaretur, idem congruere videtur & Byſſino, vt ſic albus ſplendor in eo dominari ſit credendus. Nihil tamen eſt abſoni à vero, Byſſum purpuræ ſanguine infici potuiſſe, vt linum molle ſerici æmulum. Sed vt ad purpuram redeam, vnde quæſo tam multiplex color, ex hæmatidibus? Puto te intellexiſſe temperaturæ diuerſitatem vnam fuiſſe cauſam, aliam coctionis diſcrepantiam, vnde dilutior ſpiſſiorue color varietatem dedit, tertiam miſturam, quartam inductum colori colorem. Primariam attigit philoſophus lib. 5. hiſt. cap. 15. Magnæ conchæ, inquit, plurimæ nigrum habent florem, nonnullæ rubeum paucum, ſicut & paruæ littorales. In locis Borealibus is eſt niger, in Auſtralibus rubeus vt plurimum. Huic Plinius atteſtatur quidem, ſed obſcuriore ſono. Innuit enim pelagium fuiſſe nimis nigrum, Buccium nimis debile, dilutum & euanidum: Conchylium pallidum coccum rubens,

Vnde tam multiplex ex floribus Concharũ tinctura.

quem colorem in conchis minoribus quoq; fuisse licet existimare, cum dicat philosophus paruas ad littora & oras reperiri flore rubro. Caussam tam varii cruoris loca victumque esse manifestum est, postea hyemes & calores. Itaque Laconica purpura, Tyria, & Getula præclarę fuerunt. Cum item Plinius Lutense & Algense genus ponat, vtroq; melius Teniense pronunciat, quanquam & hoc leuius atque dilutius. Etiam hic pabulo soloque discernit, & quod Aristoteles scripserat teterrimum florem habere cum fauificant, id Plinius quoque retulit, dicens fluxos habere succos cum fœtificauere, quanquam id ignorent officinæ. Nonnihil etiam neglectioni electionis deberi credendum est, cumque cum vita dicantur euomere florem, hoc est amittere, vt splendorem nitedulæ, quo morti viciniores sunt, eo peiorem succum esse verisimile est. Sed quo me rapuit purpurarum admiratio? De chymicis operibus in varias officinas dispersis inceperam, id exemplo purpureę tincturę elaborandæ confirmaturus, fere tinctorem egi purpurarium.

Plin: lib: 9. cap:36. Tyrius præcipuus Asię in meninge Africę & Getulo littore Oceani, in Laconica Europæ. Item libro 34. cap. 6. Tyrium, Getulicum Laconicum, vnde precio sissimæ purpuræ.

Ignosce loquacitati, & vale. 9. Febr. 98. Rotemb.

EPIST: X. DE PVRPVRAE COloribus, Problemata quædam.

Ad

Præ-

Præstantem virum D. Paulum Simlerum Philos: & Medicum Traiecti Sueuorum Franciæ.

QVOD Pollionem dixisse memorant, commodè agendo factum esse, vt sæpè ageret, sed sæpe agendo accidisse, vt minus commodè, cum assiduitate nimia facilitas potius quam facultas, nec fiducia sed temeritas pareretur; vnde raro fit faciẽdum quod accuratè factum velimus, id ipsum video mihi hoc tempore & instituto vsurpandum esse. Placuit tibi à me commercium literarum. Effecisti vt cõmodè egisse arbitrarer, oporteretq; nihil intermittere quin plurib. semper scriptis te abundatiore perfunderem voluptate. Sed euenit mihi idem quod Pollioni. Minus enim commodè ago dum sæpè: scriboq; facilitate & temeritate potius, quam fiducia & facultate. Amor tuus certè me peccare fecit, alioquin tam rarus essem in literis, quam suæ latinitati parcunt illi Itali Erasmi, à quib. vt maxime vrgeas, nec verbum quidem latinum possis exsculpere, cum tamen vbi necessitas virum postulat, videantur vel Salustium, vel Ciceronẽ eloquio referre, & quasi descripto exactè dicere, quanquã nescio quid in hac re sit tam præclaræ laudis aut admirationis. Ciceroni certè exercitia frequentia maiorem vim ad orationis rationisq; facultatem & sapientiam adepta videntur adeo, vt ipse necesse habuerit se ad Philosophiam silente foro conferre, ne illa ipsa quæ in se fuit facultas orationis exarescere:

Raro faciendum quod recte fieri volumus ex Pollionis sententia.

Fertilis assiduo si non renouetur aratro, Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Scilicet ingenium longa rubigine læsum, Torpet, & est multo quã fuit ante minus.

ret:quod etiam Poëtas & Aristotelem indicasse video, estq; linguarum ea conditio vt ni in frequente sint vsu, plane in desuetudinem difficultatemq; & inscitiam abeant tãtum abest vt facultatem cõseruent. Qui apud nostros germanos nescit expedite & ex tẽpore loqui, eo habetur inertior, quo est cunctantior, crediturq; memoriȩ mãdasse paragraphos quosdam, cum tandẽ necessitate coactus quasi de scripto, verba facit. Sed placeant sibi illi Itali suo more & ne amittant facultatem, vel nunquam latinè loquantur; ego non verebor amore exercitiorum vel plane ineptus videri, & te rogo vt temeritatem hanc scribas in amicitiæ tabulis charactere beneuolentiæ Hieroglyphico. Ne vero sim instar pugillarium intellectus rasorum, aut asymbolos ad epulas tuas veniam purpureum de purpura iterum texam sermonem, vt qũo minor eius nobis est copia, hoc maius appareat noscendi desideriũ. Ita enim comparatum est in rebus humanis: præsentia odimus, absentia requirimus affectamurq; studiose, & noua ita impense amamus vt Romani Balsamum noui orbis & Hispaniæ recens inuentæ, quem initio scribit Monardes in tanto precio & admiratione fuisse, vt vncia centum venierit coronatis, postea adeo vilescentem copia, vt etiam gratis daretur, precii vastitate addente autoritatem rei & vires: vilitate vero iterum adimente, vt fieri solet in omnibus nouis, notisq;. Credi potest

Balsamus noui orbis.

(nisi

(nisi merces noua veterem preciosiorem regno expulit) ita purpuram viluisse regibus nō amplius inuenientib. quo discrimine vestitus à satelitib. distare & internosci possent, vt nostro tempore nō facilé herū & seruum, Dominum & ancillam in delicatorib. familiis distinguas. Cocco ergo pro purpura arrepto paulatim hæc siluit, & disciplinā tandem penitus amisit. Gratum faceremus vniuersæ nobilitati, si colloquiis inuestigationeq; nostra denuo ex mari proreperet purpura, & hexamitas coccineas sericasq; vestes ad plebem reiiceret, damnaretq; seruitutis. Sed quidnam tandem, inquies, de purpura affers? Multa inquam genera purpurarū fuisse, inuenio. Mentionē enim faciunt autores Tyriæ, Ægyptiæ, Laconicæ, & cæterarū à locis nomen adeptarum; postea etiā Hysginæ, Iāthinæ, Coccineæ seu chermesinę, Hyacinthinę, Tyriamethystinę; Tyriāthinę & huiusmodi quarum quędam monobaphæ, quędā dibaphę; aliquę solo purpurarū, buccini cōchyliorūve sanguine infectæ, aliquæ plantarū succis, aliquæ vtrisq;. In his, si elabores, possis quidem genera nōnulla inuenire; sed ego discrimen à coloribus malebam, vt possemus Grāmaticis interpretibusq; in scholis aliquid ad suos autores eo rectius explicandos afferre momenti Physicos. n. quid conemur amplius molestare, & in lucū ligna ferre? Norunt illi conchylia, buccina, purpuros, conchasq; pictorum: Norunt coccum infectoriū, phycū,

Purpureæ vestes multæ.

rubiam tinctorũ, granum bibinellæ, hyacinthũ galliç, violã purpureã & cæteras plantas, quarũ ſuccis ſericum etiamnũ hodie inficitur. Sciunt & animalcula illa ſeu vermes ex ſanguiſorba & coccoſcolecio, eosq; quorũ Cardanus meminit. Nec latet eos materia moduſq; infectionis. Non poſſumus quicquam addere ad lucẽ horum. Grammatici videntur adhuc aliquid à nobis expectare. Horum quoq; deſiderio nõ nihil eſt dandum. Scribit Bartholomæus Marãtha in lib. 1. de Theriaca explicans bituminis Iudaici hiſtoriam & notas, purpureũ propriè ſignificare illam gratiam & viuacitatem, quæ in vnoquoq; colore, qui gratus eſt oculis, & delectat viſum, ineſſe poteſt, & nũc vulgo vocatur color Chremeſinus, quæ vox nõ vni tãtum colori deſtinata ſit, ſed multis aut fortaſſe omnib. veluti rubro, purpureo, ſeu pauonaceo, qui eſt violę nigræ, incarnato, albo, viridique: putat etiam luteo nigroq; conuenire ſi modus reperiretur, quomodo dicitur purpureum rubrũ, ruſſum (incarnatũ ſeu Hepaticũ, vel cupreũ) puniceum, nigrũ, album, quo pacto alii, niues purpureas, Horatius purpureos vocârit olores, qui ſunt albi: & omnino cuicunq; colori concilietur ille ſplendor gratus oculis, quem voce purpuræ exprimere voluerint, eum dici poſſe purpureũ. Addit tamen in fine iſtius loci, nõ negandum eſſe nomen purpuræ, plurimum tribui rubro & pauonaceo ſeu violaceo. Ita Marantha. Si vera ſcribit, in pro-

Purpureum quid Marantha.

propatulo eſt, cur mare vocetur purpureum & halurgũ, nec eget res diſceptationib. Quicunque pictor colori ſuo addiderit lucem gratã, is purpuriſſo pinxerit ; & debebitur multum etiam prelis & lęuigatoriis inſtrumentis. Sed ego multum dubito de Marantheæ ſententiæ veritate, quanquam fortaſſis in bitumine dici poſſit, id purpureũ à ſplendore vocari, intelligendo ſcil. ſpeciatim eum, qui eſt in purpura nigricante. Purpureum & veſtem purpurem propriè (κυρίως) & principaliter puto appellatam eſſe à purpura, quæ eſt maris incola ex genere teſtaceo, floremq; ſanguineum gerit in faucib. quo cũ tingerentur lanæ ſericæ, & pãni cretaue, inde purpuræ & purpureæ veſtes vocabantur, hinc purpuriſſum. Poſtea ab excellentia iſtius tincturæ & ſimilitudine, etiam conchyliorũ, & buccinorum, quæq; adhibitis vnà purpuris fiebat, idem nomen eſt cõſecuta, quãquam adiectione interdũ ſit variata dictio, vt conchyliata purpura, vel conchyliata veſtis, & oſtrũ generico nomine, & porro etiam à locis vt Tyria Laconica, &c. & miſturâ Hysgina & dibapha nuncuparetur. Progreſsũ vero etiam vlterius eſt ad coccũ, licet hæc infectura Arabib. Chermeſina, Gręcis Coccina: vel latina terminatione Coccinea ſit dicta. Inde ab imitatione violarum, vel ſucco earum Ianthina, & ab hyacintho hyacinthina; & ſimilitudine amethyſti gemmæ amethyſtina. Kermeſinum vero obtinuit etiam in vermiculis cocci

Purpureus vnde verè dictus.

& bibinellæ; imo in phyco, hyacintho, rubia radice & similibus, quib. accõmodata est vox purpuræ propterea quia tincturæ coccineæ fuerat attributa, in cuius locum hæ succesſerunt. Generatim autem purpureum id dictũ esse quod splendet iucundum, licet colorem purpuræ non habeat, falsum esse puto, & maxime si quis velit affirmare dictionem propriam esse. Chermesini vocem tam largè vsurparunt recentiores tum à specie, tum splendore materiaq;, occasione sumta, sed facilè intelligere est, Kermesinum verum non esse ꝙ non cocco infectum est; secundarium autem & quasi nothũ, ꝙ alio succo simili similiterq; in eadem materia est tinctum. Tertium itaq; album & viride necesse est planè ab illo discedere. Vnum admoneo in pauonaceo misturam ex aureo & viridi, quæ recto aspectu obscurioreque iucundum habet virorem, ad latus vero in luminoso quia intermistum est violaceum & puniceum est hyacinthi, vel iridis, aut martiæ violę refert colorem (quanquã non omnibus vsq; adeo exactè congruat vt nihil insit discriminis) posse viridem purpuram appellari. Plinius lib. 9. cap. 38. & seq. item lib. 22. cap. 2. & lib. 21. cap. 8. Quadruplex purpuræ genus, porro in suas species ratione remissi, intentive coloris & misturarum diuiso vnoquolibet, annotauit. Primum est purpuræ rubræ, qualis fuit Tyria, dibapha, Laconica & cæteræ sanguinis lucidi roseique & hic color

Ex Plinio quadruplex purpurę color.

postea

postea in chermesino seu coccino & vermilio cinabariq; Elephantino est repręsentatus, inque plantis competit rosæ purpureæ quinque foliæ, viuidi coloris & nonnihil in purpureo nigrescentis item incarnatæ amarantho, rubia, hyacintho puniceo, sanguine draconis arboreo & similibus. In mineralibus minio potissimum & cinabari metallico, postea etiã Sandyci & cerussę vstæ ad rubrum; qualem dixeris etiam esse rubini gemmæ, seu Carbunculi. Generis secundi fuit purpura amethystina, quam repræsentauit Gemma amethysti, de qua Plinius hæc: Caussam nominis (amethysti) afferunt quod vsq; ad vini (nigricantis videlic.) colorem accedens, priusquam eum degustet, in violam desinit, fulgorq; illi purpuræ, non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore. Indicæ absolutum purpuræ colorem habent, ad huncque tingentium officinæ dirigunt vota. Fundit autem eum aspectu leniter blandum, neque in oculos vt Carbunculi vibrat. Alterum eorum genus descendit ad hyacinthos, &c Hæc Plinius. Satis ex Gemma patet quinam ille color fuerit: Et quomodo quaque arte in lanis fit procuratus proxime retuli. Is est & hyacinthinus ad similitudinem hyacinthi violacei; quem colorem præclarum videas in ea iride quam radii solares tralucentes per marginem duplum orbium vitreorũ in fenestris efficiunt: postea est violæ martiæ,

Strabo lib. 13. Apud Hierapolim aqua quædam adeo tingendis lanis idonea est, vt ex radicibus (rubiæ vel Anchusæ) tincta cum his decertent quæ ex vermiculo, purpuraque tinguntur.

quam inde purpuream vocamus & nigram: (quanquam non omnes pariter ſint ſaturæ: quædam enim nigricant magis, quædam magis accedunt ad albedinem; in aliis cyaneus color præcellit, & cæruleus; omnino ex albo puniceo, nigro & cæruleo ſi quis corā intueatur, aliquid obſeruet, & ſi ad candelam noctu inſpiciat, puniceum præeminere animaduertat. Solent enim miſti colores & ſuppoſiti diuerſo intuitu diuerſi apparere, vt etiam in panno ſerico eo, in quo ſubtegmen eſt rubrū, ſtamen verò cæruleum, aut contra. Præbuit autem etiam natura violas martias varias veluti totas purpureas & hyacinthinas, vel totas albas, vel ex albo & ianthino miſtas, vel ex albo & puniceo, vel puniceas magis, vel cæruleas dilutas, &c. inſuper Indici veri, Cyanei, ſucci baccarū Ebuli & ſimilium. Nam modo lucidior dilutiorque hic color eſt, modo ſpiſſior, & ſic nigro vicinior. Non itaque quælibet nigra lana eſt purpurea, ſed violacea denſior, qualis apparet & violæ inſpiſſatus ſuccus. Talis forte eſt & pauoninus ille color, cuius Marātha facit mentionem, quod imitetur oculos Pauoninæ caudæ. (In pictis Pauoninæ caudæ pennis oculum medium, qui eſt violæ nigræ ſaturæ, & exprimitur violaceo examito ſerico, includunt quatuor circuli, quorum exterior eſt in vmbra rectà ſpectatus (nam ad latus in lumine præualet viror) puniceus dilutus, ſeu brunus cum ſplendore; ſequēs aut reus, qui

us, qui & ipse in luce suspectu virescit; tertius mistus ex puniceo & aureo, quartus aspectu vmbratico viridis splendens, à latere vero seu visu perfunctorio ex puniceo & violaceo mistus; vt sic duplex pauonius sit alter niger satur violascens tamen, alter dilutior, qui iudicari potest exemplum conchyliatæ tincturæ) Cæterum hoc genus cum priore aliquando fuit commistum & ex rubro nigroque violaceo factus color tertius, qui vocatur Tyriamethystus aut Tyrianthinus. Nā buccino & pelagio permistis fiebat Amethystinus. Postea inducebatur Tyrii tinctura, q̄ erat sanguinea seu rubēs, nigricans aspectu, & refulgens suspectu, & conficiebatur duplici seorsim tinctura, primum pelagii, postea buccini, vt sic ruber color nigro violaceo temperatus præberet faciem puniceì austeram nitidamque, qui vulgo nostro est Brunus in viola punicea. Quartum genus est conchyliatum, mistum ex violaceo diluto & puniceo, sicut tertium ex rubro & nigro. Id nomen obtinuit à conchyliis, quorum solo flore absque buccino, efficiebatur & colorem referebat pallidum laudatum, saturitate fraudata. Exempla eius in herbis ostēdit Plinius producto flore heliotropii, quē cap: 21. lib. 22. dicit esse cæruleum, Dioscoride candidum aut subfuluum scribente: item floribus maluæ, qui bus est rubedo diluta inclinans ad purpuram, vt inquit Plinius, tametsi maluarum plura sint genera, in quibus quæ-

Vide Plin. lib 9. c 38. 39. 40. & 41.

dam florem ad nigredinem declinantem habent, quædam dilutiorem & purpureum albo remiſtum vt criſpum: quædam album, quædam rubrum coccineum &c. Poſtea viola Serotina, ſiue hyemalis ea ſit, ſiue quam Trinitatis vocant, pene vſq; in hyemem florentem. Itaque & huius generis non vna eſt ſpecies. Hæc quatuor purpureorum colorum genera ex Plinio poſſum exculpere nec ſcio an alicubi extent alia. Quod enim de quinto genere ámethyſti ait, id ad viciniam cryſtalli deſcendere albicante purpuræ deiectu, non teſtatur albam gliſcentemque fuiſſe purpuram, ſed dilutum adeo gemmæ colorem vt à purpura diſceſſerit ad cryſtallum. Cur non Asbeſtum & byſſinũ purpuris accenſuit, ſi albam agnouit? Volunt nonnulli veſtem illam, qua milites Saluatorem induerunt, fuiſſe albam purpuream: Sed apud Matthæum nominatur χλαμύς κοκκίνη. apud Marcum πορφύρα: Ioannem ἱμάτιον πορφυροῦν. Lucas ait Herodem cum induiſſe veſte λαμπρᾷ ſplendida. Itaque intelligimus Chermeſinam fuiſſe purpuriſſantem ſeu vermiliam ex ſanguine vermiculorum cocci, id quod fors etiam alludit ad antiqua Prophetarum vaticinia. Appellatur enim vermis Saluator pſ. 22. & alibi, veſtis eius rubea eſt ex calcatis vris, & peccata noſtra coccino ſcolecio cõparantur. Solus Marantha quod ego ſciam, albam purpuram & coccinum produxit, argumento albedinis

Purpura Saluatoris.

bedinis ſplendentis & gratæ oculis. Vtitur ille ſane fundamento ad hoc commodo, ſed fictitio. Non enim purpura ex ſolo ſplendore iudicatur, quanquã Lucas deſignet purpurã vocabulo λαμπρᾶς. Quod autẽ ex Horatio adducit purpureos cycnos, quos lib: 2. carm: Ode vlt. albos nominauerat, indeq; docet purpureum eſſe album quod præter albedinem accedat ſplendoris venuſtas, qua ſimul oculos & animam oblectet, in eo loco dicunt quidam interpretes, purpureum ſignare gratum & nitidum colorem; ſed cum ſermo ſit Poetæ de oloribus currui Veneris iunctis his nimirum verbis;

lib 4. carm. Od. 1.

> Tempeſtiuius in domo
> Pauli purpureis ales oloribus
> Comiſſabere maximi

Purpurei dicuntur ab ornatu & phaleris ex purpura confectis. Alias enim Horatio purpureum rubrum eſt: vt de Augulto lib. 3. ode. 3. Purpureo bibet ore nectar: & lib. 2. Od: 12. Mare Pœno purpureum ſanguine, &c. Ait Marantha etiam niuem purpuream dictam, ob colorem candidum fulgentem: ſed autorem non nominat. Poteſt autem fieri vt ob phaſma ex radiorum ſolarium in aëre caliginoſiore repercuſſu, aut procul è montibus caliginoſis ita appareat, ſicut & mare remis agitatum Iridem repræſentat in qua aliquid eſt punicei ex luminis Solaris præſentia, vt Philoſophus refert, & licet cuilibet experiri aqua

Nix purpurea per Emphaſin.

ſparſa

ſparſa irradiante Sole, quin & Iris orbium vitreorum tum ingeminatis extremitatibus eorum, tum repercuſſu in charta vel menſa alba amethyſtinum puniceumque iucundum refert, cum tamen orbes vitrei minime ſint punicei. Tale quid & in niuis extremo euenire poteſt, vnde quidam purpuream vocitauerint, ſed neutiquam inde eſt conſequens album ſplendens eſſe purpureum. Quanta cōfuſio colorum inde foret, ſi albos pauones, albas columbas, album ſericum, cryſtallum oculi & ſimilia vocaremus purpurea? Vere ergo purpurei colores ſunt, ruber modo ad nigredinem declinans, modo dilutus, modo medius, poſtea violaceus cum iiſdem differentiis, hinc cæruleus cum ſuis ſpeciebus, & tandem miſtus ex iſtis ſiue eiuſdem generis, ſiue diuerſorum ſimplicis aut multiplicis tincturæ. Succeſſerunt ei Chermeſinæ infecturæ vt ſatis patuit. Dicit Plinius lib. 13. cap. 35. fruticem in mari naſci cui nomen phycos, cuius altera ſpecie in ſaxis naſcente capillaceo folio inſtar fœniculi circa cretam purpuras inficiant; eſſe & quercum in alto cubitali altitudine, qua & ipſa lanas tingi tradant, glande nimirum genita, tametſi in quercu marina pingant grana inſtar gallorum: Quem colorem ex his extitiſſe putas? Video Sandycem etiam phycum appellari. Ei vero color minii ſecundarii eſt ſeu ſandaracæ, hoc eſt ruber ſanguineus. Fors talis ille in phyco fuit. Is apparet

Phycos.

Agric. lib. 9. de foſſ.

paret & in malua floris ſanguinei, flore pæoniæ, anchuſæ radice, & rubia aliiſque. Quid De Halurgo ſentis? Interpretantut Purpureo ex notatione. Purpureum enim dicunt Halurgum vocatū quod ſit res maris (ἁλὸς ἔργον) ex conchis ſeu oſtreis ſumtum. Intelligunt autem rubrum. Plato in Timæo, ait ἐρυθρὸν. μέλανι λευκῷ τε κραθὲν: vbi rubri ſpeciem exprimere videtur, ſed nimis generaliter. Omnes enim intermedii colores ex nigro & albo dicuntur conſtare variis miſturis. Ariſtoteles Iridi aſſcribit τὸ φοινικοῦν καὶ πράσινον καὶ ἁλουργόν. φ interiicit inter punicerū, & praſinū aſſerēs ſæpe apparere ξανθὸν, quod nobis flauum nuncupatur, quale eſt in crinibus & quadam ignis flamma ſeu lixiuio, vbi ob cognationem dicitur nonunnquam πυῤῥὸν ſeu rubrum & rauū. Seidelius puniceum dicit eſſe exteriorem, viridem medium, & cæruleum interiorem. Videtur ergo Halurgum cæruleum nominare. Inter puniceum quoq; & viridem aliquando apparere ξανθὸν ſeu flauū addit, ſed negat propriū Iridis eſſe. Aliiduos ei tribuūt cæruleū ſeu aquosū, & puniceū ſeu igneū: vbi iterum Halurgus eſt cęruleus. Autor libri de colorib. punicēū declarat exemplo prunæ, quomodo & in meteoris Sol dicitur puniceus apparere, cum per caliginē conſpicitur, quale dicitur eſſe & palmæ folium ſpadiceum. Noſtri tunc ſolem ſanguineum vocant, qui color Tyrię purpuræ fuit vtroque ex rubrorum genere ſpiſſiore

Halurgus modo purpureus ſimpliciter eſt, modo aliquis purpuræ color certus, vt in Iride, qui eſt inter viridē & puniceū quaſi miſtus ex flauitie & rubedine In mari v. tum rauus, tum cęruleus eſt.

ore. Halurgum autem vult floridum ſplendidumque eſſe quando cum mediocri albo & vmbroſo infirmi Solis radii incidunt in aërem vmbroſum, qui color etiam eſt maris cum vndę ſublatæ in inclinatione inumbrantur, illapſis radiis imbecillibus, quod Ciceroni erat purpureum. Ex affinitate opaci(τῦ ὀρφνίνυ)& punicei, intelligere eſt in Halurgo mediocre eſſe lumen, in puniceo multum, in caliginoſo paucum. Plęrunq; etiam redditur vocabulo πορφυροειδὲς quod & ipſū mari aëriq; ita diſpoſita aſſignatur: Et τὸ ἁλουργὲς βαπτίσθαι τῇ πορφύρᾳ idem refert autor. Patet ergo Halurgum eſſe rubrum mediocri lumine ſplendentem & ad flauitiem declinantem, quaſi ſit flauus aduſtus aliquantulum, quem ruffum vocant. Atqui & puniceum in Iride eſt purpureum & cum mare ſit cæruleum & glaucum, indeque purpureum appelletur, cur non Halurgum etiam violaceum? Caliginis ea facies eſt caliginoſum mare purpureum nominatur & glaucum, vnde nomen Deo Marino: Videtur mihi mare purpureum duplici argumento dici poſſe, tum quia cæruleum apparet, tum quia rufum, & puniceum: illud quidem in commotione & ita vt loquuntur (vnde illa Plinii: Conchyliis virus graue in fuco, color auſterus in glauco & iraſcenti ſimilis mari) hoc cum aduerſus ſolem ſpargitur, ruffum, vt eſt lixiuii color, in quiete, quanquam autores varient cum ipſo mari, alio ſic inſpi-

Plin. lib. 21. C. 23 Puniceū & purpureū diſtinguit in anemone cuius ſpecies vna habeat phœniceū, alia purpureum alia lacteū florē Noſtri herbatii albā, luteam, rubram & Purpuream deſcribunt. Quę harum eſt Plinio punicea?

inſpiciente, alio aliter, & quidem diuerſis diſpoſitionibus. Vbiuis intelligitur comes ſplẽdor quidam, vt conſtet ſuum ius purpuræ elaboratæ & fulgenti. Eſt & aliud quod tua induſtria mihi explicatum velim. De violis purpureis ſcriptum apud Plinium extat, id quod purpureũ eſt ex eis comitialibus mederi maxime pueris in aqua potum. Hanc vim alii aſſcribunt croceo tuberculo in violarum martiarum medio. Videtur Plinius non totas purpureas voluiſſe & ſic, violam Trinitatis notaſſe, aut purpureas ob croceas illas particulas appellaſſe, vt ita ſit etiam crocea purpura. Non enim foliola creditur intellexiſſe. Sed cum hoc neutiquam conſentiat tum cæteris eius placitis, tum reliquorum autorum iudicio, videndum num legendum ſit, id quod in purpureis eſt croceum comitialibus medetur quomodo etiam allegant nõnulli tum ex Plinio, tum ex Dioſcoride, qui tamen in violis purpureis huius mentionem non fecit. Si de foliis purpureis acceperis, dubito num verum ſcribat, quanquam ſiccorum pulueri nonnulli purgandi vim tribuat, quomodo ſublata cauſſa Epilepſiæ, corruptis ſcilicet humoribus ipſam tolli conſequens eſt. Sed te duce facile hinc me expediuero. Quæ vero eſt illa ſerotina cuius color ſcribitur eſſe in conchylio vegetiſſimus? Martiam intelligi non puto. Huius enim colorem conciliauit cum ſecundo purpurarum genere, & cap. 6. lib. 21. ve-

Antepilepticũ in violis. lib. 21. cap. 19.

Serotina viola.

ſtem

ſtem Ianthinam inde dictam ſcribit ſpontaneo ſtatu apricis macriſque locis prouenienté. Eſt alioquin in hortis hyemalis purpurea, & Italorũ leucoiõ purpureũ. Vtriuſq; flores vel in hyemem durant, ſicut & violę Trinitatis quam nonnunquam ſub niuibus viuacem deprehendi. Noſtri videntur ab Epilepſia vel ſimili affectione ei nomen dediſſe. Itaque locutus de hac ſit etiam Plinius non croceam violæ martiæ eminentiam ad comitiales commendans, ſed folia purpurea violæ ſerotinæ hoc eſt tricoloris. Dicunt aliqui hanc eſſe Phloga & Iouis florem apud Plinium. Sed falſo. Tantum folio coronant, inquit ille, Iouis flos, amaracus, Hemerocallis, ambrotonum
» ſerpillum, &c. omnia ſurculoſa, roſę modo co-
» lore tantummodo placet Iouis flos, odor ab-
» eſt, ſicut & illi qui græce phlox vocatur.
» Et ramis autem & folio odorata ſunt, &c.
» vbi non tantum non poteſt eſſe Iouis flos her-
» ba Trinitatis, cuius flos in coronis adhibetur,
ſed & non idem eſt cum phloge. Poteſt obiici violę colorem eſſe etiam in flore Trinitatis. Itaque non poterit eſſe exemplum conchylii vegeti. Sed viola nigrior eſt herba Trinitatis lucidior, & in aliqua etiam flores cærulei lucidi. Hæc cum apud me meditarer, incidi in autorem de coloribus, vbi de purpuris ſcibit diuerſo & contrario, vt videtur, modo: Vbi contuſa, inquit, pura, vniuerſam humiditatem eluerint, eamque effuſam coxerint in

Locus de purpurea tinctura apud Ariſto.

cortinis

cortinis, primum omnino nullus color in "
tinctura conſpicuus eſt, eo quod paulatim i- "
pſorum quiſque humido magis concocto, & "
inſitis iis coloribus ſibi iuuicem permiſtis "
multas veriaſque capiat differentias. Etenim "
niger, & albus & opacus & aerius, & tunc o- "
mnes ex ſimul elixatis gignuntur. Hæc ibi. "
Poſt paucos paragraphos aliter: Initio cum "
tingentes purpuram, demittunt ſanguineas "
ſanies, quas αἱματίδας vocant, opacæ fiunt, & "
nigræ, & aeriæ? flore vero ſatis elixato, fit "
floridus halurgus & ſplendidus. Nullum ap- "
parere colorem initio, & videri opacum, ni-
grum, aerium, quomodo conſentiunt? Pli-
nius crudis cortinis tingi purpuriſſum nobi-
lius aliter ſcripſit: Et Tyrium fieri, cum lana
primum ſatiatur immatura viridique cortina
& mox permutatur buccino. Conſequens ex
his eſt nonnullum colorem ante maturita-
tem eſſe, ſed dilutiorem, qui vberiore cocti-
one tranſit in rubentem, & tandem nigrican-
tem qui in purpura eſt melior rubente. For-
taſſis ille auctor aliter ſcribit de minoribus
conchis, quæ prelo erant frangendæ, eluen-
dæque multa aqua: aliter de flore ex faucibus
maiorum purpurarum ad huc viuentium ex-
emto, & nonnullum omnino intelligit, ſed
non purpureum, qui emergat tandem. Ita Pli-
nius crudæ viridiſq; cortinæ nomine non vi-
detur viridem colorem intendiſſe, ſed tanquá
ad poma reſpiceret, cruditatem immaturita-

Concha pictorum.

temq; ſimilem. Vt manum tandem de tabula, ſi mihi vna cum cæteris indicaueris quænam ſit illa pictorum cōcha de qua eſt apud Ariſtotelem lib.5.hiſt.c.15. In plenum ſpei meæ ſatisfactum arbitrabor. Dicit autem eā eſſe in vſu pictorum, & craſſitie plurimum excedere, florem illum nō intra teſtam, ſed foris habentē Cariæ locis potiſſimum familiarē. Admonet me locus hic, vt credam eam eſſe vnde fiebat purpuriſſum, quanquam nil prohibet fortaſſis etiā purpura infectoria lanarum cretam tinctam eſſe, cum Plinius ſcribat id pariter cum purpuris tingi è Creta argentaria, & celerius lanis colorem bibere. Vtere tuo ingenio & vale. 4. Feb. 1598. Rotemb. ad Tub.

EPISTOLA XI. DE TRANSFVSIONE qualitatum occultarum, ad cap. de magiſterio qualitatis occultæ;

ANDREÆ LIBAVII.

AD

D. Paulum Simlerum Phil. & Med. Sueuici Traiecti, in Francia Orientali.

SOLIDVM eſſe illud in Philoſophorum ſchola celebre axioma: Qualitates non tranſmigrant de ſubiecto in ſubiectum: Simlere erudite, hactenus ſemper iudicaui, ſed ita tamen vt hominem agnoſcas Philoſophiæ ſtudioſum, cuius eſt dubitando ad veritatem peruenire. Certè in multis id eſt immotum, Neq; enim Solis virtus ita communicatur Stellis & Lunæ, licet eas perpetua irradiatione

tione verberet, vt diem & reliqua sua præsentia possint efficere; neque Themistocles prudentiam, aut Aristides iustitiam, aut Atistoteles industriam in suos, vt maximè voluerint transfundere potuerunt, nec in natura inferiore vinum in cados contiguos vim vineam proprietatemque potest imprimere. Calefit quidem aer ab Igni & Sole, àque moschò odorata efficitur lana, sed hoc generatione, nō translatione fieri autumāt. Gignunt.n. qualitates actiuæ in subiecto disposito aliàs sibi cōformes, nō translocantur ex proprio. Verum enimuero nonnihil dandum est exemplis naturæ. In ferramēta.n. ita videmus experimurque transire vim magnetis, vt planè eadem, tū cæli obseruatione, tum cum ferro amicitià eiusq; attractione perpetrent. Aliquid corpulenti vnà ad ferrum accessisse, non desunt qui putent, idq; non absurdè. Affrictu.n. mutuo fit cōmunicatio, quo vel ramentum exile, vel spiritus magneticus in alterum ita inseritur, vt tanquā propriū Subiectum obseruet, inq; eo sic hæreat & agat, vt innatus videatur. Sed qui fit vt in solido crassoq; magnete exolescat illa vis, in ferro tā sit pertinax, vt docent ligulę sciotericorum? Spiritum dissipari scimus, nec adeo exile ramentum posse diu seruare virtutem tantā. Quin itaq; haustam à ferro ex sinu magnetis proprietatem dicimus, idque non generationis modo, sed transplantationis, cū adeo subito vix videatur gigni posse. At tunc

non hauſtam duntaxat oportuit ſed & tandē exhauſtam. Non inquam iſtud. Si .n. felix eſt magnes, ex ſe inſtaurare proprietatem poteſt, atque ita ampliare vt ferro vel alteri magneti ſterili vel exoleto, ſine ſuo detrimento vim conferat & tanquam lumen de lumine accendat. Sed hanc diſputationem hic loci decidere nolo. Meum ingenium ad cotem tuam affricare volui, vt inde ſimilem tui vim in rerum arcanis aſſequendis raperem. Neque me pœnitet in magnetiſmum incidiſſe. Adeo enim felix eſt eius exemplum vt ad multa ſtupenda moliendum conduxerit myſteriorum naturalium indagatoribus. Populare eſt illud de craſibus elementaribus qualitatibusq; manifeſtis, quarum tamen ſtudio tantum tribuere nouimus quosdam, vt hinc omnem ingenii gloriam petiuerint, non ſine riſu. Dignū homine ſolerte eſt in abſtruſis elaborare, & ex horum cognitione miracula perpetrare. Itaque noluerunt carere magneticis arcanis chymicorum diſciplinæ. Sunt enim præ reliquis in omnem naturæ nutum intentæ, magiſque arripiunt ea quæ ab aliorum intellectu ſunt remotiora. Ego iſta Magiſteria qualitatis occultæ neſcio quam rectè appellare ſoleo, non quod diſpliceat vox proprietatis formalis, aut virtutis totius ſubſtantiæ naturæque, aut, qua vtitur Scaliger, tertiæ & quartæ qualitatis, ſed quod ita requirere diſciplinam chymicam opiner. Magiſterii nomen

nomen interpretes Arabum vſurpant ſæpè tum de tota Alchymia, tum potiſſima eius parte quæ in perfectione metallorum conſiſtit. Itaque apud Meſuen legimus Extractum Myrobalanorum eſſe opus magni magiſterii, quod Bulcaſis ſeu Seruitor enunciaret nomine ſecreti Philoſophorum, aut medicinæ, quomodo appellat oleum lateritium, & alcali foliorum oleæ. Geberus vero perfectum magiſterium frequenter vocat artem lapidis Philoſophici. In artis informatione ſequendus artificum ductus fuit. Itaque vox SECRETI & myſterii ſeu arcani (quod extat in quadam compoſitione apud Trallianum, licet abſque extractione) à me relata eſt ad nobiliſſima maximeque formalia extracta, qualia ſunt tincturæ & olea. Magiſterium vero à lapidis compoſitione mutuatum toti ei parti aſſcripſi, quæ tractat de exaltatione integrorum, vt perueniant ad aliquam eſſentiarum excellentiam, quamquam differant nobilitate. In eius complexu non infimum occupat locum hoc de quo incepi dicere. Fors negabis mihi magiſterium eſſe magnetiſmum illum, ſeu, vt generalius, occultæ qualitatis translationem, ſi quidem licet tali orationis forma vti, quod vt fiat cum pace phyſicorum, precibus mihi eſt annitendum. Cur inquam iſtud? Eſſentialis ſegregatio eſt dices. Num vel ſpiritus rei cum propria virtute tranſit, vel ſubtilis pars eſſentiæ. At hoc per-

Nomen magiſterii.

Cap. 2. de ſimpl.

perinde eſt ac ſi in menſtruum per macerationem, putrefactionem, aliaq; opera chymica deponeretur rei eſſentia. Non quidẽ eo inficias cognatum quid fieri hic, & non caueri omninò poſſe, quin etiam aliquid Subſtantiale cũ virtute ſecedat. Sed tamen ratio operis eſt alia; Et ſi coagulare menſtruo abſtracto velis, nihil ferè erit reſiduum ex alieno. Integrũ exaltatur virtute occulta ex alio translata per contagium. Integri vero vox totum, reiectis tamen ſordibus obiter adhærentibus, citra ſeparationem eſſentialem deſignat, quanquam fiat nonnunquam vt in alium finem extractum pro integro ſit, aut etiam ſtudioſe commiſceantur magiſterium & eſſentia vt fieri in ſpeciebus chymicis compoſitis ſolet, ad quam claſſem tunc opus ſecedit. Sed hæc auſteriora illis relinquamus, qui de verbis odioſe contendendo ſibi voluptates creant. Noſtra ſtudia ad finem in vita vtilem magis ſunt cõparata. Eo ptinent illa quæ in chymicis noſtris ſubiecta præceptis cernis. Gaudet occultorũ tranſitione Medicina penè vniuerſa, potiſſimum in pharmacorũ promtuario, cibiſq; ad ſalutem dirigendis. Si feruefactũ hydrargyrum in oleo tartari, aut Philoſophorũ aliquoties extinxeris, adeo eius vim citra corporeã extractionem exſorbebit vt ad leproſorum Indicaq; lue infectorum ſcabiem, quin & Cacoethe nonnulla euadat quaſi diuina vi inſtructũ. Nec parum opis cõſequetur à minio

Oleum tartari Mercuriale, ad leproſos.

natiuo

natiuo, aut Cinabari officinarum. Arthritico- rumcruciatib. probè consulunt qui candefa- ctum stibiũ pingui catulorum crebrius pfun- dunt. Nõ ignarus huius artis fuit Plin. Cremat enim immaturas gallas, easq; candentes aceto immergit ad menses nimios, quomodo & cœ- liacis promittit auxilium, ferro simili ingenio in decoctis congruis restincto, quæ res de fer- ro aliisq; metallis adeo placuit medicorũ co- ryphæis, vt eã crebro inculcare nõ abstineant. Nosti quæ Mercuralis, Mercatus, Gesnerus & alii plures in scriptis reliquerint. Veneni ac- cusare metalla nõ erubuit Erastus; at in hydro- picorũ sanatione, quãtis encomiis afficit fer- ratas? Ingratiora sunt hæc, quia notiora. Illud ex te quęro, cum nõ desint qui nihil memora- bile extinctionum taliũ metadosib. tribuunt, quid tu cẽsendum putes? Solida illa, inquiunt, lapis, ferrum, &c. nihil ex se emittere queunt. Si quid præstant, igniũ vi & impressione præ- stant. Itaq; tantummodo calidiores rarioresq; & tenuiores euadunt liquores, absq; vlla rerũ specifica facultate accepta. Non consentit his Mercatus qui diuersimode apparatum ferrũ diuersas vires cũferre scribit, & modo ventrẽ subducere, modo astringere. Si itẽ nihil è fer- ro aquis cõmunicatur, cur nõ hydropici quo- rumuis lapidum extinctu proficiunt? Cur au- ratus liquor cordi prodest? Est in Fabricianis de metallorum natura notis, si ferrum vino Zythoue restinguatur potus euadere ca-

Arhriticum.

Ad menses nimios.

Cœliaca.

De extin- ctionibus medicami- num.

tharticos: ſin lacte ſecus, imo contra euenire. Notum eſt ferri ſtricturam iſtam vim obtinere, hanc vero crocum quem vocant Martis. Sed non attendiſſe videtur Fabricius id quod Mercatus, qui negat laxare ferratum vinum ſi præparetur ferro aliquoties prius aqua reſtincto, vt ſpiritus purgantes exhalent. Nec par ratio eſt ferri puri, & impuri. Illæ ſtricturę quæ inter cudendum abſiliunt, peruſti ſunt recrementa, aut impuritates adhuc ex minera adhærentes. Non par ratio eſt earum cum ferri medulla, ſeu ferri & chalybis. Qui ferrarias, ærariaſque vnquam ſunt ingreſſi, & labra aquis metallicis plena pertentarunt, nõ ita improuide de rerũ natura iudicant. Scripſi aliquando de hac re etiam ad Doldiũ noſtrum, qui ſigillatam ex me ſcire voluit, cuius fiducia metalla ita inficerent aquas. Ego tunc temporis ad ſulphur, cuius odorem is nõ percipit in aquis talibus, qui inſtrumento eius eſt captus, aut nunquam affrictu calefactum naribus admouit, confugiebam, & nonnihil argumenti exculpebam ex chalcantho quod noui coniunctum & mineris & metallis, ne quid dicam de hydrargyro, cuius vim in auro excocto quoque reſtare docet bractcariorum pergamena. Nunc expecto aliquid abſolutius, quod in taliũ miſtura certa eaq; occulta potiſs. conſiſtere quis dicat. De vino viperino, & anguillis viuis alterato idemne ſentis ꝙ de oleo Scorpionũ? Aut nihil præter virtutem, aut

Vinum alteratum animalibus ſuffocans.

aut paululum quid transit. Quantas autem vires habeat non est obscurum. Oleum carauitæ tanquã alter Scorpio est, qui in vulneris sui remedio creditur Spiritus noxios reuocare cum humore proprio. Itane se res habet, an potius alteratione occulta peraguntur victoriæ? Videtur enim reliquum corpus Scorpii sui veneni alexiterium esse, idque iugulare virtute Bezahardica, aut cotonea quæ aconito omnem vim contagio dũtaxat adimit. Quî aliâs tam celeriter tantus homo inficeretur, corpore Scorpii tantillo illæso? Aduersatur nimirum corpus in se contento succo, eumque ignauum plane reddit. Atqui Scorpius inflicto sibi vulnere videtur proprio mori malo, sicut Basiliscus. An alia hoc euenit ratione? Sed non nimis est philosophandum præsertim in Epistola. Hoc quoque volebam nos in translatione occultæ virtutis considerare q́ Plinius de Antonio Musa, celebri illo Augusti medico retulit. Is enim cum incidisset in curam insanabilium vlcerum, viperas edendas dabat, miraque celeritate sanabat. Ecce vero hic audax homo chymicum magisteriũ transtulit á mortuis ad viuos eosque pari iure alterare studuit. Hem callidum inuentum, sed non contemnendum. Hodie cur raro sanantur ab imprudentioribus medicis eiusmodi cacoethe? Cur raro Elephantiasis? Nõ alteramus corpora, quæ adeo à natura sanabili discesserunt, vt frustra ingerantur plebeia

lib. 30. cap. 3. vel 13, Mesuæ sententia etiã iuuenescere faciunt serpentes:

medicamenta. Si ea astutia præparares, felicior foret opera medica. Non alio ingenio in arthritide vaga, & stomacacia scelotyrbeque, quæ duo mala vnius morbi nomine hodie Scorbutum vocant, sanationem moliuntur per vermes Maios, nasturtium, cochleariam & similia. Nec ignota res est etiam chirurgis, qui potionibus vulnerariis corpus ad suscipiendam sanationem á suis medicamentis disponunt. Gallicos ego non tantum ligni sancti essentiis, sed & sulphuratis aliisque mineralibus ex aquila & lilio (quale quid opinantur esse illud quod vocant Solis cingulum fors ex Hydrargyro auroque confectum pro Turpethominerali, aut auro vitæ, quę duo ab artificibus adhibita in illo morbo multum possunt, vt & pilulæ Barbarossæ) eodem magisterio mutarem; quo Elephanticos viperinis escis. Recentiores paurum hoc ex chymia translatum eidem restituerunt, confectis in eundem finem aquis Theriacalibus vt apud Fernelium, Paræum aliosque licet cognoscere. Eiusdem vero artis est bestias in cibum nostrum venturas apparare vt medicatis succis, aliisque absumptis reddant nobis salubre alexiterium. Qui ergo viperis nutritas gallinas Elephanticis exhibent, Antonii Musæ solertiam imitantur. Vulgaria illa sunt de lacte scammoniato, sanguine hircorum saxifragas herbas depascentium, & similibus. Democritus medicus, teste Plinio lacte capræ lentisco

nutritas

nutritæ Considiam SERVILIÌ filiam omnem curationē austeram recusantē sanauit. Mesue, non ignarus chymicarū institutionum ex Armenorū arcanis depromsit pruniarboris medicationem, vt cogeretur scammoniæ succo farta pruna reddere purgantia. Perforabant autem caudicem distantia palmari duobus tribusue locis, & ingesto succo vulnus luto claudebant. De viribus aliisque vulgata ars est. Vidi elleborum nostratem cerasi radicibus additum, vt inde gignerentur cerasia cathartica. Ego vero pluribus comestis nihil sensi motus. An id moliendum in dulcibus est, non in acidis? Est autem hoc institutum ex Mesuæ historia. Narrat enim, si Elleborus niger nascatur iuxta arborum radices, fructus earum fieri solutiuos, quod ipsum Cato quoque præcepit de vino ad aluum mouendam concinnando: Vites, inquit, cum ablaqueabuntur, signato rubrica ne admisceas cum cætero vino. Tres fasciculos veratri atri circūponito circa radices & terram insuper iniicito, per vindemiam de his vitibus quod delegeris, seorsum seruato, cyathum in cæteram potionē indito, aluum mouebit, & postridie purgabit sine periculo. Valde itaque vetus est istud artificium. Quid putas euenire sanguini à toxico Hispano, tora & similibus aconiti specieb. vt etiam ad vulnera sua recurrat? Num & hic aliquod chymiæ nostræ simulacrum est? Sed obiter etiam hoc exponas, cum intoxicatus sanguis

Lac pro dedicatis.

Pruna medicata.

Vinum medicatum Catonis.

Alexiteriorum vsus.

tam

tam celeriter noceat, an non conuenientius foret in medendo similiter sanguini facto vulnere contrario ingerere alexiterios succos? Tardius enim videtur esse remedium in ventriculum per fauces traiectum. Sed ne te obruam verbis cesso, teque valetudinem ita curare iubeo, vt non sit opus tali magisterio. Vale XVII. Decemb. IIIC.

EPIST. XII.

De translata qualitate plura.

Ad

D. Paulum Simlerum Phil. & medicum Traiecti Sueuorum.

VIDEOR iam concoxisse iniuriam illius, qui missa ad nundinas pagella non simplex mihi denunciauit duellum, sed cum detrimento honoris famæque coniunctum. Mallem quidem eum abstinuisse conuitiis, calumniis, iniuria, quibus non tam me contaminare conatur, quam seipsum prostituit, odioque exponit omnium bonornm; Sed quando ita placuit in publico apparere, cogitandum est, maledicere & criminari istum ideo, quia bene loqui vel ob naturam malignam nequit, vel ob consortium improbum non potuit discere. Si prodierit liber ille totus, contēptis vituperiis & probris (neque enim patiar meam his patientiam vinci) rerū pondera persequar, & gratiam habebo docenti præclariora, fallenti spem promissorum vale-

valedicam. Tu ex Italia Lucenſem non eſſe, cum aliis quibuſdam amicis ſuſpicaris, quod videatur reſipere manipulum impoſtorium, cum quo mihi hactenus fuit præliandum. Paracelſica certe virulentia malignitaſque in fronte extat, & ruditas illa ſtultitiaque vexillum in veſtibulo ſtatim erexit. Neque enim latinitas tituli eſt caſtigata: neque vocabula reſpondent conatui. Si itaque στοχασμὸς hic nos non fallit, vides mihi iterum cum improbitate & inſcitia turpi colluctandum eſſe, ſed fortaſſis eo feliciore futura pugna, quod iſtiuſmodi hominum tela iam ſint exarmata, ficulnaq; & ſtraminea facta, cuiuſmodi contẽnenda ſunt potius, vt muſcarum aculei præfracti, quam repellenda. Sed miſſis his ad aliquod chymicum artificium vertamus verba. Grata fuiſſe quæ de Qualitatum occultarum magiſterio tibi ſcripſeram, non obſcure animaduerto Itane tibi mea rudimenta placere potuere? Ego vero ad abſolutius quid data quaſi anſa tuum prouocare volebam ingeniũ. Abſit enim à me illa turpis arrogantiæ nota, quaſi obtruſurus oſtentaturuſq; in publico amicis ſapientiam calamum ſumpſerim. Nec amicos docere volo, nec inimicos prouocare. Vtriſque tamen occaſionem ad arcana penitius explicanda voluiſſe obiectam, non eſt vt diſſimulem. Quare tentandus mihi iterum es & ſedulo vellicandus vt aliquid tandem in tua eruditione reconditum extundam. Quid

de an-

Aurum potabile Vlstadii.

de auro potabili Vlstadiano sentias, perquam velim cognoscere. Magnis quidem ille id iudiciis Arnoldi, Marsiliique commendat, sed ea vnius sunt seculi. Scientiæ constantes sibi
" vendicant æternitatem. Ita vero parare iubet:
" Tota buglossæ substantia, luna crescente, die-
" que claro lecta elaboretur distillando proli-
" ciaturq; aqua in quartum cohobium (quo pa-
" cto nobis loquendum est, si volumus de mo-

Cohobare quid?

re artis, aquæ prolectæ frequentem ad feces tusas repositionem, macerationeque facta repetitam destillationem indicare) pari lege é borragine, melissa, & chelidonio maiore concinnetur aqua. Fiat ex quaterniore vnitas, quod aliquando secundum disciplinam Geometricam é quadrato circulo nominant, sicut vicissim huiusmodi separatio est quadratura circuli, qualis in perfecto magisterio lapidis est vnius rei in quatuor veluti Elementa resolutio.

Quadratũ circulare & circulum quadrare.

Iunctæ ergo istæ quatuor aquæ essentiales confusæque vt eo melius vniantur, & subtiliores euadant, in pelicano probe digerantur, & circulo in se reuersæ nobilitate debita exaltentur. Ita facta est materia subiectumq; ad vim ex auro suscipiendam. Nam auri libralis massa in laminam dilatata candefactaq; ignibus, toties in eo est restinguenda, vt quarta pars videatur absumpta esse, & tunc reponitur, permissa per filtrum depuratione. In vsu vero iungitur aqua vitæ vnionibus nobilitatæ ita, vt spiritus ex vino rubro generoso

prolecti

prolecti ſemiſſis, iniecta ſemuncia pulueris margaritarum, factaque digeſtione in vitro per Balneum deſtillando præparetur, eiuſque drachma prioris liquoris quadruplo cõmiſceatur. Hæc eſt illa Vlſtadii de auro poculento præceptio nobilis, quæ mihi videtur iudicio accuratiore egere. Noſti quantopere extollant aurum ſuum factitium Alchymiæ cultores. At hic autor infamiæ damnat, repudiatque in auri poculenti magiſteria propter venenatas ſubſtantias, quæ ingrediuntur eius compoſitionem, Sed vnus tamen autor opponitur multis. Et qui poteſt is cum artis quam profitetur vituperio in publicum prodire? Num ergo Sophiſticum aurum hoc eſt, ex miſtura quadam mineralium ad ſpeciem factum repudiat, ſeruata dignitate famaque tranſmutati vere? At de naturali eum ſentire conſtat. Video nobis difficultatem iudicii inde maxime imminere quod noſtris temporibus non ſint artifices iſtius arcani in propatulo, nec aurum tranſmutatum præ manibus. Fors non deerunt qui negabunt Vlſtadium ad notitiam iſtius myſterii perueniſſe putantem nullum aliud artis aurum eſſe, præterquam quod miſtura mineralium pernicioſorum ſeu vere ſeu opinione genuit. Sed ne tanta interim medicina careamus, aurum naturæ ab artificibus repurgatum aſciſcamus. Eſt & alia de apparatu dubitatio. Ego magiſterium

Aurum artis ab Vlſtadio damnatur.

rium transfusæ qualitatis in liquorem descriptum esse puto. Sed cum essentiis vtatur autor, fortassis Elixyr est dicendum præsertim cum doceat quartam partem totius massæ in aquam secedere, quasi innueret ita extrahi subtilissimam partem & quintam naturam. Legi quidem verba & recitaui, sed non video quomodo aurum, cuius compages longe firmior est quam vt extinctione in istis aquis, quicquam amittat corpulenti, in substantia detrimentum possit capere, etiamsi millies repetatur idem restinguendi labor. Quod si quid absilit more stricturarum, id aquæ non iungitur, separaturque colo. Nolo tamen obstrepere expertis. Interim hactenus in magisterio qualitatis substantialis exemplum relinquam, tametsi non ignorem ob coniunctas operationes & subiectum liquorem etiam aliis capitibus artis accedere. Ego vero ex auro virtutem respicio? cum & promittatur aurum potabile, & nec dum videam quomodo substantia eius solui possit. Illud dignius quæsitum est cum aurum nihil aliud sit iudicio artificum, quam Mercurius coagulatus sulphuris analogi virtute secundum vltimum naturæ nobilissimumq; scopum: id ipsum autem halitus mercurialis etiam dum extenditur in laminas, pergamenæ communicet, an non putandum sit partem aliquam nondum satis fixam ista extinctione prolici, & in aquam deponi? Ita etiam caussa pateret, cur iactu-

Quid de auro extincto aquis secedat.

iacturam in corpore incurreret Sentio in hac quæstione nobis prodesse posse bracteariorũ experientiam & aurifabrorum. Nil perdit aurum ignib. etiam diuturnis. Num quoq; percussum? Num extinctione violentiore? Examẽ vero auri in aquis acutis & sulphure restincti id non patitur. Si Halitus mercurialis est qui suscipitur ab aqua; num ideo formidandum magisterium? Sed fors nihil hic est quod metuere possimus. Præstãtia.n.virtutis auri Mercurius vel æquat aurum vel etiam in vsu vincit ob maiorem subtilitatem. Non dico vulgariũ quoque medicorum experimenta aquas auratas fecisse tutiores. Margaritæ in vini spiritu infusæ ad modum simpliciter creduntur eum chymicè exaltare. Videndum itaque an non earum solubilis calx, quam alcali nominant, loco integratum sit accipienda.

Sed ab auro ad auream tincturam transeamus, hoc est, à corde ad antitypum eius oculum. His qui hebetiore sunt visu è Thutia, seu lapide calaminari eodem magisterio medicamentum parant. Eius vnciam candefactam octies vino maluatico immergunt restinguuntq; ita vt vltimo opere relinquatur, donec refrigescat. Exemtum lapidem in exactum ducunt læuorem, adiectaq; macis vncia & caphuræ drachma, cum priore liquore vniunt; seruantque. Potari hoc Elixyr potest; & foris adhiberi. Nihil enim est periculi. Sed ego vsum externum cæteris ritè

Ad oculos visumque hebetem.

H com-

comparatis in obſcuritate viſus emendabili malim. Deponi vero aliquā vim ex lapide etiam per ſe volatili ratione floris tenuioris nemo forſan iuerit inficias, neq; refert, licet & flos ipſe cōmunicetur. Partes craſſiores nō alio redduntur conſilio, quam vt digeſtione diuturniore quaſi radicetur virtus. Non enim eæ in vſum veniunt, ſed duntaxat liquor Magiſterii, quanquam etiam fex ipſa oculis clauſis per lintea inſterni abſq; incommodo poſſit. Commendatur autem Thutia in oculorum affectibus tam à veterib. quam recētibus maximeq; Cratonis experimentū excellere iudicatur. Ex antimonio ſimiles parantur medicinæ, & quidem ad oculos conducit crudi, in aqua rutæ & Euphraſiæ, extinctio. Ad vſum purgandi alii vitrum infundunt, aut cogunt in certis liquorib. Botonus dicitur calcinati decoctum malle, quod etiam tutiore conſilio in tabulas cum Saccharo coniicit. Talis autem mihi tradita eſt eius nomine deſcriptio. Antimonii ter quaterve calcinati libra ſex libris aquæ communis ad abſumtionem duarum partium incoquitur. Liquor abſtrahitur per filtrum, eiuſque duæ libræ Sacchari roſati recentis per cribrum traiecti decunci miſcentur, coctioneq; ad Electarii formā rediguntur. Huius drachma ad purgandū datur cum aquæ petaſitæ quadrante. Modum calcinandi hæc deſcriptio nōn tradidit. Videtur tamen perfici cum Halinitro debere vsque

Antimonii extinctiones.

Electuariū Stibiatum Botonii.

que ad constantiam. Hoc si est, nonnihil debemus etiam huic. Sed Delio natatore indiget altera eiusdem præparatio. Florum cordialium & melissæ singulos pugillos, adiectis radicum pæoniæ sesquidrachma seminumque coriandi quatuor scrupulis decoquit in aquis, rosacea, melissophylli & menthæ. In hoc decocto Stibii selecti fusique instar plumbi eliquati extinguit semissem. Extinctum terit in marmore fusumq; denuo in eodem liquore restinguit, non dubitãs idem etiam tertio & sæpius repetere. Substantiã ita præparati Stibii à scrupulo ad semidrachmam præbet. Vides huius magisterii vsum diuersum. Non.n. duntaxat in liquorẽ vis deponitur, vt inde exaltetur alteratione facta ad vsum ipse, sed & vt assumta qualitate noxia corpus relinquat ad vsum habile, quomodo corrigimus lupinos, rapas, Elleborum aliaq; & qua arte Mesueus noster aceto cydoniis alterato folia mezerei, & Euphorbium emendat. Sed quodnam Stibiũ ita præparandũ iudicas? Noui vitrũ purgans aceto restinctum, aut maceratum euadere mitius. Num idẽ propositum fuit Botono? Crudum purgare negãt, nescio qua experientia, idque etiam suspectũ est virulentiæ. Cum ergo Antimoniũ purgans intendat illa operatio, vix adducor vt credam, crudum sumendũ esse. Nec calcis prior elaboratio per hãc posteriorẽ infamatur à tanto artifice. Cur.n. ibi decoctũ probaret, hic liquorẽ

Sal Sribii purgans. Notabis hoc Sale neglecto ex eadam calce ab aliis parari diaphoreticum.

extinctionis repelleret? Meam sententiam si quæras, dixerim me in proposito decocto vitrum purgans, aut calcem seu maceraturũ seu decocturum aut etiam restincturum nõ præbentem substantiam vitri, sed decoctũ ipsum ita exaltatum, idq; siue potus forma siue Electarii, humidi siccive, prout in vsu prudentia medici animaduerterit cõmodum esse. Non desunt qui Salẽ purgantem eo ingenio parẽt. Nam ter cum pari halinitro calcinatum in reuerberio Stibium in aceto macerãt saleq; extracto, & aceto per balneum segregato, vtuntur ad purgandum. Magisteriũ qualitatis cõmunicatę in hoc consistit, vt halinitrum per se quidem purgandi vim adeptum per ignem & antimonium ea ipsa exaltetur citra communicationem substantiæ, estq; eo elegantius ingeniosiusq;, quo habiliores ad vsum sunt sales. Sed aliquid in recessu habet arcani. Cum enim quæritur vnde tantum purget vitrũ stibii, quantum non crudi quantitas longe maior, non tantum Mercurialis natura per elaborationem in paruum contracta & ad actum promtiorem perducta, igniumq; efficacia respondenda est, sed & additamenti, siue id sit Sal petræ, siue borax, siue Sal gemmæ, quos vsitatè adiiciunt, natura, idq; obseruatum ab illis est, qui deprehenderunt augeri põdus Stibii etiam toties ignib. expilati. Sed de hac re suo in loco plura. Volui tibi his exemplis vberiorem creare voluptatem, non quod à me doceri

Flores Stibii albi non denuo præparati, furiose purgant tum ob mercurialem arsenicalemque vel etiam Chalcanthinam subtilitatẽ tum ob spiritus Salis admissos. Vulgo notum est Salem petræ & Boracem cathartica esse. Neque tamen dici potest ab

doceri te posse confidam, cum rerum notitia & vsu sis pollentissimus, sed ꝙ ad philosophandum hac occasione adductum eximium oblectamentum consecuturum sperem. Est enim in hoc ipso non parum iucunditatis, cum natura duce ad contemplandum rerum varietatem feramur, potissimumq; gaudeamus si non desit & testis & instigator, cum quo sermonibus permutatis animi cogitata conferamus. Si assecutus sum quæ quæsiui, gaudeo & ipse; sin minus per nostram amicitiam rogo, vt in me experiaris, ꝙ frustra in te à me susceptũ videris. Noli vero putare ista à me prolata vim habere Mãliani Prætoriive edicti. Audacter bonis viris licet & dissentire, & rem in aduersam partem inflectere, ἀλλά γε φιλοσοφόντως, καὶ οὐδὲν περὶ τὸ ἀληθείας. Vale & me amare perge. Septimo Ianuarii, anni Saluatoris 1598. cuius euentum tibi felicem precor.

his Stibio eam vim tantum cõferri, sed mutuas tradunt operas.

EPISTOLA XIII. DE MAGICIS MAgnetismis, & deriuatione virtutum cœlestium in sigilla per verba & characteres, &c.

AD

Nobilem & præclarum virum Ioannem Schenckium de Monte Comitis.

DVM ad capita refers rerum passim dispersa miracula, à multisque obseruata & singularibus descripta libris in vnum cogis

volumen, incredibilem, vir pręclare, ciuitati literariæ præstas operam, publicoque commodo gloriam tibi paras immortalem. Legi quidem aliâs reliqua ista tua, nec me pudet profiteri non mediocrem & voluptatem inuenisse, & reportasse vtilitatem; sed cum hoc tempore amicorum suasu iterum aggrederer Chymica & commentatiunculas quasdam in librum secundũ meditarer, inter manus versante capite de occultis transferendis quam commodissimè occurrit liber tuus de venenis, in quo miraculorum numerus tã varius, tamq; rarus quem nõ possit afficere admiratione? Plæraq; aliâs legentes audiẽtesve, tanquam hominum nouitate historica sese cõmendantium narrationes, prætermittunt rerum ignari; tuus vero liber argumentis adductis animũ occupatum tenet, subindeq; ad noua animaduertenda prouocans remoratur. Sed nõ expectes iam à me Encomia. Cõmendat seipsum labor ipse. Nunc aliquid volebam ad te de mirificis istis, quæ pollicentur videnturq; probare nonnunquam hi, qui ex Cabala seu Magia, Astrologia & Chymicis arcanis vna ope coniunctis planè remota à vulgari captu promunt, quorum vnum atq; alterum exemplum in tuo quoque libro non sine admiratione legi. Non negandum aliqua proprius attingere rationis humanæ potentiam, quanquã ab aliis percipi nequeãt aut etiam credi. Nõ enim fortassis meo ingenio æstiman-

ſtimandum eſt tuũ, neq; omnia naturę, humano metiẽda intellectu. Ἀποδείκτους à rabie liberatos, quod eſt in tuo commentario, recidiuam pati cõtactu corni ligni & virgæ ſanguineæ, aliosq; ſub ſorbo dormientes experiri idẽ, antipathiæ ſpecialis nomine facilè expedieueris. Sed declarari poteſt non exemplis tantum verum etiam rationibus. Magnarum enim virtutum potentiæ tantum immutant ſubiecta, vt etiamſi aliquo oppoſito intercipiantur actus, & ferociendi occaſio præcidatur, tamẽ maneat aliqua procliuitas, & δύναμις quæ tacitè vires ſumere, & ab aliquo diſpoſito prouocari denuo poſſit. Non malè in hanc ſententiam Plinius. Aggrauantur vulnera introitu eorum, qui vnquam fuerint ſerpentium canisve dente læſi. Iidem gallinarum incubitus, pecorumque fœtus abortu vitiant. Tantũ remanet virus excepto ſemel malo, vt venefici fiant venena paſſi. Nimirum ita irritantur Epilepticorum paroxyſmi grauibus animi commotionibus, abſq; quibus diutius, vel ſemper in potentia retenti fuiſſent actus. Ita exaſperatur ſerpentium virulenta ſanies: Ita anicularum menſtruiſque laborantium ſolicitantur ſpiritus noxii. Remedia ſæpe non funditus extirpant malum, ſed labefactant prohibentque in actum erumpi, niſi aſſit quod clauſtra laxet, effundatque impetum, quod ipſum experiaris ſimiliter in his qui aliquando maniaci, phrenetici, aut melan-

Morſi à cane rabido.

Lib. 28. c. 3.

Ita quidem à peſte liberatus, cum poſt aliquot annos Bezaar ſumeret, puſtulã Carbuncularem è regione cordis ſibi erũpentem vidit, reliquias ſcil. mali priori remedio indomitas.

cholici extiterunt. Nam incidente προφάσει siue ab animi affectu, siue morbo ad antiquum ferè redeunt, ipseque sæpe notaui, à temporum quoq; constitutionibus epidemialibus idem euenire. Nec nihil facit ad illustrationem rei, quod Plinius eodem loco refert à Scorpione percussos nunquam postea à crabronibus, vespis, apibus feriri. Certè ea res quasi intoxicatio quædam est, quæ si cōsistat intra terminum vitæ, nec excedat rationem viuentis, pariter affectos reddit, ita vt alii, quos subitus ferit impetus, ex iisdem cōtagio accepto vitæ simul incommoda sentiant. Euadunt autem illi tales, vel semel ab vna caussa praui quidem, sed statim repressa antequam vitam iugulet, vel paulatim per assuetudinē venenorum. Hæc, inquam, & similia, quanquam agentiū crases sint per se inexplicabiles, sicut & patientium dispositiones nullo alio nec sensu nec voce tradere possumus; tamen magis videntur esse rationi vicina, quam illi magnetismi, & virtutum attractiones translationesq; magicæ per verba & characteres. Scripsi de huiusmodi, non subesse arti Chymicæ, quanquam huius scientia sese ostentantes Paracelsici, etiam illas iactitent. Non enim ab arte rationem habent, sed cum pariter vsurpentur ab infami Magorum consortio, suspecta sunt peregrini commercii, adeo vt cum effectus est non ab ista sit caussa sed aliunde, quamuis & ludibria interdum

interdum, & figmenta ad excitandas ſpes ſerias, animumque intentum non raro ſint cõiuncta. In catulum vel anatem colicorum arthriticorumue locis affectis applicatum tranſire morbum per reſolutam materiam, euocatoſque ſpiritus contaminatos infeſtoſq; non eſt extra rationem. Sed non in ſaga, quæ malum carminibus ſortibuſque inflictum, tranſfert in alium per eadem. Qui fingebat verbis obmurmuratis ſcorpium interimi, adhibito interim ſputo, naturali vtebatur inſtrumento, obiter adiectis vocibus, vt oſtendit Galenus, quomodo etiam euenit in vnguento armario, & illo quod Sympathicum quidam vocat, podagræ cauſa ex deſtillato patientis ſanguine aliiſque concinnatum. Nec aliter accipiẽdum, quicquid in cura Paracelſi Magnetina poteſt perſicaria, loco affecto poſt irrigationem in aqua frigida inducta, & alicubi ſepulta putrefactaque. Sæpe quidem hoc fruſtra tentatũ eſt nullo euentu, vt & vng: armario non proficitur in quouis vulnere; ſed vbi effectus eſt, non eſt herbæ, ſed naturæ eius qui male habet, quæ tamen mentis ſpe excitata (fidem aut imaginationem appellant aliâs) iſta religione, promptius abſoluit curam. Temere confingitur conſtellatio prædeſtinatioque herbæ ſingularis: falſus eſt ille magnes humanus, qui ex herba non præſente, ſed remoto ignotoque in loco putreſcente, non integra, ſed ſoluta & enecta corruptaque, vim

Plin. lib. 30. cap. 7. Verba Plinii: Quod præterea traditur in torminibus mirum eſt, anate appoſita ventri trãſire morbum, anatẽque emori. Et ſunt occulti interaneorũ morbi, de quib. mirũ proditur, ſi catuli, priusq̃ videãt, applicentur triduo, ſtomacho maxime ac pectori, & in ore ęgri ſuccum lactis accipiant, tranſire vim morbi, poſtremo exanimari, diſſectiſq; palã fieri ægri cauſſas. Vide Bodinũ

dam: cap. 5. de magica medicatione per ita applicatam columbam.

attrahere dicitur, seu essentiam spiritalem, vt ad vulnus seu locum affectum per applicationem introducta cognatione, directa eum persanet. Ita cum vulgus credit equorum aliorumque animalium vulnera sine dolore sanari, si clauus, culter, aliudue instrumentum lardo, terræ, paniue fuerit infixum, euenit quidem sanatio, si non est periculosum, aut compositum, sed deceptio fit per ceremoniam, preterea nihil conferente illa infixione. Longe sunt abstrusiora quæ de Marsis Psyllis, Ophiogenum gente, Pauli prosapia & similibus recitantur, quanquam non nulli putent, ob talem quandam causam serpentes non lędere audacter se tractantes animoq; præsente adorientes, quali crocodilus Tentyritas, & aquatica Canicula se persequentes confidenter, fugiūt. In simili affectu cum est Vrsus, nequit hominem lædere; nec is qui leoni nondum furenti præsenti animo obsistebat, eum experiebatur sæuum, sed potius pauidum & blandum: quomodo & obseruationes tuæ docent victam rabiem caninam esse obstinata Philosophi in contrarium persuasione, valetque fortassis hic etiam spirituum seu geniorum, quos dicunt gubernare homines, opera, vt in Antonio, Augustoque, & aliis apparuit. Danielis 6. Daniel inter leones fatetur Angelum Dei istis os occlusisse ne quid ei potuerint afferre detrimenti. Fatendum certe est aliquid in his esse quod nondum explorauerit huma-

humana induſtria penitus, ſiue naturale id ſit, ſiue extra naturam. Odioſiores hi ſunt, qui eiuſmodi hyperphyſica ad præcepta artemq; reuocare ſunt conati, & cauſis redditis demonſtrare vim verborum, characterumque certo tempore certis rebus inſcriptorum, inſculptorumque, aut etiam alio modo vſurpatorum, voluerunt. Noſti quomodo concilient cum aſtris eorumque influxu metalla, gemmas, chartas & alia, putentque inſcriptis ſignis verbisque colligari mutuo, ita vt quod robur certis temporibus exaltationum aliarumque ſtellis aſſcriptarum dignitatum indicantur habere, transfundant in illa ſubiecta, quæ poſtea idem poſſint, quod Stellæ ipſæ in applicatione debita, vel aliquid amplius propter conſpirationem naturæ ſubiecti, virtutis aſtrorum, efficaciæ characterum verborumque & directionis temporum, vnde creduntur longe validius operari, quam ſolitario cœli influxu. Venit ad manus meas ſpeculum huiuſmodi & globus magicus. Illius fundamentum erat orbis chartaceus inſcripto quadrato multiplici ad eam penè formam quam in Thematibus cœli obſeruant, adiectis numeris, literis, planetarumque notis duplicibus. Tali fundo adaptatus erat orbis cereus candidus, certo tempore item apparatus tribus conſtans circulis cum diſpoſitis paſſim tum iiſdem characteribus, numerisq;, tũ quibuſdã aliis cũ crucis hieroglyphia. Cerę imponeba-

Speculum cum globo Magico.

ponebatur ſpeculum vitreum, licet metallicum poſcant magis religioſi. Huius fiducia credebatur obtineri poſſe, quicquid eſt ſcientiæ & felicitatis in rerum vniuerſitate. Globus vero erat cereus per zonas decuſſatim diuiſus & inſcriptus planetarum ſignis, literis & numeris temporum. Quid profuerit vtrumque inſtrumentum quæris, Ne hilum quidem. Quamuis enim eius poſſeſſor neſcio quid arcanæ ſcientiæ ſibi vendicaret; tantum tamen inde lucratus eſt quantum miſeræ ſagæ ex cõmercio Satanico. Hoc habuit quod mentiẽdo & impoſturis obtinuit. Qui Archidoxin magicam libris Paracelſi inſertam fabricauit, mira aſſcribit ſpeculi cõſtellationi, Electro, & aliis metallis certo ſyderum poſitu coaptatis inſcriptiſque. Non eſt vlla ſcientia vllibi ſeu in manifeſtis ſeu abſtruſis, nullus dæmon aut vis, quam non allici & acquiri poſſe præſidio iſtius putet, quem etiam videas Hiſpani cuiuſdam campanulam ſpiritus allicientem abigentemque pro libitu mutatis characteribus, & alteram, qua Virgilius dicitur vſus, approbantem & ex intimis naturæ penetralibus, & neſcio qua Hyperphyſica demonſtraſtrare ſatagentem. Idem attentauit ante ipſum Corn: Agricola & multi ex Platonicorum ſchola. Damnauit omnes Magiæ Diabolicæ BODINVS, nec voluerunt Medicorum cathedræ Catoniana illa apud Plinium, aliaq; ſuperſtitionum deliramenta, quæ & ſacris li-
teris

teris aduersantur, inter præcepta recipere, cuiusq; sapientissimi ea respuit fides. At certam historiam ex Matthiolo narras, qui scribit, Eremitam quendam à feris ictos mira arte sanasse. Videtur verbis conceptis, quæ ibi ponuntur vim quandam rasuræ vestigii intulisse, vt colatura eius ab internuncio pota per hunc sanaret absentem ægrotum longe certius, quam qui ex Pauli familia artem profitentur similem. Mirabilius certe hoc quam veneficarum per homunculos directiones. Miraculosius etiam Auicennæ & Paracelsi phantasia. Bodinus recitat ex horto Antonii de Turqua media, Magum quendam hominem rusticum ter naso correptum punctumque vsque ad hæmorrhagiam, liberasse ab hydrophobia. Matthiolus fidei & Dei misericordiæ plurimum tribuebat in curatione rabientium in templo Bellini, aut Donini, quos Diuos putant. Nec absque causa pronunciabat Saluator, etiam grani sinapis instar fidem posse montes transferre. Si hæc in medicina Eremitæ non tulit potissimas, nullam video aliam nec Chymiam, nec Cabalam, nec Astrologiam, præter vim magicam, quam tamen non exequi possunt, aut procurare quilibet; sed astrorum filii, hoc est, certo modo constellati. Itaque non mirum est à Tiridate Mago Neronem, cum regnum ei daret, eam artem non potuisse accipere, ipsumque omnia eiusmodi vana falsaque comperisse, quam-

Eremita ictos à feris sanans magice.

Plin lib. 30. cap. 2.

quamuis nihil deesset ad eorum requisitionem. At quæ de scorpionum ictu refers, tam grauium autorum fide comprobantur, vt quo vultu eis contradici possit, nõ videã. Quantus enim Mizaldus, quantus Serapio, Heurnius Alexandrinus, Iouianus Pontanus: Nisi fallor etiam titulus eius obseruationis Physicum remedium appellat historia & experimento cognitum. Scorpii signum ascendente cœlesti Scorpio, Luna ibi cardinaliter constituta insculptum fuit lapidi. Is character certo tempore impressus in Thuream massam seu solam seu mastiche mistam tantum ei côcessit virium, vt ex aqua pota percussos à scorpione sanauerit. Dicere quis poterat eam vim Thuris esse. Sed additur non huic tantum sed & alias inditum signum idem eadem posse. Quis neget exemplum pertinere ad chymica de translatione occultæ virtutis magisteria? Ille magus Archidoxicus curat sibi fieri signum Scorpii ex ferro, Marte Domino anni existente, Sole intrante scorpium, & Marte in ariete. Vult remedio esse morbis venenatis, & quidem hora Martis appensum. Si collocetur in domo, negat in ea manere scorpium, Aduersari lepræ dicitur, & militibus addere animum ad victoriam certam. Nõ procul abest hoc machinamentum ab illo quod tu consignasti; Et fortassis etiam infusum eius tantundem prodesset, quomodo refert de signo sagittarii, quod eius ope non tantum aduersario-

Scorpii ictus sanatio

uerſariorum ora obturauit, vt ſteterint ſicut onagri, verum etiam per noctem in vino macerati infuſo, poſtea ſanari poſſe calculum perſuaſum habeat. Si fiunt ea quæ promittuntur, nemo negauerit cęcam eſſe cauſam. Illud callidius, quod iudicat, vim amittere luſu venereo, quomodo & aliud venereum indies renouare iubet, & pridianum comburere: aliud ad lepram factum ab hoc morbo adeo labefactari dicit, vt poſt annum ſit invtile. Nec minus lepidum eſt ſigni ad vertiginem inuentum, & vſus cum tali medicina, quę vel ſola queat morbum ſanare. Conſtat enim Origano, vnicornu, moſcho & vitrioli ſpiritu. Eodem ingenio etiam podagræ amuletum creat adhibito medicamento ſatis valido. Donabis aliquid fortaſſis ſuſpicioni, nec ſuccenſebis diuinanti. Quid ſi iſtud antiſcorpium ex horum eſſet genere? Ipſe certe medicus videtur actione ſua in homine conſtantiam, fortemque phantaſiæ aduerſus contagium pugnam excitare, adhibito ſigillo præterea nihil aliud valente, quomodo ſcripſiſti ſine vlla ſignatura illũ á cane demorſum euitaſſe inuaſionem paroxyſmi, & nos ſcimus in febribus ſimilia. Adiuuit actionem Thus cum maſtiche. Dioſcorides ſcripſit id in corpore pernicioſum eſſe, procreata inſania, vel etiam morte, ſi excedat doſis. His confert, quæ Plinius recitat de ſcorpio & aconito. Scorpionum ictibus, inquit, aduerſa- Lib 27. cap. 2.

ri ex-

lib. 27. cap. 2. ri experiendo aconitum datum in vino calido Ea est natura, vt hominē occidat, nisi inuenerit, quod in homine perimat, &c. Sic ad aspidum venenum præberi docet eiusdem morsi vrinam, cum tamen talium excrementa sint exitialia. Nec ignotum est quod de toxico & hydrargyro in Annales est relatum. Nec Dioscorides aliter. Prodest Thus, inquit, sanguinis ex screationi potum. Sed in secunda valetudine haustum insaniam mouet & largius cum vino potum interficit. Penè persuadet ille, vt putem, non alia ratione Thus signatum profuisse malo scorpionis, & adiutum auxilium roborata mente, quanquam Thus ob vim alexipharmacam Theriacæ & Mithridatio sit mistum, & sic etiam hoc modo prodesse possit. Da veniam sensum suum candide aperienti.

lib. 29. cap. 4.

Admodum displicent illa magica, quæ aliis de causis, quam quas modo asserui, procurantur. Quæ diuina fiunt potentia, alterius sunt contemplationis. De creaturarum virtute sermo est. Exitus certe in multis comprobauit principium magicarum actionum, earum nimirum, quibus dicuntur spiritus aduocari & pelli per specula, campanas, characteres, & his affinium, in medendo per verba, signa, gestus superstitiosos, quos docent exempla, à diabolicis fuisse commerciis. Nec ipsa inter se autorum documenta consentiunt. Alius magnetinam curam appellat, alius spiritalem, magicam, sagacem, &c. quam

Magorum variatio.

&c q̃ materiam repudiat vnus, eam aſſumit alius in opere eodem idem ſpectans; cum tamen naturalia non perinde ad omnia ſint diſpoſita. Nonnunquam dicunt aſtrorum vires maleficas prohiberi amuletis talibus, & ſic fieri ſanationem ſpiritu intus roborato, interdum benignas deduci & dirigi. Aliquando phantaſia & fides producitur; aliquando ſympathia, & ridicula incertaq;, vt par eſt in ſuperſtitione Magorum fieri, plurima. Quare non immerito videor repudiaſſe hanc chymiam, quo conſilio etiam hæc ad te ſcripſi. Si quid erraui, eius me pro tua facilitate clementer admonebis Fieri aut iſtud poſſe in tam abſtruſis, niſi ſacra anchora ſcripturæ Propheticæ ducamur, non eo inficias. Præclarè enim Ariſtoteles oculos noſtros in veritatis contemplatione comparat veſpertilionum in meridiana luce cæcitati. Vale.

EPISTOLA XIIII.

Pro magiſterio exaltationis figuræ;

AD

Coſmam Pulcherium virum ornatum.

RIDES Chymiam de diſpoſitione figuræ meam, quod longè infra dignitatem huius ſcientiæ eſſe videatur in extremo partium ſitu elaborare, polire, fundere & quæ alia ad rem figurandam pertinent. Chymica profeſſio non eſt in cortice. Etiam ſine mangonio tali opera eius ſunt præclara. Miraris

postea, qua ſeu fiducia ſeu audacia chymico
aſſcripſerim ſenſilium curam, cum conſtet o-
mnia ipſum ſpecifica, formalia eſſentialiaque
ſpectare, & adeo negligere ſenſuum indicia,
vt etiam ſe falli iſtis putet, & praue iudicari,
quicquid eorum æſtimatione de re vlla vel
Platone teſte ſtatuitur. Quorſum vero atte-
xuiſti furnariam inquis? Num etiã famulitiis
iſtis ſordidis inter exaltationum miracula ſe
cõtaminat magiſter? Parumne erat ἐγχειρήμα-
τα prima parte docuiſſe? Quid præclari habet
catillorum fabrica? Quid rotularum ad expo-
liendos lapides gyratio? Negas iſta chymiæ
eſſe, ſed aliunde in ſubſidiũ artis quaſi preca-
rio, aut accommodato ſumi, poſt operam ve-
ro rurſum dimitti, quomodo mercede con-
ducitur aurigarũ labor ad conuehendã artis
materiã. Etiam logicos nõ ferre figurarum in
qualitatib. manifeſtis præſentiã ais, cum totis
generib. diſtent τὸ σχῆμα, καὶ ποιότης. Delendũ
itaq; & expungendum totum iſtud caput iu-
dicas. Macte vero iſta tua virtute, mi Pulcheri.
Monere amicum apertè maluiſti, quam mor-
dere clanculum. Sed rationem conſilii pari
auſculta facilitate. Volui locum eſſe in arte
etiam polituræ figuræque dignitati, quæ li-
cet inferior ſit aliis, tamen ſibi quoque non
nihil vendicat. Maluntenim omnes præclarè
elaborata & auguſta quadam ſpecie donata
quam neglecta, & interdum finis vſuſque
cogit certo vultu magiſterium adornare. Non
quidem

quidem amplector superstitiosos illos magorum characteres, & sculpturas: sed tamen cum formis certis operã dederint aliquando chymici non planè abhorrere ab hoc artificio scientiam suam docuerunt. Aliæ accersendæ erant officinæ, inquis, aut ex cõmunitate petenda opera seruilis. Sed tamen officium erat chymici, omnibus numeris suum opus absoluere quanquam per manum mancipii. Non ille imperfectior est medico qui nonnihil præceptorum de conformatione extrema quoq; & situ, membrorũ habet, nec raro etiã de Cosmeticis præcipit. In faciem pilularũ, tabularum, trochiscorum similiumq; redigere medicinarum massas, fors etiam ex plebe aliquis possit: sed nõ ob hoc id abest à functione pharmacopœi. Non omnis figuratio est huius magisterii, sed chymica: Sicut nõ omne quod figulina habet, sibi sumit docimasta; attamen catillos formare si ignorat, artis absolutionem nondum habet. Extendere in latum metalla ferrario quoque licet, & fusori; at idem suo modo profitetur & bractearius. Quis autem ille est, qui tam parum tribuit sensibus? Finge hac facultate destitutum. Non hominem sed truncum pones. Nos vero sensus ab arte internoq; intellectus principio instructos gubernatosq; & experientia firmatos requirimus. Logicos illos in suo campo præliari sinimus. Certum est physicos illam dispositionem inter externa habere, & qua-

litates materiales vel secundas appellare asperitatem, glabritiem & affinia. Sed nolo tecum pugnare verbis. Ne ingratus sim pro admonitione, significo tibi me nuper ex chymico quodam intellexisse, Stellam Stibiatam aliquando opere huius artis esse fabricādam. Putabam me sculptorum officinam adire debere, hicq; eam procurare. Negabat ille, & artis Chymicæ præsidio eam exigebat. Didici itaq; fundendum Stibium esse cū bracteis ferri & nitro, regulumq; inde exortum iterū adiecto Halinitro tertia in conum fusione in stellam conformari. Idem cum aliquando cęmento experienda cinabaris esset, & ad eam tē pyxide egeremus, iubebat aptam expedire. Confugere actutū ad figulinam volentem reprehendebat, q̄ primum esset in arte, mente circumferre formas non tantum operum, sed & adminiculorum propriorū, easq; posse agendo exprimere. Sicut ergo discipulū exercet catinis testisq; concinnandis faber monetarius; ita mihi experiundum esse in vase cæmentario effingendo monebat, quamquam postea vicaria figuli opera vti liceret. Mandabat itaque è luto seu argilla tenaci fieri vasculum teres eius altitudinis vt tres ordines argenti, duosque cinabaris caperet, hoc est, duarum vnciarum: in aliis esse maiorem: factum resiccare parumper: postea inspergere puluerem terræ fulloniæ, iterumque siccare, & tandem vitro inducere, adiecto operculo, quo

Stella antimonii.

Pyxis cæmentatoria.

quo poſſit claudi, quodq; in aliis operibus aliquando pertundi ſolet, & ferramentis alligari. Cum igni inferendum eſt, lorica lutea armatur, diligenter occluſis ſpiraculis, & humiditate abſumta. Vides nos hoc magiſterio neque in primariis aliquot operibus carere poſſe, nec ſeruilibus. Ita & Agricola in diſciplina metallica furnariam ſcientiam in magiſtro qui excoctionibus fuſionibusque præeſt, requirit, cum non parui ea res ſit momenti, nec ſciri myſteria fornacum ad varias venas excoquendas poſſint exprimique operando, niſi ab artifice, non tam fornacariæ perito, quam fuſoriæ. Sed plura ſcribere iam non vacat. Vale.

EPISTOLA XV.

Continens ſeruitia quædam de fornacis arcanæ fabrica.

AD

Publium Seruilium e Vulcaniis.

PASSIM te excludi, nec ad officinarum ſecreta admitti non iniuria conquereris. Non quidem facile ſolent nō initiati Orgiis iuſtis ad adyta operum à ſapientibus introduci, quod nefas ſit profanis oculis ſacraria conſpici, manibuſque illotis contrectari; tibi vero non parum in arte verſato non patere aditum non videtur aut iniquitate carere inuidiâque, aut peruerſitatis cuiuſdam ſuſpicione. Multi enim non ideo

Cur aliqui arceant alios à ſuis officinis.

excludunt acceſſores ne aliquid ſecreti furtim rapiatur, cum intelligant non in vna particula artis penetralia hærere, multosque intueri officinæ fabricam iis oculis, quib. Æneas Clypeum Vulcani ingenio res futuras continentem; ſed ne peruerſitas, aut impoſtura, vel ſaltem artificiorum ruditas penuriave innoteſcant cum alioquin profundiſſimę ſcientiæ ſupercilio apud omnes velint eſſe quã commendatiſſimi. Aliqui contentiones metuunt & obtrectationes, inuenias enim adeo malos peruerſosq; Menalcas, vt etiã recte facta diſpoſitaque virulente calumnientur, & ad artificis conſilia nõ attendentes ſcabioſe pronuncient. Aliquando intempeſtiuius accedens hoſpes ob neglectam aliquandiu & non perpurgatam tabernam excluditur, ne pudore cogatur ſuffundi artifex aliâs etiam præſtantiſſimus, cui id humanitus vel ſua vel famulitii culpa accidit. Sed cauſſæ ſunt plures. A me quid expectare poſſis præclari, non video. Putabam ſatisfactum fore tyronibus his præceptis quæ qualicunq; induſtria in veſtibulo Alchymiæ ductu artificũ deſignaui Te vero plura inſuper pro tua ſolertia experientiaq; deſiderare nõ miror. Meę.n. opes fercula q; tenuiora inſulſioraq; ſunt, quã vt tuo exquiſitiſſimo palato queant placere. Illud itaq; miror poti⁹ cur ad me venias petitũ id quod ego ex tua copia lõge iuſtius poterã deſiderare, & requirere. Sed oſtendis tamen te animo, nõ

ſubdolo

ſubdolo aut peruerſo, quaſi tentatũ aduenires & eliceres, ꝙ reprehendere poſſes, ſed ſimplici, etiã amplius quid, ſi nõ melius traditis, attamẽ varietate iucũdum poſtulare, quo ipſo facile omnẽ tergiuerſationẽ expugnaſti, meq; ad confabulandũ cũ veritatis ſtudioſis vltro procliuem quaſi addito calcari ad plenioré philoſophandi conatũ impuliſti. Hac tamen conditione tecũ permutaturus ſum verba, vt patiaris me interrogantis locum obtinere, tu vero interrogatorum ſis iudex, aut ſi mauis arbiter honorarius. Puto te initio ſi non oculis, ingenio tamen & fama cognouiſſe, non vnã vbiuis eſſe officinarum chymicarum rationẽ. Prout enim neceſſitas rerũ deſiderat, & experientia monſtrat, ita partẽ ſibi quisq; eã adornatam curat, in qua maxime cogatur poſſitq; elaborare. Raro integræ inſtructiſſimæq; inueniuntur. Qui deſtillatoriam exercent, vaſa, fornaceſq; huic aptas in Ergaſtulo ſuo diſponunt. Nõnulli adiungunt reuerberia: alii ſublimatoria. Eſt vbi duntaxat vſurpatur ſupellex excoctoria minerarum, furniq; fuſorii, ſegregatorii fulminatorii & ſimiles vt in metallicis de quibus ſatis diligenter præceptum eſt, ab operum horum peritiſſimo Agricola Germano, à quo peti poteſt quicquid hac in diſciplina deſideratur. Nõnulli non tam varietate vaſorũ gaudent, quã operum cõpendio in vaſis paucis. Itaq; & varii vſ⁹ fornaces ab iisdẽ ingenioſiſſimè excogitantur, quos aliquãdo con-

ſultus abamico ſtudebã imitari, & in fornaculã ferream plura operũ chymicorum genera cõferre. Cõſtabat ea partib. mobilibus, ita vt ſeiungi cineritium à foco, & ab vtriſq; ergaſtulũ iterumq; coniungi omnia poſſent. Mutabam tamen catinos proq; vſu, arenarium, ſtufam ſiccam, balneum maris, balneum roris, reuerberium, deſcenſorium, ſublimatoriũ, &c. parabam. Catini exemtiles: argillaceus ad arenã & cineres; quo ipſo etiam more vulgi licet vti pro ſtufa ſicca ſeu veſica ad herbas ſuccoſque: quanquam nonnunquã etiam liquores eodẽ prolicui & à fecibus ſegregaui impoſito pileo naſuto ex eadem materia. Sicubi res exegit oleorum deſtillationem ex radicibus & ſeminibus ſimilibusque mutaui fictilem æreo, plũbo intus candido inducto, cuius extremũ coarctatum committebatur collo ſingulari cũ alembico, quæ remouebãtur, ſi balneo & cucurbita opus eſſet, & res poſtularet alias quoque per recta vaſa cucurbitina operas. Pro retorta ſatis erat arenariũ fictile. Ad reuerberãdum remoto ergaſterio ſol⁹ ſufficiebat focus, ideo etiã altior paulo factus, vtq; tectũ reuerberium eſſet, ei aptũ erat operculum intus luto muniendũ. Ad deſcendendum exemitis catinis, ſubſtituebatur pertuſus in medio orbis ferreus, remotoq; cineritio, & crate, p oſtiolũ cætera componebantur. Auriculæ prominebant à lateribus, paulo verſus partem poſteriorem duæ, totidemque verſus anteriorem, quibus

Fornacula polychreſtos.

quibus ſui aderant ad obſtruẽdum coni. Intus hamatæ laminæ ferreæ luto aduerſus vim ignis muniebantur. Quin & pro balneo parabatur operculum ſingulare in medio perforatum ad tranſmitetndam cucurbitam, cum tubulo ad ſummittendam aquam & fibulis quibus adaptaretur ergaſtulo. Dimetiens pro operum exercitiique voluptate vlnæ dimidiæ, reliqua iuxta proportionem. Neque enim lucro ſtudebam, ſed domeſticis neceſſitatibus paruum quærebam adminiculum, ne deeſſet familiæ leuamen. Itaque & transferre quo volebam operas poteram, & vel in muſæo, ſi liberet diſtillare. Parare hoc tyrocinio poteram aquas, olea, ſuccos extractos, ſpiritum vini & huiuſmodi. Si placet cui, non difficile fuerit alembicum ſerpentinum machinari, adiectoque refrigerio analogo etiam ſubtiliores ſpiritus oleaque concinnare. Scribo tibi mea. Si quid ingenioſius excogitaueris, id pro tuo erga me amore commune eſſe voles. Furnum philoſophicum ita mihi ex argilla ferreisque laminis fabrefactum curaui, vt ex Rupeſciſſa in Alchymia deſcripſi. Nuper tamen ad meas manus peruenit, neſcio quis autor, qui in hunc modum, ſi lubet noſſe, in opere putrefactionis philoſophicæ eum depinxit. Fiat Furnellus (inquit) eius amplitudinis, quæ congrua operi videbitur. In eo diſpoſita ſit lampas cum lumine primum vnius candelæ. Sit in eodem caldarium ex ære paruum cum

Furnus philoſophorũ.

aqua tepida tanta, quanta vni candelę satis est, profunditate circiter palmi. Caldario innitatur calix æreus vel etiam fictilis, cuius medium attingat aqua, superior vero pars paruis vndique foraminibus pertusa, continens fimum paleamue, in qua recumbat matula materiæ putrefaciendæ cum alembico cæco, vno tamen in vertice foramine peruio & clausili, vt si forte ascendisset aliquid materiæ, id detergeri pede leporino, reiicique in imum possit. Vas hoc putrefactionis insternendum o-operculo est concameratæ cœlestisue figuræ, vt vapor eleuatus concrescere ibi relabique in ahenum queat. Post dies septuaginta septem dupla, triplaque tandem candela pro vt requirit operis regula supponitur. Hæc ille autor. Balneum roris tibi describi dicas, quod putant requiri nomine ignis vaporosi, cuius mentio fit à Bernhardo Comite. Apud alium extant hęc præcepta de eodem. Furni philosophici altitudo est vnius cubiti, latitudo palmi, spissitudo parietum duorum digitorum. In medio disponitur Solarium denso ordine foraminnm minutorum peruium. Insternitur scutella terrea probe cocta, & in margine sex octoue foraminibus pertusa, vt ignis halitui sit exitus. Iuxta terram ostiolum est cum repagulo. Aliter rem peragit liber quem Pandorę nomine publicè circumferunt. Statuit initio Cineritium cum suo ostiolo. Ei imponit cratem, seu orbem ferreum pertusum, vt

sit via

ſit via cineribus dilabentibus & aëris ingreſ-
ſui. Cratem ſequitur focus cum ergaſterio in
eodem ſpacio per tripodem diſtinctus ea ali-
titudine, vt inter tripodis circulum & cratem
interiici ignis poſſit. Itaque & parietibus in-
nititur tripus ille, non crati. Ad eam produ-
citur altitudinem, vt ollam cum materia adæ-
quet tripode dodrantem alto & digitum craſ-
ſo. Latitudinis eſt tantæ, vt inter parietem &
ollam manus commode demitti poſſit, ſeu
palmaris, poſſitq; ignis vndiquaque tanquam
in reuerberio operari. Vas tripodi inſiſtens
eſt fictile, figura dimidii oui, aut maioris ſe-
gmenti, repleturque cineribus in quorum
medio iacet phiala, ſeu ouum arcani, aut con-
cha è vitro duplex, quaſi duo ouorum ſegmé-
ta compoſuiſſes auerſim, fundo vnius in ca-
pacitatem alterius inſerto, relictoque inter
duos fundos ſpacio pro materia, quæ tertiam
duntaxat partem implere debet. Vas autem
illud à lateribus anſatum eſt, inſterniturque
ouali operculo aurito, tam exacte committé-
do, vt vix deprehendi iunctura poſſit, & fide-
liſſime claudi. Diſpoſitis his ita, tota fornax
turtito tegumento in ſummo apice pertuſo,
& vtrumque aurito clauditur. Ea operculi fi-
gura item regerendo igni eſt adaptata, & e-
uehendis fumis. Atque ideo foramen eius in
ſummo eſt trium digitorum. Loco cratis mi-
niſtrare poteſt alius tripus cum patina nouem
locis perforata, eaque diuerſa pro diuerſis i-

gnis

gnis gradibus. Tegitur hæc patina prunarum opérculo conformi, & in medio foramen oculi equini (vnius digiti) habente, idque ad primum ignis gradum: In ſecundo ampliora duplo ſunt foramina, in tertio triplo, in quarto iam nudus eſt ignis. Ita & augentur prunæ á duodecim iuglandibus per 24. & 36. ad vltimum. Hæc de Athannoris inſtructione ad me peruenerunt. Non ignoro ferream fornaculam poſſe coaptari eius dexteritatis vt etiam nobiſcum inrheda peregrinetur, & in cubiculo aſtet. Sed qui operis eſt gnarus, facile adaptabit inſtrumenta. Ego tibi morem geſſi, & quæ noui, depinxi. Si me ſtultè feciſſe iudicabis, memineris te autore me peccaſſe atque ita iuxta SENECAM te duplicis criminis reum eſſe. Reliqui iudices præter artifices (quorum genius nobis rogandus eſt vt ſit in cenſendis hiſce paulo indulgentior) Ideo ſunt vilipendendi, quia ne caminum quidem pro vſu familiari recte extruere poſſunt, nedum de his arcanis dextre iudicare. Itaq; etiã ſudãtes videas in domibus architectos vulgatos quo remedio malum illum & flebilem fumum ex ædibus expellant, fruſtra deliberantibus vna illis cenſoribus. Educunt fumaria in rectum, teguntque cameris, aut circulis: ſed fumus hæret, & os oculoſque opplet coquorum, nec raro eſcas vitiat. Alii prudentius conſulturi inſternunt caminos recto, & per decliue arrepere ad ſummum cogunt,

Multi reprehenſores artis, ne caminum quidem cõmodũ poſſunt inſtruere.

gunt,

gunt, vnde tandem erigunt. Sed & sic in domita illa mordacitas resistit. Nonnulli amplificant, obliquant, rotundant, & ab omni latere sursum deorsum spectantibus instruunt ex Cardani pręcepto tubulis, vt ab omni mundi plaga præsto sit auxilium. Mobiles aliqui imponunt machinas, vt obuertant sese ventis instar tritonum. Tanti est caminorum scientia, vt eam etiam præceptis expediant hi, qui Philosophorum antesignani quærunt audiri. Nuper misellus quidam metallicus ab intimis manium latebris prorepens rationem non ineptam docebat, qua instrui camini possent, vt inimicus ille fumus secederet. Didicisse se in Vulcania iuxta tartarum aiebat, per cuniculos immissum aërem absque vlla difficultate per diurnos specus quasi caminos exigere halitus minerales cum fumis. Itaque in ædium caminis operam dandam esse, vt focus ea in parte ponatur vnde, accedere flatus possit iuxta eius pauimentum. Ibi enim si inspiret aer, contraria fenestra obstructa, non esse viam nisi per caminum, qua erumpere flatum cum fumo necesse sit. Commodius autem focos culinarios ita fingi posse monebat, quod qua parte venti solent maxime ingruere, ea vel foramina aperta possint constitui, & aduersa obstrui, vel flatus excipi é summo capsis quibusdam, cogíque ad fundum seu solum culinæ (non ad focum, aut altius) & postea in camino vltimo versatiles machinæ quarum

Horat. Diruit. ædificat mutat quadrata rotundis, Omnia conatur prudens, neq; proficit hilum.

exitus

exitus ſit ſecundum flatum, diſponi. Addebat, ſe tale quid étiam in docimaſtarum tabernis obſeruaſſe. Hi enim augere ignem fornaculæ volentes, reliquis locis clauſis, qua ventus flat, feneſtram aperiūt, flatumque immittunt in oſtiolum. Ille ingreſſus per Cineritiū erumpit ſurſum, ſtrepitque per caminum impetuoſe. Hæc narro tibi ex ore iſtius metallurgi, nec vidētur ad modum à vero exorbitare. Qui loculenta fornace vaporaria triclinia calefaciunt, non confundunt cineritium cum foco, ſed crate lateritia diſtinguunt. Res ea ex Chymicorum penu eſt. Ita enim anemii furni concinnantur. Si iudices illi noſtri poterunt dexterius caminorum rationem expedire, tunc credemus, eos etiam de furno arcanorum ſubtiliter ſtatuendi facultate donatos eſſe, & æquo animo iudicia in vos impingi feremus. Turpe eſt in probatoria de metallis ad cotem, cæmenta, colores, fulmen, quarturam aliaque ſpectandis multum conſumere verborum, interimque catillorum & tegularum formandarum rationem ignorare. Eo turpitudinis ſtigmate inuremus etiam Ariſtarchos ex familia ZOILORVM in nos conſpirantes. Vale.

EPISTOLA: XVI.

De aliis nonnullis figurandi artificiis.

Ad

PVBLIVM SERVILIVM
amicum.

QVAM periculoſum ſit exponere ſe iudiciis multitudinis noſti, & tamen denuo me in arenam trahis, idque ea in re, cuius tu copia premeris, ego vero inopia laboro, quamq̃ rectius ex officinis eorum exculpas, quibus circa eam partes concredidit chymia. Ambire tabernas illiteratorũ erubeſcis. Quid ergo me in iſtas trudis? An ignoras artificum faſtus repulſaſque odioſas? Sed ne amimico deſim é chartulis priſcis, quæ furtim compilaui, tibi legam. Sint ad palatum tuum nec ne, non moror. Etiam quouis modo interpellantum amoliendę ſunt importunitates. Cretæ exactum puluerem per colum in aquam traiectum reductumque, cum pari ſiccato excuſſoque & depurato luto commiſce. Adde cineris eluti quam puriſſime, ita vt non calx tantum, ſed & carbunculi & arillæ reliquaque aliena abſceſſerint, ipſeque cinis repurgatus in reuerberio candefactus iterumq; elutus & reſiccatus ſit, partes quatuor, & præterea bis vſtorum oſſium farinæ partes acto. Horum comtemperationi diligenti, aſperge aquam, vt fiat maſſa, quam imprime in mortariolum, & inſemina oſſium puluerem altitudine culmi tranſuerſi. Poſt incute malleolum, efformaq; catilli vultum, quẽ denuo con-

Catilli cinerei.

consperge lęuore ossium seu polline subtili, &adacto malleolo seu pistillo coæqua. Non enim oportet primo statim incussu lęuorem addere, ne obsistat abscedatque à fundamento, si secundo quoque fatiscit humidior iusto cinis est. Itaque cum ad aptam redige siccitatem, & pòst denuò figura catillum. Hunc efformatum excussumque modiolo paulatim sicca, & aridissimum tandem effice. Tunc ne opus sit redditum igni difflare, irriga cum modico vini ardentis aut oleo tartari & perarescat sine. Hoc labore etiam solidabitur, nec crepabit hiscetque in opere. Nonnulli pro fundamento in mortariolum inculcant tres partes cineris crassioris; postea summittunt subtilioris cum ossium calce contemperati vnam, incussuque primo facto pollinem osseum aspergunt, denuoque fortiter impellunt malleum, & post resiccationem exactam imbuunt oleo tartareo. Morem tibi gestum oportuit. Ne ergo in posterum quicquam de catillis à me expectes. Sed non possum facere, quin tibi pari molestus sim importunitate, & ex te exsculpam iudicium de nonnullis aliis, quæ in eadem extabant charta, si quid velis typo reddere formamque rei in massa exprimere, iubet repurgatum Gypsum in reuerberio figulorum vrere, & in exactum puluerem comminuere, ne vlla in eo sentiatur asperitas. Huic affundere oleum tartari, deinde probe subigere misturam, quomodo colores

Formæ seu Typi.

lores teruntur pictorum; tandem resiccare. Hac materia aqua Salis ammonii madefactâ inque modiolum infusâ, pollicetur cuiuslibet imaginis accuratam expreſſionem repręſentationemque. Idem promittunt & tali artificio. Decoctum elimati cornu per colum traiicitur ad puritatem decentem claramque. Eam miſcent gypſi farina pultemque ſubigendo conficiunt, quam per linteum in formam ſeu typum duplicem infundunt, & puram imaginem effingunt. Ad plaſticen fuſoriamq; pertinere iſta dices. Sciebam vero iſtud ſed hoc ex te quæro, an non iudices talia ex chymicorum ſchola primum prodiiſſe, poſteaque ab artificibus relicta in familiam plaſtarum conceſſiſſe? Nec turpe nobis erit de huiuſmodi verba feciſſe, cum non puduerit cardanum ſimilia per commentarios edere. Ita enim & hic imagines bonas fabricat ex corneis tabulis, & ichthyocolla cum aqua: quin & ſtatuas conficit calce alba in læuorem redacta, miſtaque polline marmoris candidi, & inſuper decocto corticum populi, vel vlmi madefacta, inque typos iuſuſa. Nolo addere reliqua, quæ in vndecimo varietatis ſpecioſe explicare annititur. Conſule auctorem ipſum. Typos autem ingenioſè efformandos eſſe cum ante ignorarem nuper incepi diſcere. Erat enim qui iuberet capere cineris excuſſi certum pondus, idque in maſſam cum albu-

Statuæ Cardani.

Typi ad iconas.

mine cogere; aut lutum aqua tartari subigere, vt leue fiat argutumque ad Iconas excipiendas reddendasque. Quod si forma mascula in teneriore hæreat, quàm vt purè exprimendam se præbeat, veluti si in cera efficta; ex farina laterum recentium, & gypsi seu Ipserisis terræ duplo pollinem subtilissimum parant, & vtrumque prius seorsim elaborant, postea gypsum, addita aqua, in aheno ad crassitiem fusioni aptam coquunt, cui postea ingerunt farinam lateritiam, affusaque frigida permiscent. Pultem hanc liquidam, extersæ madefactæque vrinâ aut aquâ primum, postea oleo subtiliter inunctæ ceræ signum habenti affundunt, ibique donec indurescat relinquunt. Debet autem cerea imago in asserulis oleo delibutis rectè disposita esse. Tabula indurata cum cera ad peluim aquæ calentis transfertur, cautela adhibita ne colliquescat attactu aquæ, sed tantum vncinulo, aut acu refigenda è suscepta gypsi forma est, quâ arte si reuelli nequit, tunc licet Siphunculo feruentem aspergere vt purè effluat. Tandem matrix illa ad ignem resiccatur expectatque vsum in imagine inde efformanda. Si res non cerea, sed durior est, etiam ab altera parte simili arte effingi potest. Sed ne in scelus erumpat artificium, atque adeo in neruum veniat, nolo de eo esse prolixior quamquam non erubuerit

buerit Italus quidam diligenti studio monetarum typos efformare, indeque similes nummos fundere, atque etiam sigilla epistolarum imitari.

ALII pultem ex similagine impressam assumere figuram cogunt; & postea circumplicata charta triplici caudam sulphure explent, & sic signum ementiuntur. Minus patet imposturæ ars pingendi panni serici per ectyposin similem. Forma seu modulus à pictore designatus exculpitur. Postea illinitur gummi tragacantha. Pannus è serico humefactus imponitur ferro calefacto, adaptatoque typo latere dextro, prelo vrgetur, & sic formatur. Vitrum quo pacto figuris exornetur docuit post PLINIVM AGRICOLA. Non quidem exercuerim vnquam vitrariam: Sed tamen iucundum est scire quomodo virgata reddant vasa modo albis, modo alterius coloris lineis, Ferreus est modulus bacillis distinctus, quorum interualla albo quodam colore vitris apto sunt sublita. Cum itaque candens vitrum prius flatura formatum adaptatur, tinctura hæret eodem ordine, & in igni fusa solidatur. Ita non rectis tantum lineis distinguere pocula licet; sed & variis varioque chromate pingere.

Sericum pingere prelo.

Vitrum figurare lineis.

Crystallum fundere, fusioneque certis formis donare leuis quidem est notitiæ, sed artis non contemnendæ. Eum candefactum re-

Crystallum fundendo formmure

ſtringunt vicies aceto in quo Sal ammoniius ſit ſolutus. Deinde adiecto borace fundunt, modioliſque iniiciunt, vnde figuratur ad libitum. Non ita operoſum eſt margaritarum ex artis inſtituto æmulatio. Conchas fluuiatiles repetitis in lixiuio acri coctionibus deſquamant & interraſo cortice nigro nudant. Reliquum tritum cum aqua pluuia in maſſam cogitur, additis nonnunquam Cryſtalli farina & oui albo. E maſſa formantur vnionum globuli quos ſeta perforatos primum vino, poſtea oleo coquunt & tandem aqua eluunt. Aliũm modum in Alchymia indicaui. Nolo tamen vlli auctor adulteriorum fuiſſe videri. Chymicæ artis in varietate magiſteriorum amplitudinem etiam ad ornatum minoris conſtantem declarare ſemper fuit conſilium. Perſuaſum etiam habeo te eius eſſe virtutis, vt à fraudandi animo abſis quam maximè. Sed ne quid oblectamenti nobis per verba pereat, quæro ex te num ſolidam putes eam gemmarum polituram quæ fit antimonii læuore inſperſo tabulis plumbeis, poſteaque affricta gemma: aut quæ farina Smiridis per linteolum excuſſa, quam vſurpant ad Sapphirum, Smaragdum, pallacem: aut calce de catillis cinereis: aut farina Silicis cornei vſti frigidaque reſtincti, triti & in æquorem eluti qua rubinum poliunt & pallacem?

Margaritæ factitiæ.

Politura gemmarũ.

Alii

Alii ſapphirum elaborant ære: Smaragdum Stanno, politoſque lapides ſuper tabula ex ligno tiliæ, vel aceris cum eodem ducunt puluere. Sed non deſunt qui farinam laterum ſulphure permiſceant, & æquale vtrique reſinæ pondus addant, inque ſartagine vitrata ſoluta diligenter contemperent, adiecta farina laterum vberiore ſi non reſpondet durities. Hæc miſtura polituram perficere abſoluereque egregiè traditur. Perierit ſanè ſtudiorum noſtrorum oleum & opera, niſi & hæc addidicerimus. Cera obducere lapidem literasque ſtylo inſcribere ad ſolidum vſque & poſtea aceto acri immerſum eroſione huius ſcripturam exprimere puerile videtur *Cardani* documentum. Ad ſtuporem vſque aſcendit, quod promittit certa luminis temperatura hominibus capita demere, aſini aures affingere; vuas leporumque venationes & his ſimilia repræſentare. Putant autem iſtud non magica vi, ſed Ellychniorum certorum lumine procurari, veluti vt homines ſine capitibus aſtent cinabarim, ſulphur & Colophoniam Ellychnio illinunt, idque accendunt. Credat Iudæus Apella, inquit, *Horatius*, non ego. Quæ quæſo vis ſit in aſini cerebro vt eius pinguedo inducta filamentis, ſi incendantur hæc, ex me *Midam* faciat alterũ? Num tanti ſit adeps capitum caninorum leporinorumq;, vt venationem incenſu exhibeat? Si pinguedo ex hominis cerebro vratur,

Cælare erodendo.

Repræſentationes formarum per lumina.

num canes in homines vertere possit? Sed ex ex te caussas expecto. Humanæ fidei & oculatis manibus propior est ferri cælatura per coloritium, facto prius cereo illitu, & signatis vestigiis cælaturæ, quam artem & Cardanus tractauit, alio tamen vnguento, quod ipse ex pice, oleo lini & pauco thure conficit; alio item corrodente aqua nimirum forti Sed obruor artificiorum multitudine. Hæc tibi proponere volui, vt ex tuo penu tum rationes iudiciaque singulorum elicerem tum te ad præclariora exhibenda prouocarem. Beaueris amicitiam nostram, si effectum reddideris vt quo plura patent, eo præstantiora pluraque per te nos cognouisse fateamur. Valetudinem tuam cura diligenter, & quam de te conceperunt spem amplissimam boni, eam labefieri nunquam sine, sed arcanis rerum ex intimo naturæ complexu productis æternam tibi memoriam, nobis vero tui admiratoribus solidum oblectamentum crea.

Vale.

EPISTOLA XVII. DE AVRO POTAbili, vt vocant.

AD

Christophorum Muldenerum Phil. & med. Doctorem Marburgi præstantem.

NE pereat ille nuper contractæ amicitiæ, *Muldenere*, igniculus, fouendus nobis custodiendusque diligentius est, & aliquando etiam

etiam tanquam in fomitem ſcintillantem inflandum. Noſti quomodo in aceſiæ furno ſuos perennent ignes chymici; quomodo item è Iunipero prunas cineribus ad viuacitatem condant: Sed neuter horum coniunctioni animorum à ſitu interituq; defendendæ eſt aptus. Aduigilandum itaque foco Veſtæ eſt, & pabulo dato intra adytos arcani Philoſophici nũc vnius lychni flamma procuranda, nunc duorum nunc trium pro operis ratione, idq; tum accurato ingenio, tum ſtudio indefeſſo, quo illum aurificum tandem lapidẽ, hoc eſt, amorem fœcundum, & fortunam comitem cum Deo aucupemur. Quocirca ſuperioribus ad te literis, quas te puto Norimberga procurante amico noſtrûm *Doldio* rectè accepiſſe, ſubmitto nouas, teq; in amicorum albo inter reliquos prestantes viros extare perquam cupio. Sed quoniam amori non ignis tantum ille externus egregiè reſpondet, ſed & arcanus noſter quem philoſophi in opere ſuo myſtico quærunt, ſoliq; ſuo minerali, hoc eſt, auro aſſcribunt: cum de eo inceperim, pertexam hanc telam, & tecum de auro cæterisq; metallis potabilib. parumper confabulari conabor. In multorum hactenus qui chymicæ ſcientiæ fama celebrantur ſuntq; in oculis penè omniũ, verſatus ſum libris, vt quantũ fieri poſſet, cognitis perſpectiſq; ſentẽtiis artificũ, tandẽ axioma artis perpetuum conſtansq; facerem. Id autẽ neceſſe eſt conſenſus plurium

adminiculo suffultum esse. At in auro potabili maximam deprehendi varietatem. Vox ipsa quidem indicat ad finem medicum contendendum esse, itaque elaborandum aurum vt potu absumi, intraque viscera possit condi, Sed luxuria ingeniorum, felicitateque materiæ effectum est, vt non vnam sequantur viam omnes, & ferè quisque suum iactet potabile. Fundere aurum ignibus, vt ad potum sit commodum nemo quæret, quanquā & sic consistentia mutetur salua substantia. Itaque aliæ initæ sunt rationes & modo liquor auri ex calce fluxili isto titulo proditus, modo tinctura; ab aliis oleum fixum; à nonnullis quinta essentia per alembicum exacta. Non defuerunt qui animam eius obtulerunt quique Elyxir illud ad lapidem rubrum elaboratum, quam in sententiam scriptum in Enchirematis *Paracelso* tributis est, nullam meliorem esse ad aurum potabile viam. Plurimi soluerunt id liquoribus acribus, sæpiusque attentando idem opus, ad eam deduxerunt subtilitatem vt vino immistum diffluerет facileque bibi & distribui posset. Vulgus etiam calcem, aut puluerem seu ramenta liquoribus cordi familiaribus immiscuit sicque aurum ingurgitauit. Sunt qui aquam extinctionis eius, veri auri potabilis nomine efferant, nec non inuenias qui aurum potandum exhibeant absque omni auro, siue quod imponere simplicibus magnificæ rei vocabulo

Auri potabilis varietas.

&eli-

& elicere aurea precia concupiuerint, siue quod non minerale, sed vegetabile aurum promerent, aliis intelligentibus id quod est ex minera. Ea astutia soliti sunt sua furta occultare Paracelsici, vt ex Gesnerianis patet, cum alioquin non malo consilio aquas aureas vocitent essentias cordialium cum spiritu vini destillando eductas exaltatasque. Laudandus conatus boni finis est,& nominibus posthabitis resipsa consideranda. Itaque titulo auri potabilis in arte Alchymia id prodidi quod seruata substantia pura tamen & ab omni alieno separata, ad formam potabilem esset deductum, possetque inde in metallum, quanquam non prioris duritiei, reduci. At hoc non assequitur famam dignitatéq; eius medicinæ, dices. Certe, inquam, si pro iustitiæ lege sua tribuunrur cuique, assequitur vsu laudato finem suum, sed non asscribenda sunt huic ea quæ essentiæ debentur. Magisterium hic tractamus, nõ essentiã, ne quis putet nos confundere rerum vultus, sicut factitatum est in Elogiis. Medici erit, seu omnino eius qui auro vti volet, videre, quonam sibi vtendum sit artis opere. Interim hanc non fas est in vlla sui parte deficere. Processus autem huius sunt varii, qui tamen duobus possunt includi modis. Nam aut simplicius, magisque pro magisterii conditione elaboratur, aut proceditur nõnihil ad essentiæ præstantiam. Priore modo repurgatum aurum & in laminas puluerem-ue re-

Processus auripotabilis.

1. modus.

ve redactum liquoribus acribus dissoluitur, qui si apti sunt ad medicinam internam, ita relinquuntur cum soluto, præbenturque exigua licet quantitate. Talis autē est spiritus Salis communis, aut liquor gemmæi, aut aqua mellis, berberum, limoniorum, acetum forte & similia menstrua vnde vocant aurum absque corrosiuis potabile. Sin minus visceribus familiares deprehenduntur aquæ soluentes, vt est aqua Salis ammoniaci, aqua regia, gradatoria: fortis, acetum radicatum, destillatum mellis compositum cum tartaro & similibus, soluitur quidem in eis aurum, sed postea abstracto menstruo ad spissitudinem oleiformem, spiritus vini affunditur, quo vna digesto, & sæpius sublato nouoque supposito, putant aliquid de acrimonia secedere. Sed tutior tamen est illa ratio. Posterior modus essentiarum extractioni est vicinior. Cogitur enim aurum pene exuere metallicam firmitatem, & ita debilis eius consistentia efficitur, vt in quouis liquore cordiali tanquam tinctura diffluat, & eo maxime facit per missa in reuerberiis præparatio. Iungunt enim, id suis cæmentis, & in spongiosam mollitiem perducunt. Mox adiectis salibus, tartareo puta aut ammonio, aut gemmæo vel etiam vulgari repurgato, terunt ad alcolismi formam. Puluerem nutriunt spiritu Salis, aut limoniorum per lacinias destillato. Abstrahunt iterum digestione facta, & tandem

Alter modus auri potabilis.

dem

dem vino alcolisato soluunt, circulant, exaltantque donec scopum assequantur: qui labor certe & laudabilior est & ad vsum commodior. Ita fit & Elyxirium materia nobilis, quãquam etiam cum cibis succulentis detur & maluatico, aliisque congruis. Dedi in ipsa arte modorum descriptiones nonnullas. Sed, vt, quanti tuam amicitiam faciam, ex opere conspicias, non graue erit etiam alios exhibere, qui in quorundam, vti putantur absconditi latent arculis. Ex iis vnus est, qui ex libra vna quintæ vini essentiæ, & triente Sacchari crystallini aqua per destillationem facta, auri præparatum seu puluerẽ seu bracteas tenuissimas diluunt soluuntque, atque ita quoque aurum potabile absque corrosiuis se exhibere arbitrantur. Idem & hic promittit: crystallini Sacchari albi & salis præparati paribus affunde aquam vitæ altitudine palmi minoris. Digere in balneo calente vitro clauso octidui spacio indiesque ter moue. Destilla initio lensim, & tandem fortiter elice spiritus. Destilato iunge calcem, aut bracteas auri tenuissimas include ampullæ retorti colli, & vbi cõmaceraueris mẽse iusto, per cineres prouoca aurũ cũ suo menstruo, quæ res si non succedit primo conatu, refunde quod elicitum est, digestioneque debita completa renoua opus in arena donec voti fias cõpos & totum aurũ facie liquoris rubicundi procedat. Si abundat hic menstruum, diminue id portione per bal-

Alia forma.

neum

neum subtracta. Vides quam prope ad essentiam accedat hic labor? Non mirum est, si quis eodem nomine præbeat. Sed tamen cum integra auri quantitas absq; omni iactura ita soluatur, inter extracta locũ iure obtinere nõ potest. Inuenias qui ob colorem purpureum tincturam vocent. Sed non intelligenda est illa essentialis, Quis nescit etiam cæmento ad puniceum adduci posse aurum? Id si coniectum in argentum fixum tingit hoc ad auri prærogatiuam, ab vsu tinctura est, & colore, non autem elaboratione essentiali. Legi nuper in schedula menstruum ad eam rem tale: (. Maiore enim ex parte variant liquores soluentes.) Quintam vini essentiam exaspera calce crystallorum ex vini phlegmate separatorum, quod fit vnâ destillando in Alcool vini vt nominant. Adde spiritum mellis, & in destillatis auri folia ad solutionem digere. Quando tale solutum ad mellis crassitiem, separato superfluo menstruo, redigitur, Butyrum auri appellant nonnulli, quale est etiam Vlstadianum aqua regia frequentius abstracta præparatum ad illinendam foris lepram. Multa sibi permittit ingeniorum luxuria Mireris cuius ductu inceperit nescio quis au- in hunc modum potabile & forma Elyxiris ad tincturas metallicas, medicaque auxilia elaboratum reddere. Initio laminas aureas quinquagies in vini spiritu restinguit, & ad solutioné aptas facit. Pòst adiecto Sale ammonio exaspe-

Butyrum auri.

Vlstadii potabile.

exaſperat menſtruum, aurumque corrodit, quo facto transfertur in balneum vas, & ſpiritus vſque ad oleoſum vultũ ſeparatur: Et hactenus magiſterium auri potabilis eſt. Elyxir fieri dicitur iuncta quinta vini eſſentia decies deſtillata, infuſaque in cucurbitam cum alembico gemini roſtri, quorum vni apponendum receptaculum cum ſolutione auri eſt, alteri vero ampulla vacua. Suppoſito igni creditur aureæ naturæ eſſentia auro ſe iungere, aerea vero pars in vacuum intrare. Tantam autem vim auro tali conciliari putant, vt hydrargyrum coagulare, aurique natura donare queat: quod ſi verum eſt, ſaltem obſcuritate ellipſique, vt alia inuidorum, laborat. Sed non iam ago de Elyxiribus. Itaque quod adieci, mutuò ſumptum putabis. Qui vero placet tibi Paracelſicus auri liquor, qui aurum potabile eſt, & fit auro per ſtibium ſumme purgato, ductoque in laminas quas plumbi nigri bracteis iunctas ignibus cæmentatoriis domat, itemq; ſeparato plumbo vicenis diebus alcoliſato vini ſpiritu ſoluit menſtruoque ablato per balneum, liquorem ſcrupuli medii aut vnius quantitate porrigendum relinquit? Adiicit plumbum nonnihil ad auri mollitiem. Itaq; & monetarii aurifices, & bractearii prætendentes id eſſe aſperius pro ſuo opere, cum liquefecerunt, particulam plumbi per ſuperficiem eius ducunt, & tractabile ductileque reddũt, ſed neſcio an maiore impoſtura, quam

Paracelſi liquor auri.

Mollire aurum.

ſtudio

ſtudio artis. Manere autem tunc ſubſtantiæ quid neceſſe eſt. In Paracelſico opere ſpiritus Mercurialis (. Eſt enim vicinum mercurio plumbum nigrum) ſeſe inſinuat, corpore iterum abſtracto. Sed quæſo te an non hoc eſt auri naturam deſtruere potius quam nobilitare? Rectius alibi per ſpiritum Salis ſoluit ſolutumque vini ſpiritu corrigit. Rectius item ille, qui cum Laudano cęmentatum aurum foliatum calcinat, calcemque ſoluit, vini ſpiritum tandem iterum ſegregando. In lib. de contracturis corroſum auri puluerem corrigit aceto ſtillatitio toties abſtracto repoſitoque, donec ſaporis acrimonia ceſſerit. Sed multi artifices huius quoque apparatus vſum internum damnant, quod eo modo non videatur acrimonia menſtrui corrodentis tolli poſſe. Et quid fatigemur tam laborioſis cohobiis, cum ad manum ſint viæ compendioſiores, per oleum ſeu ſpiritum Salis communis? Ita neque probauerim acetum ſepties deſtillatum, tandemque cum ſale ammonio more ſpirituum acrium præparatum, in quo quinquageſima reſtinctione aurum ſolui ad potabilem conſiſtentiam dicunt. Quidam mellis tres libras cum quintæ vini eſſentiæ libra in fimo per triduum macerat, deſtillatq; in cineribus ad ſiccum. Liquori denuo iungit tres mellis partes digeſtioneque facta per alembicum ſecundo extrahit, & in eo aurum purgatum ſoluit ſeparatque ad olei conſiſtentiam.

tiam. Probabilior hæc ratio est, quam eorum qui ignium & additorum salium calciumque vehementia eo acredinis adducunt mel, vt venenum potius sit homini quam adiumentum salubre, quod tamen apud Rubeum cõmendari videmus. Sed si velim omnium recensere apparatus, stellarum percurrere nomina, metirique arenas maris tentem. Mare tamen hoc exhaurire potando, velut alter Xanthus susceperim, si quis fluuiorum, fontium, stagnorumque excursus prius obstruendo prohibuerit. Ne me sui neglectorum accusare possint aurifabri, dabo aliquid etiam horum honori, dicamque ipsos aurum suum non absque ingenio fundere. Catinum enim triquetrum sapone & creta obliniunt, adiectoque boracis sicilico ad auri bessem ignem admouent initio leuem, post maiorem, vt appareat primò cærulea flamma, deinde splendor ex rubro cyaneus, tandemque aureus, quo viso in canalem effundunt, & frigefactum stibio perfricant. Non alia arte consueuerunt etiam argentum fundere solertiores. Sed quisnam tandem est tantæ operæ in auro potabili fructus? Quæ spes comparati? Audiuius legimusque passim magnificentissima quæq; ad naturam roborandam, morbosque illos maximos. lepram, paralysin, apoplexian, cardialgian, &c. pellendos, & vitam prorogandam, de quibus Encomiis videndus Alexius est, Baptista Porta, Neandri medici cõmentario-

Fusio auri.

Vires & vsus auri potabilis.

riolus & alii ac quid dicam de paracelso. Non erubuit VLSTADIVS affirmare vsu auri potabilis veteres tria, quatuor aut etiam quinque secula viuendo attigisse. Quid illud quod sine rubore ne narres quidem? Adeo delectari animam ista medicina scribit, vt dulcedinis voluptate demulsa, etiam corpore excedere ad quintam cœli naturam medicinæ cognatam & velit & conetur. Hem ingeniosum callidumq; interempti medicina tali hominis prætextum. Scilicet ita solebant Paracelsici sua homicidia obumbrare. Idem tamen autor alibi veretur, ne inauratus frequente vsu auri potabilis stomachus digestionem amittat naturalem, in quo asserto non video illam auri cum humana natura tantopere cõmendatam congruentiam: sicut nec in eo quod negat aurum posse fieri potabile, vt vertatur in substantiam corporis nostri. Si quæras naturalene aurum an artificiosum accipiendum sit, naturale laudatum audies, artificiosum damnatum, quomodo & acetum cum aqua forti eiusdem iudicio repudiantur in hoc vsu. Sed terram video. Ad portum est appellendum. Tu vale Pancratice ex animi voto, ne vnquam tali medicina sis instaurandus, cornicumque seculis æquandus. Nono Ianuarii Rotemburgi ad Turbarim.

> Vlst: in cœlo Phil. cap. 31. si sæpius daretur aurum potabile ex oleo crystallorũ vini, anima ex eo tantũ delectaretur gauderetq;, vt et ab ipso corpore posset decedere: Et cap. 34. aurum potabile cum gemmis in mortuis seruat calorẽ naturalem, &c.

EPIST.

EPISTOLA XIIX. DE ARGENTO *cæterisq; potabilibus;*

A D

Christophorum Muldenerum Philos:medicum & Chymicum eximium.

EBRIVM verbis potius quam auri potu te proximis redditum exiſtimo. Ita affixa chartæ fuit manus & loquax epiſtola. Studebo iam eſſe conciſæ breuitatis aſſectator,&argenteis, aliisq; è minera poculis te oblectare annitar.Multi aureos apparatus reformidant, non tantum quod admodum ſint ſumtuoſi laborioſiq;, ſed & quod vereantur,ne tanti ſit medicina vilior, illaque magnifica non alio obtrudatur nomine,quam vt impenſis maioribus ad animum fiduciamq; in morbi ſanatione acceſſio fiat abundantior. Sperant autẽ ſibi par animi robur ex precii minoris rebus. Non quidem ego damnauerim auri vſum & præſtantiam,præſertim cum cordi principioque vitæ, atq; adeo calori natiuo & humido radicali addictum deſtinatumq; exiſtimetur, nec magiſterio commodè attenuatum nihil præſtare poſſit:Sed tamen tũ fortunis humanis aliquid dandum puto, tum neceſſitati, & cæterorum familiari naturæ. Forſan enim aurum primum quidem cor iuuat,inde vero dependentia, nõ ſingulari,ſed generica virtute, vt vitium in reliquis partibus exiſtens aggrediatur quidem , ſed cum non ſit ſingulariter diſpoſitum affectumque mutuo , non magis

tollat, quam ſpiritus & calor è corde ad crus exulceratum allabens, aut cibus cæteroqui probè cõfectus, & ad alendum cõmode deſti natus, qui tamen, vbi ad membrũ cachecticũ peruenit, ſolus in eo parum valet ad ſanandum malum, imo ad præſentem ſtatũ ſe accõmodat fitq; vna cacochymiæ materia. Si huic argumento aliquid tribuendũ putas, certè nobis eſt de inſtructiore medicinarum penu cogitandũ. Cerebro argentum addicunt, lunari quadã natura & conformitate aſtrali, vt aiunt. Nec diffitendum eſt, vſu induſtrio id nõnihil in eo iuuando poſſe, præſertim magiſterii, aut eſſentiarũ opere præparatũ, vt forma liquoris attenuati ſumi queat. De eſſentiis quidẽ aliâs: potabile quomodo fieri putas? Exhibui in alchemia tres modos, & ex literis ſuperioribus pedum viſa eſt via. Fit itẽ potabile liquore ex calce. Sed hoc eſt aliud magiſterium. Hic mẽſtruo carere non poſſumus, neq; tamen duntaxat quo ſolui argentũ poſſit quęrendum eſt, quę res ſolicitudine eo magis caret, quo plura ſe vbiuis offerunt; ſed potius quo familiari id fiat. Quid aliis in promtu ſit neſcio. Mihi non diſplicuerit liquor Guaiaci proprio ſale exaſperat⁹: aut ſpirit⁹ ſalis gẽmęi, Ophite magnete, cryſtallove prius alteratus. Veruntamẽ variari ſolutiuũ poteſt affectuũ, & eiſdẽ propriè debitorũ remediorũ conditione. In Epilepſia itaq; profuerit argentum potabile cõcinnaſſe ſpiritu vitrioli, aut liquore ſalis eiuſdẽ vel vtroque

Argentum potabile.

troq; ſimul, quomodo & in melancholia. Liquor Guaiaci vitriolatus in multis ꝓdeſt. In Apoplexia ſpiritū ſulphuris nonnulli malunt: alii liquorē ſuccini è ſale eiuſdem. De cæteris ſimiliter iudicabit, qui ſapit. Rogo te maximoperè, vt in hāc præparationē animi neruos intendas, & quam commodam iudices, pro tua induſtria peritiaq; exponas. Fige argētum per cinabarim. Fixum in q; lamellas ductū aceto limoniorū ꝓprio ſale exacerbato diſſolue, inque calcē redige. Hanc nutri ſpiritu Guaiaci acore vitrioli cōtemperato; in ꝓgeſſu affunde largiorē, quem crebrius inde abſtrahas & reddas, tandē relicta mediocri ſed tamen potabili ſeu liquida conſiſtentia. Hanc Sacharo cryſtallino exceptam ad vſum ſerua, & tandē cum cōueniente potu præbe. Accedit & hæc præparatio propè ad eſſentias; quia tamē integrū lunæ corpus potiſſimas obtinet, & nomē dat magiſterio in hac claſſe retineri debet. Si iuncta ſit ſoli luna, vt in eo ꝙ Electrū vocant, aut partem cū parte, analogam inueniemus præparationē ſolutionemq; per menſtruum cōmune, de qua nō opꝰ eſt verbis plurib. Omnino ꝙ ad metalla attinet, omnia ad hanc conſiſtentiā elaborantur generali ſolutionis p ſua menſtrua modo, quæ poſtea corrigitur ad exemplum auri, aut p alembicū retortamve deſtillatur tota, nec differt ab eſſentiæ artificio, niſi ꝙ hic pars nobiliſſima dūtaxat ſpectetur, ibi totū corpus exaltetur, vt quodammodo ad

Gemmæ potabiles.

Eſſentiale extractum accedat. Gemmas nonnulli aqua corrodunt regia, in quam tamen ſublimatus hydrargyrus non ſit admiſſus: ſolutionem ad conſiſtentiã liquaminis deſtillãdo deducunt, viniq; ſpiritu corrigunt. Sed aut præſtat liquoris calciſque fluidæ magiſterium aut eſſentia extracta, aut alia ratio ſoluendi ineunda. Qui itaque per ſulphur, in calcem redactas limoniorum berberumve ſucco depurato, diſtillatove macerant, attenuant & tandẽ lactea conſiſtentia donant, quę poſſit cũ liquore conueniente bibi, magis prouide ſalubriterq; operantur. Ne verò verearis, ſoluta eiuſmodi ex artis præſcripto, quib. conueniunt, propinare propter coniunctam peneq; indiuulſam acrimoniã. Huiuſmodi .n medicinæ non ſolæ ſed cũ aliis, & parua doſi adminiſtrantur, qua arte ſales ſolemus. Malim certè ego magiſteria illa bibere, quã iuxta imprudentũm medicorum tabulas ſulphuris mineram viuam deuorare, in qua non ſulphur duntaxat crudum cum magna vi inutilium ſaxorum continetur, ſed & chalcanthũ rude, metuendumq; ne ſpiritus mineræ pernicioſi, dũ per ſubterranea variè vagantur, acceſſerint. Sulphur ſolutũ ad viſcera non admittitur, ſed tũc tinctura, ſpirituve acido, aut oleo vtimur.

Sulphur ſolutum. Vide de tinctura.

Ad negotia metallica, vlcera, aliaq; cutis vitia ſoluitur aqua cauſtica ex chalcanthi partib. octo, halonitri quinq;, aluminis vna cõparata. Commiſcetur vero etiã oleo vulgari ex oliuis,

aut

aut rosaceo per coctionem, adeo vt totũ dissoluatur, formamq; vnguinis seu liquaminis vnctuosi retineat, nec concrescat denuo adiecta aliquando caphura, myrrha aut similibus. Et hæc est materia tincturæ, vocaturq; ab aliquib. Balsamus, si essentialiter cũ extractis ipsum sublimatũ elaboretur, & nobis est Elyxir Balsami è sulphure, de quo in alchemia. Ad idẽ magisteriũ recidunt, quęcunq; methodo calcium solubilium præparantur, quando non rediguntur ad siccitatem salis & integra quantitas ad opus venit. Ita calx lapidis Iudaici reuerberatione cum sulphure facta repurgataq; vini spiritu per digestionem in tepore soluitur, & contumacior portio repetita calcinatione macerationeq; edomatur, donec parte mẽstrui subtracta tandẽ reliquus sit humor lacteus. Sal vulgatus vrina octiduana diluitur, & post digestionẽ in cinerib. per filtrũ traiicitur, tandemq; abundatiore humiditate sublata muriæ spissioris, aut gari forma seruatur. Et hoc magisterium nõ raro pmittitur essentiis eliciendis, aut altioribus magisteriis apparandis. Succus coraliorum ruber nõ alia conficitur arte. Fit enim liquor ex alcali fabarum soluto vini spiritu, & destillatione vnito. In eo calx coraliorum circulatur abstractoq; menstruo succi facie relinquitur. Pro alcali fabaceo substituunt alii Halonitrum, q separari tãdem potest coagulatione. Dũ enim succus reponitur suo loco, concrescit sal in

Lapis Iudaicus potabilis.

Sal potabilis.

Coralia potabilia.

cryſtallos facilè ſeparandos. Nonnunquam præparato coralioruũ pulueri affunditur roſacea in qua ſal ammoni⁹ ſublimatus eſt ſolutus. Fit inde ſuccus cæruleus. Eſt & aceto radicato, exaſperatove ſalis ammonii miſtura, & aquæ mellis aliqua in ea re autoritas, ſicut in liquore tincturaq; conficiendis tradi ſolet. Par ratio eſt margaritarum, quarũ poculum quidã cõmendat, ſi p acetum ſepties deſtillatũ, ſaliſque ammonii florib. exacerbatũ factum fuerit. Iucundũ ſpectaculũ erit, ſi vniones in calcem p acetum ſtillatitiũ cõminutos in manus cauo poſueris. Nã in lac deliqueſcunt Sed hic ſuccus magis ad liquores pertinet è calce exorientes. Verũ margaritarum ſuccũ pollicẽtur tali modo: Tuſæ illæ in marmore læuigantur. Læuori in vitro poſito irroratur, ſeu guttatim affunditur acetum ſtillatitium vt fiat maſſula, quæ tandem maiore copia aceti planè liquida redditur.

Cæruleum ſolutum Coraliorũ.

Vniones potabiles.

Aceto per balneum abſtracto, aqua pluuia deſtillata infunditur & poſt digeſtionem ſegregatur ſubmiſſa alia, donec ſeceſſerit acrimonia. Maſſa vnionum ſoluitur aqua roſacea, & parte eius iterum prolicita relinquitur ſuccus rubicundus, quem ad conſiſtentiam craſſiorem adducimus infundibulo, cũ obſtaculo bombacis, vt aqua ſubducta reſtet ſuccus merus, quem poſtea facili artificio licet in quintam eſſentiam mutare. Apud Paracelſum in minore chirurgia ferè ſic perlata materia cõ-

cinnatur.

cinnatur. Aqua enim vitę circulata duplo aceti destillati mista affunditur vnionũ trienti in læuorem redacto. Digeruntur in pelicano per mensem. Liquore seu succo pingui apparẽte, profunditur humor, restante illo, dosi sex granorũ propinando. Trãslatum hoc ingenium est etiã ad Gammarorũ lapides. Hos .n. in reuerberio calcinatos macerãt, calore balnei in vini spiritu spacio menstruo. Hinc destillant, sedecies reposito humore abstracto, idq; igne libero. Si non sat apti ad consistentiam succulentam deprehenduntur; sexies denuo vinum stillatitium interpositis digestionibus suis inde proliciunt, donec respondeat succi formæ.

Perlata materia.

Lapides cancrorum.

Alii soluũt stillatitio aceto, cuius vim iterũ eluunt pluuia essentiali, tandemq; liquidum exhibent magisterium reposita aqua competente & artificiose coniuncta. Simplex admodum industria est eius, qui liquorem Talci lactеum ita parat. Puluis eius vicissim sternitur aut miscetur glacie hyemali in sacculo & superius adhibito igni, liquescente glacie emulgetur manibus in ollam subiectam. Ego ita alcool cõficerem. Ridebis me si & Sacharum artificiis potabilium immiscuero. Quis enim, inquies, est, qui id cum in suo succo est, nescit p se bibi posse, aut si concreuit, quouis humore aqueo dilutũ solui? Non alio id iure videtur potabile magisteriũ fieri quã manna, aut dulcedo fauorum Sacharina, passæq; vuæ

Talci liquor.

Sacharum potabile.

maioris concretio, aut ſapa coacta, aliive ſucci inſpiſſati. Sed non quemuis potum intelligere artifices certum eſt. Ab arte ingenioque profectum eſt, quod potabile Sacharum in magiſteriis ponimus. Sunt qui, vt in alchemia poſui, perfuſum vini ſpiritu Sacharum clarificatum incendunt, & quadamtenus citra concretionem ardere ſinunt, itaque Sachari liquorem ad tincturas fiorum excipiendas cõfectum reddunt.

Aliæ præparationes per ſolutionem in balneo roris, aut digeſtionem in balneo maris conueniunt cum liquorum magiſterio; Et ſi affundas aquas eſſentiales, cum videatur Sacharum ſponte ſua concretum inter natiua extracta eſſe, quod vero ars elicuit, etiam ipſo opere accedit artificiis, euadet Elyxir Sacharinum, quale inter Elyxiria ſuo leges loco, quanquam non vſque adeo enorme peccatum ſit idem exemplum diuerſis apponere capitibus, ob rationum in eo varietatem.

Caphura potabilis.

Vin' & Caphuræ magiſterium audire? Vereor ne hoc quoque ſeu Elyxiribus, ſeu eſſentiis accenſeas, cum nihil ſit aliud, quam extractum naturale. Sed tamen cum nondum artem ſit experta, ſit integri loco. Eam macerant aqua forti ex Halonitro & Chalcantho, itaque ſoluunt, ſed facile redituram ad ingenium, ni eſſentialiter elaboretur, quanquam ne ſic quidem ſemper fidem præſtet, ſitque in officio retinenda per eandem cauſticam. Alii in fruſta com-

ſta comminutam cucurbitæ imponunt aptæ, affuſoque pari aceto ſępius deſtillato, diligenter occluſam in fimo ſepeliunt, donec in lacteum faceſſerit humorem, arenæ leniſſimo calore depurandum. Quod item nonnulli aqua forti procurant, id alii vini ſpiritu. Sed & oleo incoquitur integra, vt ſulphur ſimiliaque è pinguium genere. Qui vitro incluſam calenti recentique a furno pani implicat, & ſic ſoluit, ingenio quidem proficit, ſed quomodo à ſimplici calore ſolutis differat, niſi vaſorum ratione & ſpiritus humidi ex pane inſinuatione, vix apparet. Eſt tamen aliquid induſtriæ in inuento, ne res per ſe volatilis & ignium rapax diſſipari facile poſſit, & operam artificis eludere. Itaque ob hanc cauſam non difficulter ei locum inter magiſteria tribuam. Nec refert, licet concreſcat denuo. Nam & alia nonnulla tandem conſiſtunt, redeuntque ad ingenium magiſteria. Nō minus commendabitur, qui oleo amygdalarum dulcium commiſtum eius puluerem radicis raphani aut Enulæ cauo incluſerit, tectumq; iterum operculo eiuſdem radicis, in celſa ſuſpenſum profluere curauerit, quod ipſum etiam peragitur albuminum acetabulis, eo modo, quem in eſſentiis docemus, qui tamen locus ab hoc differt magiſterio, quod ibi extractum ſoluatur, hoc eſt ſubtiliſſimus flos caphuræ, hic vero captura integra ab arte rudis, niſi eam natura ita puram conſummatamque

tamque dederit, vt nihil præterea ab arte accipi posse videatur, præter solutionem. Tunc enim in idem coincidunt essentia solutæ & magisterium potabilis, quo nomine eam donamus, licet non potetur. Fruitur beneficio similium eiusdem classis, quæ vocabulum à potiore accepit. Succinum totum oleo ceræ, vel tereblnthi similibusque liquidum reddimus vt Sulphur. Est aliquid præsidii etiam in destillatione. Totum enim in liquamen faciè liquidi bituminis abit idq;, quia crassiores partes suo oleo resolutę nō aliter ac oleo externo sustinētur. Ex Eucharii pręclari & medici & chymici sc iniis, ad me peruenit ēt crocus potabilis, quāqā titulo extracti olei. Pulueri eius spiritus vini summopere correctus affunditur inq; balnei digestione octiduana, vitro clauso detinetur. Spiritus extrahitur ad consistentiā mellis. Residuo infunditur nouus, factaque circulatione, eadem repetitur abstractio, ita toto opere iterato duodecies. Vulgo conterunt cum soluuntque vino, nonquidem vt sic potent, sed vt cæteris medicinis commodius misceant. Et eadem ars etiam in lacrymis & gummi pluribus valet. Pari enim vino adiecto soluuntur. Aliis placet acetum. Viā ēt ad allos flores videbis. Tincturam parabis interuentu colatutæ. Copiæ cornu nobis est ꝓpositū. Nō possūt plustrari singula. Quæ officinis mechanicis chymia concredidit ex hac Sylua, suā quoq; merentur dignitatē. Nō leuis

Succini solutum.

Crocus potabilis.

Solutum gummi.

aūt ple-

aut plebei ingenii est, posse metalla, gêmas, aliaque huius generis recte fundere, præsertim venas & q̃ alia sunt aspera intractabiliaq; Sed plurimam horum partem in excoctoria depuratoriaque & docimastica, tum Agricola tum Fachsius & alii, quos nuper sum imitatus, descripserunt, & in Alchymia peculiare bene fundendi caput est: Est aliud de fluxibus compositis, ne quid de disperso in varia capita artificio memorem. Promisi tibi breuitatem. Sed nescio quis me Apollo retraxerit. Redimam peccatum epilogo conciso. Vale.

Recte fundere metalla.

EPIST: XIX. DE MAGISTERIO *pulverum ad cap. 5. tract. 1. lib. 2. Alchymiæ.*

Ad
Christophorum Muldenerum philos: & med: Academicum Hassiæ.

AENIGMATIS Salomonis regis sapientiam tentatum aduenisse quondam ex Arabia Reginam est in sacro codice. Ego ad te non exploratum animi latebras accedo, neq; gryphis aut crocodilis cornutisue sophismatis ingeninm fatigatum, chymicam quæstionem apporto, vt quæ tua est cum benevolêtia summa coniuncta magnæ doctrinæ copia, quid nã interesse putes inter calces chymicorum, & læuores subtilissimos, quos pulueres appellant impalpabiles, aut ex Arabum disciplina Alcoolia, mihi significes amice, Ego vix me extricauerim nec facile absque cortice ex perple-

perplexitatum eiuſmodi mari enatauerim. Video,quam rem hic calcem nominat,eam ⁖ lium nuncupare alcool ,aut læuorem , poll⁖ nem , farinam aſpredinis expertem , atque ita tactu inſenſilem puluerem. Putabam ignibus fieri calces , aliis artificiis pulueres. At ſæpe ẽt ex aquis calces tollũt, ſæpe tritura cũ ſale alias maceratione lęuigationeq; & ſimilibus. Neque vero duntaxat integra comminuta iiſdem deſignant vocabulis , ſed & quæ in ſummum exaltantur, aut per alembicum exiguntur , aut ex liquore ſegregantur , & omnino ſalis , cinerum , calciſue reſolutæ conſiſtentiam habent.Quo fit,vt in incerto vagetur tyro , nec indubio præcepto rem comprehendere animoque inſcribere poſſit. Videor aut mihi inueniſſe remedium huic errore. Quæ enim calcis conſiſtentiam habent abſque eſſentiali ſeparatione factam , generatim appellari calces arbitror, interim in ſpecie ϰ̀ κυρίως calces veræ ſunt,quas ſpecialis calcinatio,quæ potiſſimum ignibus peragitur, reddit, quibus ob affinitatem accedunt etiam aquis cauſticis per corroſionem ſolutionemue aut putrefactionem comparati pulueres , prout tamen elaborantur , magis minuſue huc illuc inclinantes. Alcoolia iſta comminuta dixerim quę alcoliſmi opere artificioſo procreantur. Video hanc vocem Arabibus vſitatam eſſe , ſi quando , vt ait Syluius in Meſuen commentatus , ſubtiliſſimum intelligunt puluerem

Alcool.

quæ

quæ vox etiam absque articulo cohol ſcribitur. Vnde poſtea in chymiam irrepſit non primum tantum origine, ſed & inde deductum Alcoliſati nomen, cuius vſus eſt in eſſentiis, quibus commiſſa vnitaque calx aut puluis rei cuiuſpiam eſt: vt cum vinum alcoliſatum, ſeu alcool vini nominant. Num itaq; recte tibi videor diuinare? Certe in penuria vocum diuertere nos aliquando ad modificata oportet, & ſi non poſſumus ſat cõmode loqui, ſaltem operam dare, ne ſenſum vitiemus. Ita latinitas aucta nonnunquam Græciſmis, & Barbaris eſt dictionibus. Sit ergo interim magiſterium hoc noſtrum Alcool, aut puluis quanquam non quilibet, ſed læuor (τὸ λεῖον) aut pollen illa deſignetur voce, cum tamen chymicus non ſemper exactum quærat & impalpabilem, quem ἀναφῆλον ἤγουν ἀληπῆλον καὶ ἄσχιστον λειότητα Græcus appellaret, ſed nonnunquam etiam Granalia vocata & ramenta elimataſque ſcobes τὰ διατρίμματα καὶ κρίσματα, ἢ ξέσματα arte elaborata. Dices ex officinis mechanicis accommodato ſumi pulueres ramentaque craſſiora, quandoquidem etiam medici non radunt, ſcobuntue, aut elimant ipſi ferrum, ſed à fabris petunt ferrariis. Verum, niſi fallor, rudimenta quædam chymica etiam in externis hærent. Si inde ſeruitia ſibi poſtliminio accerſit artifex chymicus, quod ſuum fuit, repoſcit. Interim autem diſtat operis ingenio. Neque vero quiſquam adeo ſit deli-

Cohol.

Alcoliſatus vel alcaliſatus, licet differant ibi puluere alcool, hic ſalem alcali attingendo.

Quædã genere cõmunia ſecedũt ſpecie in priuatas claſſes.

delicatus, aut famulitii inops, quin si opus comminutionem requirit talem, aut ipse rem aggrediatur, aut eam ministri manu effectam reddat. Non posse eum, nefas est existimatu. Qui enim omnia ingeniosius subtiliusque elaborat, illene non possit lima vulgariter radere, aut torno sculpere, & serra comminuere? Sed nisi molestum est animo forsan aliis grauioribus occupato, libeat tibi paulisper mecum ad specialem puluerum nonnullorum contemplationem descendere, cæteris sua suo tempore erit cura. Differenda enim, non omittenda iudico. Duritia renitente soliditateque continuata præditum id esse, quod in puluerem ex arte comminuendum est, vel vulgo constat. Non enim puluis est illa exquisitissima vaporis coagulati diuisique psecas, nec alluuio halituum, nec hydrargyri ros tenuissimus. Eo vero difficilius atteritur, quo quid est tenacius, lentaque compage & & pingui cohærens, extenditur potius quam dissilit. Facilius vero, quod friabilius sicciusque ad quam naturam redigendum est, quod in alcool versum volumus, aut singulari ingenio vtendum. In metallis generalis vna methodus est per hydragyrũ & salem, eaque absq; putrefactione illa mystica quanquam quibus difficiculter iungitur, æs nimirum & ferrum, prius perfricãda repurgãdaq; sũnt acri lixiuio, aut aqua extersória, quam Germanorum artifices suo quodam vocabulo, verquickwasser nuncu-

verquick-wasser

nuncupant. Alia est per limam aut malleum, coniuncta cum maceratione in liquore exiccante, & attritu marmoris porphyrii. Tertia fusione immistioneque mineralis, per minima ad sensum sese insinuantis, separabilisq; iterum liquore peragitur, cuiusmodi est sal ammonius, aut vstulatus vulgaris. Cape salis ammonii, inquit quidam, vnciæ pondus: æruginis quadrantem libræ Romanæ, contempera, vt fiat subtilis puluis. Metallum extensum aceto perfrica, & prædictum puluerem insperge, vt adhæreat. Tunc funde igni & commisce. Facile hæc mistura contereτur, & vbi ducta in læuorem fuerit, ab additamentis elutione separabitur. Nõ inepte ærugini chalcanthum substituas, aut salem vulgatum. Videndũ tamen, ne quid inde detrimenti accedat metallo, Quarta communis ratio per cæmentum est, quæ tamen non progreditur ad combustionem calcinatoriam. Licet nonnunquam restinctione indurante metallum friabile reddere & aquis aluminatis æstuans exagitare. Aliquando fusum eliquatumque in granulam diducitur, quę vbi aquis simul induruit, promprè postea adiecto sale comminuitur. Vtetur artifex, vt ratio operis præsensque necessitas admonebit, modo electo. Sunt autem ét nonnulla in quolibet metallo peculiariter consideranda. Quanquã .n. generalis methodus omnibus sit cõmunis, in applicatione tamen ad naturã propriã nõnulla veniũt.

obser-

obſeruanda, ſicut & in electione modorũ. In Alchymia itaq; indicandũ ſpeciatim fuit; qua ratione quodlibet metallum ſit tractandum, veluti tam aurum, quam argentum per Mercurium poſſunt in puluerem deduci: ſed aurum rectius prius incaleſcit, & ſeorſim etiam argentum viuum, qua calefactione in argento non eſt opus. Ita plumbo vtrique facile cõmittitur ille liquor: at non æri ferroque, quibus ob hoc medicina eſt permittenda. Nulla me cogit neceſſitas apud te repetere quæ in arte dudũ ſunt perſcripta. Quę ſuccrruũt prætcrea, ad te iudicanda affero. Aurum & argentum in puluerem redigunt nõnulli affrictu ad pannos aſperos elutos, quorum portio manibus verſetur, portio in peluim aquę mũdæ dependeat, vt inde madefieri poſſit prior ſæpe. Ex aquæ poſtea colluto illo ſeligitur puluis. Hęc ratio etiam Electro competit, quamuis admodum ſit laborioſa. Aliquando vtriuſq; metalli ſcobs elimata aceto forti nouendium maceratur, & poſtea exempta reſiccataque in marmore teritur. Nõnulli tamen prius ſepties imbibunt ſoluto ſale ammonio paris quantitatis. Ita enim facilius comminuitur, & tutius. Vetuſtus quidam codex imbibit florem arſenici ſublimatione cõparatum aqua ſalis ammoniaci, vt fiat paſta in globulos conformanda. Eos ordine argẽto fuſo ingerit, ſubigitque. Reliquum abſoluitur ſeparatione elutoria. Ferrum fundi cum ſtibio poteſt, & fuſo ſal

Puluis martis.

fuso sal ingeri, postea teri & per alueum elui, Aeris candefactæ laminæ aqua salsa restinguntur. Absiliunt inde pulueres rubicundi, quos collectos, licet atterere subtilius. Vt læuior fiat, repetendus sæpè labor est, pulueresque excutiendi per setaceum colum, aut linteum angustum, aut quomodo parant sigillatas terras per aquas separandi. Et huc facit illa Talci præparatio per sacculum cum glacie. Sed nolo te verbis obtundere pluribus. Vale.

EPISTOLA XX. DECLARATORIA *nonnullorum in capite puluerum chymicorum;*

ANDREAS LIBAVIVS Ericio Bonamico salutem.

NON ignoras difficilé esse contemplationé verorum, & teste Cicerone, optimum quenq; Philosophorum & grauissimum confessum esse sé multa ignorare, & multa sibi etiam atque etiam discenda. Vnde & Theophrastus moriens accusauerit naturam datæ breuioris vitæ, quam satis esset ad perfectarum artium eruditionem. Ne ergo mireris; in Alchymia alicubi hallucinatum esse. Primus ille mihi fuit labor, & soli sustinendus. Vbi concurrerint ingeniorum censuræ; forsan, Deo adiuuante, correctius dabo opus. Quot annos in sua Dialectica perficienda consumsit *Ramus*? Quantos con-

flictus, & collisiones iudiciorum sensit? Quam sæpè mutauit præcepta? Domi premendum in decimum annum, monitu Horatio, referes. Ego verò sat diu pressi, satisque spacii datum illi putaui, quod tot seculis, ab exercitatissimis artificibus inuentum, & per commentaria ad posteros translatum innotuit. Quis vero etiam tantopere sibi indulgere potest, vt ad omnium scribat captus?

An etiam postulandum est ab artifice, vt profano sermone artis arcana prostituat? Assuesce disciplinæ. Quæ in præsens non intelligis, repetita crebro sponte sese offerent, tuumque intellectum illustrabunt. In magisterio puluerum nonnihil desiderari lucis scribis. Vellem quidem me satisfecisse ad amussim omnibus, sed, vt dixi, non est hoc hominis, quanquam, vt est in vetere prouerbio, Ne Iupiter quidem omnibus placet; videbaturque illi Arragonum regi DEVS ipse mundum non sat rectè disposuisse, quod se consultore longè melius debuisset fieri. Verum enimuero sequar monita tua, & quantum potero, studiis tuis indulgebo. In alcoole auri per plumbum notabis, vasis, in quo continetur plumbum, orificio imponendam crucem ferream esse, vt commodè innitantur laminæ, hasque sæpè vertendas, vt vndiquaque penetret fumus Saturninus, quanquam vbi calcinanda parua quantitas est, sa-

In auri puluere notanda.

eſt, ſatis ſit inniti lamellam margini. Iubet Vlſtadius mutua ſtrata fieri ex plumbo & tartaro, ita vt plumbum in imo ſit, digiti altitudine; inde tartarum, & ſic conſequenter vſque ad complementum vaſis. Hoc adaptata cruce transfertur in furnum tanti caloris, quantus ſufficit plumbo in fuſione retinendo diuaporandoque modicè. Ille verò halitus Saturninus quia Mercurialis eſt, & arſenicalis, auri naturam vitiat. Itaque poſtquam comminutæ ſunt lamellæ, puluis in reuerberio eſt exercendus, donec ſeceſſerit alluuio, poſtea ſale tartari ammoniato ſolutoque probè perfricandus, & tandem dulci eluendus ſiccandusque. Quæ vero hydrargyri contemperatione perficitur comminutio, à diuerſis adminiſtratur diuerſimodè. In auro vtraque miſturæ pars prius calefacienda ſeorſim eſt, & commiſcenda. Inde nonnulli in feruefactum catinum præcipitant malagma, & poſtea aquâ detergent ſordes, potiſſimum autem ſalſa aut oxalme. Hinc in patella expirare ſinunt hydrargyrum adhibita continua verſatione, ne vnâ auolent auri atoma. Hoc facto puluerem ſali ammonio iungunt inque marmore læuigant. Sublato eo rurſus lotione, exiccatum alcool ad vſum reponitur. Vlſtadius iubet expreſſum per corium amalgama in catino calefacere, donec fumiget: Tunc

terere iterumque igni reddere, quouſque appareat fumus, idque viciſſim vſque ad ſolum auri puluerem, quem cum ſale horis quinque cæmentandum monet, donec exhalauerit vniuerſa vis mercurii: Inde bis terve vini ſpiritu eluendum, & aqua dulcifactum reponendum. Sed tibi ſedulò caue à fumo inter terendum. Vt videas ingeniorum varietatem, aſſcribam etiam aliorum dictata. Auri ſemunciam ſeptuplo mercurii in catino calefacti immiſce. Effunde in alium catinum ferüentem, & agita per octauam horæ: Effunde in aquam. Exprime per cotonæum: Quod exiit, tranſige per corium, ne quid ſubterfugiat auri: Huic collecto adiice ſalis ammonii ſemunciam, ſalis fuſi ſextantem: Commiſta tere in lapide. Transfer hinc in catinum, quem carbone tectum prunis impone, vt Sal ammonius cum hydrargyro exhalet. Reliquum tritum ablutumque ſicca. Nonnulli ſextuplum hydrargyri iungunt auro, factoque amalgamati duodecuplum adiiciunt Sulphuris, & igni conſumunt repetito hoc opere vſque ad complementum voti. Sed ſuſpecta mihi hæc ratio eſt. Duplex enim vis, auri præſertim mollioris, & nondum ſat fixi, exilibus ramentis affertur, vnde facile aliquid fumo diſſipari poſſit, nec licet transferre hanc rationem ad metalla cætera, vtvt eam aurum

ſuſtinu-

ſuſtinuerit. Eadem cautela in cæmento quoque eſt adhibenda. Quem quartum alcoolis auri modum poſui, cum in hoc quidem retinuerim, quatenus totum ſoluitur. Aliàs ad tincturam tranſit. In argento & cæteris metallis cogito mutare conſilium, & pulueres per corroſiuos liquores calcibus annumerare, propterea, quod aquæ cauſticæ vicariam ignis poteſtatem habeant, & non corrodant ſimpliciter, ſed quodammodo etiam ſeparent diuerſis coloribus & conſiſtentia diuerſas exhibendo naturas. De hoc conſilio interim potes cum peritis agere; & ſi quid, quod monendus ſim, cognoueris, facies vt ſciam. Non me latet, etiam aurum ita attenuatum, calcem dici: ſed cum ea planè conueniat cum puluere propter abſolutam auri, homogeneamque naturam, ſiquidem totam ſolueris: & huic capiti & calcibus ſubiici idem præceptum poſſe abſque errore iudico. Hoc conſilio etiam aſſcripſi calcis nomen. Quæ melle fit attrito, interdum ſolo peragitur; interdum adiecto ſale. Maſſa conteritur exactè in marmore, vt aurum è conſpectu ſe ſubducat. Sedimento poſtea per diem naturalem facto, inſtituitur elutio ex aqua tepida ſimplici pura, aut deſtillata, quæ tandem etiam ab auro per deſtillationem ſeparatur. In argenti amalgamate, poſtquam expirauit hydrargyrus, aliqui addunt tarta-

Pulueres corroſione aquarum ſoluentium facti poſſunt calcibus adiungi.

rum, qua voce ſalem eius intelligo, quem non abſurde adiiceremus etiam auro ita præparato. Quem plumbi puluerandi modum ex Bulcaſi aſſcripſi, cum lib. 34. cap. 18. etiam recenſuit Plinivs ductu Dioſcoridis, vnde intelligis, nonnihil chymicorum inuentorum etiam ad hos perueniſſe.

Dioſco. lib. 5. cap. 47. de plumbo loto.

Proculdubio enim Bulcaſis non ex his didicit licet prioribus, ſed ex Arabum ſchola hauſit, in qua vigebant & cætera, quæ commemorat artificia. Vocat autem Plinius læuorem, & pro aqua indiſcreta poſcit cæleſtem, addens alios plumbum in lapideo mortario piſtillo plumbeo conterere. Dilucidior eſt Dioſcorides, qui terere iubet donec craſſeſcat aqua inſtar limi: Deinde transcolare per linteum & lauare ad albedinem. In ſecundo modo ſcobs plumbi ſumenda eſt, &, vt vult Dioſcor. etiam lapideo piſtillo terenda, aut manibus fricanda, ne vehementi tritura abeat in ceruſſam vel ſimilem calcem. Ad granulam in fuſione, neſcio, quo conſilio nonnulli halonitrum ſali ſimplici ſubſtituant. Fluxus cauſſa temerarius eſt conatus. Sunt enim hæc metalla per ſe ſat fluida. Colliqueſcit ille ſal facilimè, ſeque inſinuat, & cum diuaporet, ſimul exterſos ſpiritus maligniores volatilioreſque abducit. Itaque videri poſſunt non puluerem ſimplicem intendiſſe. Sed cum

cum confidat grumeſcatque viciſſim promtèidem, ne vitietur granulâtio cauendum eſt, quod aſſequemur agitatione celeri. Quod de hydrargyro monui, ad præcepta non pertinet, ſed minuſcula ſcriptura debuit commentis adiungi. Putant autem nonnulli cum eſſe puluerem hydrargyri, vt conficiant; poſſe hunc licet liquidum, tamen in alcool deduci. Sed ſi hoc eſt puluerare humores, fateantur quælibet humida ſiccis intermiſta alcool fieri, aut per modum niuis, glacieiq; ,&c. etiâm aquas faciant puluerulentas. Hydrargyrus ſeſe inſinuat ſiccis copioſis, atque etiam lentoribus occultat minutiſſimæ alluuionis ſpecie; ſed quandiu fluit & hanc naturam retinet, non euadit puluis, quod docet reductio per elutionem ſimplicem ſeparationemque commiſti. Mutatus in glaciem, aut fixus, tunc demum in puluerem fatiſcit. Creditur miraculum euenire, ſi ingeratur ei ſublimati pollen. Sed aperta res eſt. Cum enim hic conſtet ſale & vitriolo vel ſimilibus acribus, & præterea etiam familiaritate ſubſtantiæ eiusdem, facilima eſt per minima commiſtio, qualis non euenit ab alienioribus. Solet etiam inde aliquanto tardior fieri, & cute obduci propter acrimoniam. Sed celeritate opus eſt in ſubigendo. Alioquin ſubſidet ſublimati puluis, & conglobatur, humidior ſeipſo factus,

Argentum viuum ſublimato diluere.

nec postea facile ad misturam resuscitatur. Cum in hoc intentus essem, acrimonia molesta nares vellicabat, & sternutamenta crebra mouebat. Vide ne tibi eueniat idem, periculum huius facturo. De venarum contusione relego te ad Agricolam, qui nihil videtur ad eam rem pertinens, vt nimirum exercetur in officinis metallurgorum, intermisisse. Quod de lignis, ossibus & similibus rasis lima, torno, cultrorumque acie aut mole ferrave fractis posui, non accipies ita ruditer, vt exercetur à fabris lignariis, torneutis, culmiscis & similibus; sed reuocanda mens est ad industriam chymicam sæpius indicatam. Illa verò rudimenta sunt operis primi. Itaque postea scobes lignorum, culmorum & similes macerantur muria, aceto vel simili liquore, vt nonnihil duritiei acquirant. Postea exiccatæ molis franguntur, aut tunduntur mortariis, excutiuntur per angusta cola quomodo ars Pharmacopæorum sua conficit alcoolia. Problema tibi propono, quando mihi molestiam exquirendo creasti, & quæro qua arte sis ceram in puluerem redacturus & terebinthinam, si his vti sit opus: Num aliis vtendi modis aptioribus excludi hanc dices? An terebinthinam aqua acetove coques ad duritiam? At non ita tibi obtemperabit cera. Nec confugere potes ad combustionem. Delibera de hoc, & inuen-

Venæ.

uento consilio ad me redi. Cæterum qua arte aer puluescit, ea & butyrum.

EPIST: XXI.
De hydrargyro præcipitato.
Ad
M. Ioannem Hertmannum Phil. Mathematicum & Chmyicum Acedemicum.

LEGI HARTMANNE, submissum thesibus Ferinarianis poema tuum, nec mediocriter sum grauisus, esse in Academia vestra non tantum Lycios, Scaphiosque, sed & sclerandros cratandrosque, quibus adeo non sordet philosophia chymica, quam Ferinarius appellat tuus, vt etiam enconiis insignibus eam exornare, illustrareque non reformident. Neque vero id ideo, quod multi pueriliter imperiteque nisi malis impotenter sibi persuasum habeant, á Paracelso eam principium sui accepisse: Neque enim hoc tanti erat, quanquam ille si voluisset, non apud vulgus tantum, sed & inter eruditos explicatione amplificationeque eiusdem poterat illustris esse: Sed quod per se nulli artium humanarum, dignitatis & gloriæ splendore fructuque cedere recte iudicetur. Multum quidem eius excellenti existimationi detractum Paracelsitatum temeritate imposturisque in procerum animis videmus. Itaque etiam non desunt, qui linguis pectoribusque innatam virulen-

M 5

rulentiam calumniandi ſceleratiore crimine amplius contaminantes, manibus pedibusque obnixe omnia conantur, vt aditum ei intercludant, qui tamen hucuſque non valent, vt ab impoſtoribus limina principum ſuorum reddant tuta. Sed emerget tandem illa vel inuitis oſoribus, & ad culmen honorum auſpicio diuino & cultorum ſuorum ſtudio aſpirabit, in quorum numero, ſi nomen quoque tuum lectum fuerit, id erit tibi eo honorificentius. Nunc eſt, quod tecum de hydrargyro præcipitato, vt artifices nominant, colloquar, & ſimul iudicium de eo expiſcer tuum. Puto ita vocari puluerem ex hydrargyro, ſeu argento viuo, quod Ariſtoteles χυτὸν appellat croceum, qui quod nondum ſit fixus, reduci facili arte totus poteſt. Nomen videtur ab initio accepiſſe, quod ex mineralibus acribus in altum vi ignium actus crebro ad fundum ſit deturbatus, & liquore amiſſo ſiccitate puluerulenta inſtructus, niſi fortaſſis præcipitari crediderint idem, quod præcipitanter coercere fluxum, & ſiſtere inducta ſiccitate liquorem, aut ab initio nunc dictum Turpethum, aut argentum viuum fixum id vocabulum habuerit ab imperitis, poſtea translatum ad partem quandam rudiorem eiuſdem operis. Solemus enim à ſublimatione deorſum detruſum figere, & cogere, vt aſſueſcat ignibus, aut ſaltem conſtantiæ ad finem ſuum. Hoc antequam conſequamur, plerunque vim ei afferimus,

Hydrargyrus præcipitatus.

rimus, & vulgarem præcipitationem præmittimus, vnde nomen integræ operæ in parte hæsit. Iocabitur, qui dictum ita existimabit, quod morbos præcipitet, & è corpore superfluitatũ turbas exigat cumulatim. Esset enim potius præcipitans, quam præcipitatus, nisi permutationem Barbariæ debemus. Sed te tuique similes artifices audire malo, quam Scrupulum meis verbis coniecturisq; tollere. Cum autem duplex sit liquor ille, vnus quem argentum viuum appellant, & mercurium crudum, alter quem Mercurium, aut cum additamento corporis resoluti, quanquam postea ab arte aliisque argumentis plura sortiatur nomina, qualia sunt volatilis, fixus, vulgaris, Philosophicus, coagulatus, &c. præcipitatus proprie fit ex crudo minerali, saltem nostra ætate. Qui enim cõficitur ex mercurio corporum, siue vna sit ille, siue hic solus, ad aliam transit classem, licet nomen interdum ab illo ad hunc transmigret artificum abusu, & quod aliquãdo sit materia perfectioris magisterii, aut etiam essentiæ. Sed hæc leuiora. Illud me sæpe torsit, calciumne ordini inserendus sit, an in puluerum subselliis retinendus, & quid inter ipsum & mercurium fixum Turpethumque tandem intersit. Transmutatorum, atque adeo calcium societati asscribendus ideo videbatur, quia locutio Æginetæ habet verbum τεφρωθῆναι, quod nosti cineribus designandis accõmodatum esse, nec in hy-

Sit ne præcipitatus hydrargyrus calx, an puluis, &c.

in hydrargyro incombuſtili exiſtente , aliud nomen locum habere , niſi calcem , quanquam καύσει præparatum fuiſſe idem autor indicet, cum ſcribat : τινὲς δὲ καύσαντες αυτὸν ὡς τέφρω θῆναι καὶ μίξαντες ἑτέροις εἴδεσιν ἐπὶ κολικῶν καὶ τῶν εἰλεωδῶν ἐπίδωταν πιεῖν. Si combuſtionem potentialem , quæ fit aquis cauſticis , intelligimus , recte quidem is locutus eſt. Ea enim & metallis competit :ſed pro cinere calx eſt accipienda. Deinde præcipitatus in aliud quiddam tranſiſſe videtur artificio. Itaque non amplius erit ſub integrorum magiſterio , quæ nondum á ſua natura ſunt dimota. Nec conſueuimus pulueres ex liquidis facere : ſicuti nec muria in puluerem dicitur redacta cum in ſalem excocta eſt. Quod ſi quæ aquæ lapideſcunt , pulueraſcuntque; eæ aut tranſmutatione id ſuſtinent , aut commiſta terrea fuga ſui deſtituunt. Hæc ab vna parte me nõ parum commouebant. Rurſum cum viderem hydrargyrum non eſſe inſtar aliorum liquorum , ſed ita ex terreis aqueisq; commiſtam ſubſtantiam vt liqueſcere terra , & aqua ſicceſcere nulla vtrobique iactura facta poſſint id quod indicat reſuſcitatio eius , quam reductionem appellamus neutiquam aliud quid paſſum iudicaui , præter conſiſtentiæ & coloris mutationem (quanquam etiam vim ſuam impreſſerit aqua corroſoria & nõ paruam reliquerit) id quod calcibus veris cineribusque non congruit. Hoc argumentum apud me

tanti

tanti fuit, vt in magisterio integræ substantiæ reliquerim, neque tamen pulueribus omnino ascribere potui. Affinem feci, & peculiari subiecti capiti. Cũ item nonnullam eo labore accipiat fixionem: nam ex volubili & liquido cogitur consistere & morari: aliquid cognationis cum fixis habet, & hoc nomine in fixorum viciniam demigrauit. Hæc fuerunt cõsilii rationes. A te expecto quid absolutius. Turpethum (licet & hæc vox aliter vsurpetur & eius elaboratio interdum non differat à præcipitato secundum quosdam discrimen nõ attendentes) inter essentias est. Volatilitate enim perniciosa aut inutili separata, quod relinquitur essentialiter elaboratum, turpethum appellatur, quod non raro exaltatur metalli perfecti admistione, atque etiam ex eius mercurio conficitur. Fixus hydrargyrus à præcipitato quomodo differat, patet prima fronte. Hic enim nullam prærogatiuam habet præter præcipitationem, ille insuper constantiam in toto accepit corpore. Fit & materia fixi præcipitatus. Est quidem & Turbith. fixum, sed non omni parte, vt dictum est, & vna sustinet separationem. Color eius rubet plærunque, veruntamen non raro albet: estque & puniceus & aureus citrinus facie sulphuris citrini, aliquando cæruleus, cineraceus &c. Flamma sicca erubescit, ab aqua forti albet, vt glacies spissior, aut cerussa aut vitrum lacteum. Itaque cum aliquando igni rubefa-

befactum, perfudissem denuo forti, è vestigio amissa rubedine per citrinum ad albedinem recurrit. Mirum est cum ex aqua forti secessit ad fundum stellatim turritimq; aliquando cōcrescere & mirifice virgari: si forti effusa, dulcem reponas, citrinum euadere, indeq; iterum album, & partem tam exacte misceri aquæ acri, vt visu sit indiscreta, & id etiam fieri in acri diluta, ex qua non secedit nisi iniicias puluerem salemue præcipitatorium, & agites fortiter. Tunc totus ille liquor in lactis densi albissimique speciem mutatur inclarescitque quietè tandem. Huiusmodi iucunda spectatu plura possem commemorare. Sed receptui canendum est. Quid respondere debeas interroganti videbis. Vale. 1c. Ianuarii anni 1598 Rotemb. ad Tub.

EPIST. XXII. DE MODIS QVIbusdam Hydrargyri præcipitati. Ad

Ioannem Hartmannum M. Phil. Chymicum & Professorem Mathematum.

CVRAS tibi nuper exposui meas, rogauique, vt, quantum in te esset, earum pondere me leuares. Spero te non defuturum discere cupienti, & si mei caussa nolis fatigari, nihil tamen communi vtilitati negaturum Nunc aliud est, quod ad te fero, idque non leuis momenti. Sunt qui chymiam vniuersam duobus definiant limitibus, doceantque eius esse spiritus ab elementorum complexu liberare,

liberare, eiſdemque depuratis & in primum ſuum eſſe deductis illos reſtituere, quandoquidem non ſatis ſit Elementa ſeparata, ſpiritumque ſeorſim habere, ni elementa iterum coniungantur, ſpirituſque terræ philoſophicæ iniiciatur. Id ſi ita eſt, periit noſter Hermaphroditus edentulus, claudus, inque præceps deiectus, perierunt alia plura magiſteria, neque quicquam gloriæ chymicæ ſibi vendicare poſſunt. Quid quod nec Ziniar, nec Vſifur, nec illa perfecti magiſterii apud Meſuen Bulcaſinque opera vllam ſedem ſub iſta definitione, intraque limites datos inueniant? Sed tamen liceat nobis ſepta chymica promouere latius, atque agro noſtro etiam illa includere, quæ magiſterii principiis elaborantur, atque extracta ſeparataue ſeorſim ad ſuos vſus reponuntur, modò habeant præceptum tanquam originem gentis, ad quam familiam ſuam reuocent, nec à Sacerdotio cogantur exulare. Tuum erit egregium præcipitandi mercurii modum excogitare docereque. Ego non reformidabo & ciuitate chymica donare: & ius eius aduerſus inimicos tanquam alter Cicero Archiã ſuũ defendere. Varios quidẽ ego adduxi in ipſa arte apparatus, ſed quos videas p̃cipitãte cã potiſſimũ diuiſos eſſe. Actio.n.ipſa omnibus in hoc verſatur, vt purgatũ argentũ viuũ è minera, aqua, vel liquore acri, & maximè eſſentiali aliquo ſolideſcat, indeq; ingnib. abſtracto humore in puluerem rubeum
tranſeat,

transseat, quem porro corrigunt sapientiores aqua dulci seu simplici, seu rosacea, seu qua alia competente, nonnunquam & Theriacali ne cerebrum offendat eius volatilitas, idq macerando destillandoque quoad satis. Vasa mutare, & liquores extractos integris, non tam ad rem facit, quam variatio aquarum corrodentium, earundemque post opus confectum plenaria separatio aut saltem virtutis relictæ emẽdatio. Inde enim postea intus, forisue & incertis affectibus potest adhiberi. Ex eo genere est hæc descriptio? Stibii triens, Marcasitæ auri; scobis chalybeatæ singulæ vnciæ? colliquefacta fundantur in regulum, quem puluerατum mittas in receptaculum, destillans in eum aquam fortem lege artis. Hoc perfecto curandũ est, vt per quietem 24. horarum ad fundum considant spiritus, & postea alio vase ex iis conficiatur aqua caustica opere arenæ. Hac præcipitetur Hydrargyrus & in patella super prunis primum spiritus aquæ dissipentur, postea adiecta rosacea digestione facta inde aliquoties destilletur. Nihil hic discriminis est nisi in menstruo solutionis, vt loquuntur artifices. Est alius regius, cuius elaboratio proxime accedit ad fixionem. Chalcanthi, aluminis, halonitri quaternæ libræ: aluminis plumosi duæ: salis ammonii, tartari calcinati; calcis ex ouorum testis libræ singulæ, cinabaris, fragmentorum lateris singulæ selibræ, fiat aqua regia vt est artis. Solue in ea argentum,

præcipitatus.

Præcipitatus regius.

argentum, vt perpurgetur. Repurgatum affunde hydrargyro crudo, eumque ſolue. Solutionem facta digeſtione deſcende liquore tartari immiſſo. Aqua ſegregata præcipitatum in vitro clauſo ad ignem rubefacito. Poteris eum poſtea quinquies oleo tartari imbibere & viginti dierum ſpacio in cella locatum ad pultis conſiſtentiam perducere. Sed quorſum tã multa? Vna correcta præcipitatio fermè ſatis eſt pro interna medicina, quæ ſi non reſpondet votis; in ſubſidiis eſt turpethum & ſimilia. Qui metallis colorandis mutandis augendisve ſubſidium quærunt, prout cuique videtur conſultum eſſe ita ſibi ex propria inuentione gloriam quærit, adeoq; pertinaciter ſua pro genuinis habet vt nõ auditurus ſit, ſi quis profiteatur æquè boni ſcientiam. Veruntamen hi quærunt fixum aut Turpethum corporibus coniunctum & ſimilia artificia, niſi delirent. Chirurgis aliqua varietas condonanda eſt, vt & Mulomedicis, quãdoquidem tam pertinacia interdum mala incidunt, vt eis peruincendis non ſatis ſit vna ſimplex præparatio, qua neceſſitate coguntur, conſilium medicinaſq; mutare perſæpe etiam Medici.

Cur præcipitatus violentior argento viuo crudo.

Quæritur, cum ille angelicus puluis tantopere expurget, aluumq; præcipitet, quãtopere non hydrargyrus crudus. Vnde illi ſit vis tanta. Culpam plæriq; in menſtruorum reſiduos halitus, & acrimoniam aduentitiam cõiiciunt: nonnulli accuſant etiam ignes. Nec

videntur nihil ad rhombum dicere. Nam quo plenius eluitur & aqua dulci corrigitur, eo mitior deprehenditur esse, cum absq; eo etiam causticam vim habeat & foris adhibitus vlceribus, non dolorem tantum, sed & Syalisinum excitet. Dandum tamen nonnihil etiã consistentiæ puluerulentæ est, in quam mihi videtur stabiliorem impressionem facere posse calor, quàm in liquorem illum frigidum, & fugacem. Obliteratum enim nonnihil frigus est, tum aqua caustica, tum igni, & vt loquuntur, interna producta. Itaq; potentia eius iam actui vicinior est. Gallicam seu Indicam luem expugnare totis viribus creditur maximè si ære alteretur, aut etiam ex eo productus sit. Repugnant alii, & lignorum essentias præferunt. Vbiuis rectum vsum laudauerim. Hoc dic mihi, si Syalisinus proprius hydrargyri effectus est, qui fit, vt scribat Plinius Galactitem foris admotum idem præstare? Num Mercuriale quid in hoc est? Sed non es perturbandus quæstionibus. Vale.

Syalismus non vnius hydrargyri. Memini me de herba quadam similia legere, quæ tamen iam non succurrit.

EPISTOLA XXIII. DE FIXIS; AD

Clariss. Hermannum VVolfium Phil. & med. illustrem, & profess. Marpurg.

IVRE ad te Hermanne VVolfi, de fixis scribo. Is enim ipse, cuius tu quasi hæreditario titulo præfers appellationem, eorum primam fecit in tabula sua Smaragdina mentionem,

tionem, cum è fixo iussit fieri volatile, & vice versa è volatili fixum. Nefas fore iudicaui, doctrinæ honorem tibi inuidere, & legitimo veluti patrimonio surrepto exhæredem factum, nihil præter vocabulum in tabulis inuenire. Tuum itaq; sit hoc, vt acceptam de fixis relationem Hermetico afflatu iudices, & nō tantum animi virtute sis firmus, suffultusq; rerum prudentia & vsu, quicquid fortunę est, facile elidas & opposita constantia propellas: sed & nobis in montibus Hermeticis vera stabilitatis & perpetuorum bonorum præcepta monstres. Neq; enim alia nos lege in hoc curriculo positos à natura arbitremur, quam, vt quibus rebus absque suo detrimento potest alter, iis commodet socio, & de scientiarum acquisitione soliciti iuuenes, quicquid visum est, offerant spectandum iudicandumque peritis, & eorum demonstrationibus ad emolumentum publicæ societatis acquiescant. Appellamus autem fixum. (vt ad rem ipsam accedam) quicquid ex fugace inconstanteq; ad stabilem moram est perductum arte, aut natura ita, vt non amplius vagetur, nutet, fugiat, & ventis immistum dissipetur, sed expectet, quasi affixum côactumq; manere, donec exequatur id, cuius gratia ab artifice, vel natura erat institutum. Id Metallurgi & Philosophi mystici potissimum ad ignem iudicarunt iuxta absolutissimi metalli naturā. Itaq; si quid flammas sustineret absq; iactura sui, more au-

ri consummati, id inter metalla fixum appellârunt perfectè. Ab hoc gradibus nonnullis, & accommodatione vocis ad quædam similiter affecta discessum postea est, dictumq; etiā argentum fixum, sed infra aurum, ad quod si compares, potius fugax fuerit. Itaq; & nomen imperfecti tum hoc retulit, tum alia etiam remotiora, licet argentum ob maiorem cognationem item perfecto adiunctum sit, quomodo solet mas & fœmina vni supponi generi, quamuis hac imbecilliore existente. Ita quę ex fluxa liquidaque consistentia concrescunt, manentq;, veluti aqua in glaciem niuemque coacta, sanguis in grumum, liquor oui & crystallus oculorum in consistentem duritiem, lutosus humor in glebam, vapor in aquam, halitus in substantiam solidam & huiusmodi, item nuncupantur fixa. Non secus etiam mollia ad duritiem perducta, vt Terebinthina ad formam picis & similia, quorum nonnullis coniuncta est transmutatio, quæ ab imperfecto rudique paulatim mouetur ad terminum perfectionis, quomodo medulla initio sanguis, post os euadit, & cartilago primum molle spissamentum, postea item in os degenerat. Vltimum gradum ea occupant, quæ viribus, qualitatumque natura per se euanida, aut etiam corruptionibus obnoxia arte defenduntur, inq; longum prorogantur, quæ licet plurimum absint à dignitate & iure superiorum; ta-en non videntur alibi habere sedem, quā
inter

inter fixa. Quæso te Hermanne, hoc mecum cogites, quam sedulo elaborata, constitutaq; sit, tum naturalium contemplatio, quam physicam dicimus, tum medicina nostra conspiratione artis & naturæ facta. Nosse licet in illis sedem Elementorum, lapidum, mineraliũ, plantarum, bestiarum, hominum: Nosse quid ex his homini sit salubre, quid insalubre, & quibus accommodatis, quo ingenio, & modo, collapsæ sanitati possimus obuiam ire, & labefactam restaurare. Quid vero in cæteris rebus societates, consortiaq; & applicationes ingeniosæ possint, & qua solertia sint elaborandæ ad explicanda naturæ occultioris miracula, quanam in parte naturæ est præceptum? Non minus autem hæc sibi suum locum postulant, quam quæ in medicina ex artificiosa adhibitione resultant. In dispersis commentariis hactenus vidimus contumulata iacere præstantissima magisteria. Partem sibi vendicarunt artes ignobiliores, quod neglectam viderent à liberalibus disciplinis, tanquam spuria esset, aut exulatum ire iussa. Itaque latitat aliquid in pharmacopoliis, aliquid in Bractearia, Aurificina, Metallurgia vulgata, probatoria & aliis. Intelligebat Baptista Porta, debere esse aliquam scientiam, quæ rerum applicationes mirabiles, & inde existentia effecta summatim datis præceptis expediret; verum nomen non dixit. Magiam naturalem vocauit, cum fortasse crederet, vt multi, nihil esse

chymicum, nisi quod metallorum mutationem & sophismata promitteret, quo ineptiores sunt illi, qui destillatoriam ita à sua matrice segregarunt, vt propriam, longeque diuersam ab Alchymia artem crederent, quos tamen redarguere, Auicenna, Mesues, Bulcasis aliique sufficienter poterant, ne quid dicam de totius Orientis & Ægypti consuetudine. Sed agnoscamus tandem eiusmodi artificia esse sub amplitudine Alchymiæ, vt perpetuus essentialisque rerum distributarum ordo in arte euidenter conuincit, eique restituamus per vim seu ademta, seu detenta in sordidis officinis, non curantes, quanquam id nomen illi parti aliquando magis tribuatur, in qua studiosius à chymicis est versatum elaboratumq;. Hac de caussa fixis affinia erunt illa artificia, quæ vires rerum seruant, non quidem omni modo, sed eo, quem ars vsu experientiaque constituta comprobauit. Hæc primo ad te accessu de fixis placuit iudicio tuo proponere. Hermetem te præbebis rerum notitia iudicioque ter admirandum, vt non tantum ad nomen videaris aspirasse, sed & cognominis aliquid, quantum sinunt hæc nostra humana, reportasse. Vale & me tibi commendatum habe. Vndecimo Ianuarii, qui erat anni, 1 5 9 8. Rotemburgi.

EPIST.

EPISTOLA XXIIII. DE FIGENDA *vena, & simul auri in fixione prærogatiuis;*

AD

D. Hermannum VVolfium Phil & med. Clariss. in Aacdemia Hassorum.

QVI de subtilibus, rebusq; variis commentaria ediderunt, quiq; de occultis naturę miraculis & secretis rerum scripserunt, non negandi sunt aliquid ad Alchymiam contulisse, quanquam vndiquaq;, sicubi occurreret in omni arte aliquid admiratione dignũ, id congesserint, & in commune opus transtulerint. In primis videri voluit Cardanus perfectam dedisse chymiam, quod per capita principalia plurium artium peruolando, nihil quod necessarium esset, crediderit omisisse, sed non perspexit ille essentialem Alchymiæ methodum, & neq; re, neque argumento somniatam sibi perfectionem est assecutus, teste scientiarum ipsarummet euidentia luculento.

Quid ipse præstiterim, ex aliis expecto. Non enim libet, nec fas est iudicare. Studui sarè id, quod vix attentatum primo limine sibi arrogauit ille. Sed ad quæstionem de fixis reuertor, de qua incepi nuper apud te balbutire, valdè veritus, quorsum euasura sit hæc audacia. τὸ πηκτόν Aristoteli erat ἐξηραμμένον τι, ὥσπερ καὶ ἡ πῆξις ξηρασία τις, quæ est affectio corporum ex humido fluidoque con-

4.Meteo. cretorum, atque etiam duritie aliqua compa-
ctorum. Vnde & coniunguntur τὸ πήγνυσθαι,
καὶ σκληρύνεσθαι, quorum vtrumq; docet fieri à
calore in aliquibus, in aliquibus à frigore, ibi
τοῦ θερμοῦ ξηραίνοντος τὸ ὑγρόν, vt in terreis, hic τοῦ
ψυχροῦ ἐκθλίβοντος τὸ θερμὸν vt in aquosis, quã-
quã in secundo de plantis ἡ σύμπηξις, , quã in-
terpres fixionẽ & coagulationẽ nominat, di-
catur esse ἀπὸ τοῦ ὕδατος, ἕνωσις δὲ τῆς συμπήξε-
ως τοῦ φυτοῦ ἀπὸ τοῦ πυρός: vbi aliud est materiale,
aliud agẽs. Nostra fixatio, vt in primo Alchy-
miæ, & cõmentario declaratum est, differt ab
illa Aristotelica non tantum principio, quòd A-
ristoteli est mera natura, nobis motus artis di-
rigentis naturam: sed & amplitudine, modo-
rumque varietate. Figitur chymico non tam
quod durescit, quamuis aliquid magisterii et-
iam hic ars exhibeat in nonnullis per sua in-
strumenta, quam quod pro natura sua fine-
que artis perseuerare constanter, & iniuriis
resistere, aut etiam vim in medicina ad cer-
tum vsum cum operandi constantia deducere
potest, vt memini prioribus ad te scriptum es-
se. Id apparet principio in venis metallorum
euanidis fugacibusque. Deinde metallis ipsis,
& consequenter in cæteris huius ordinis. Si
quis venas Aristotelico more figere aggre-
deretur, intractabiles redderet, & contuma-
citer coctioni resistentes, quas tamen ita o-
portet apparare, vt fluxu facili, naturalique
mollitie ad extendendum retenta, saltem

labores

bores ignis tolerent, actu nec molles nec duræ existentes, sed fluidæ. Id autem chymicus artis suæ industria procurat aquis gradatoriis, quæ & fixatoriç appellantur, aut cæmento, quorum operum rudimentum est in vulgata Metallurgia per lixiuia mineralia, & tostiones. Nonnunquam tamen & chymicus diuturniore in igni mora, assurgentiumque præcipitatione, donec assuescant flammis, aut additamentis retinaculisque fixis idem molitur, & non negligit diluta, lixiuiaque & huius misturæ similia. Sæpe enim non fert impensam labor. Itaque in plebeis ϗ ἰυπορίςοις non raro est compendii fructus. Tale hoc fuerit, quod venæ elutæ portioni vni iungit cahlcãthi subduplum, tusisque & commistis in olla affundit vrinæ veteris, ex eo, qui vinum potauit, exceptæ, quantum satis, quod coquendum est integro die, vrina restaurata, sicubi defecerit & non intermissa agitatione crebra. Hæc vena facile excoquitur cum alcali simplicis lixiuii cinerum, alias euanida & quasi vacua metalli futura. Tanti certe hoc est artificium, vt testetur quidam quintuplum amplius metallum se excoxisse, quam prius consueuerant alii. Paracelsus ita de hac re præcepit: venæ ferri libra, Stibii, halonitri binæ libræ commistę tusæque igni fusorio occluso catino horis 24. agitentur, post effusa mistura in plumbum fulmini committatur: quæ ratio ab alio his verbis explicatur: stibii triens, commistus qua-

Fixio venæ.

dranti squamæ ferreæ, iungitur scobi ferri argentati: Fusis in catino iniicitur plumbi sextás, & procuratur regulus, quem in testa coctum fulminant tandem. Sed hæc non est fixio illa primaria, qua fugax immaturumque metallum in sua matrice roboratur: sed altera minus propria, qua nimirum cauemus, ne quid detrimenti accipiat metallum nobilius alteri ignobili, aut rapaci spiritui commistum. Stibium & sal petræ per se non figunt, sed eliquata, impetu in ferrum aliaque duriora, dissipabilia tamen facto, hoc consumunt subterfugiente interim argento, auroue molliore. Eadem arte vtuntur etiam Docimastæ, sicubi ferrum commistum est venis, aut vbi stibiata, cadmiosa, sulphurea, arsenicalisue minera dominatur, adiectis ferramentis auertitur ab argento violentia, donec consumptis impuritatibus vna cum ferro, intrare plumbi corpus argentum, & pure fulminari queat. Idem labor est, nempe accidentaria fixio, custodia etiam in plumbi candidi præsentia. Sulphur enim stanno argentato in fluxu miscetur & postea in catino Cinereo excoctio ad purum instituitur. aut halonitrum cum arsenico contritum igni circulari trium horarum impositum commiscetur in nigrum lapidem, cuius puluis iniicitur stanno argentato fuso, aut plumbo nigro argentato, cui inest stannum. Id vocant puram absque cute excoctionem. Alioquin in officinis etiam hæc extant

Stannum cũ Argẽto.

tum ad

tum ad figenda in venis metalla, tum eluenda, & adhęrentia maligna compeſcenda: Halonitri, aluminis, chalcanthi, ter fuſi ſalis, arſenici ſingulæ libræ: ſalis ammonii quadrans, aluminis plumoſi ſelibra, perfundantur vrinæ vinipotarum menſuris quadraginta, digerantur triduo, indieſque biſ agitentur. Liquor per colum tranſactus nouis affundatur rebus idque etiam tertio fiat. Hoc eſt menſtruum fixatorium venarum immitium, ſimulque repurgatoriũ. Cum vena iniecta eſt, egeruntur ſordes, quib. deſinentibus, eximitur minera exiccataque excoquitur. Spuma ſegregata colligitur, & nouis rebus iuncta denuo vſurpatur. Aliis lixiuium placet ex aqua feruente per æquales calcis viuæ, Salis, & cinerum commiſtorum percolata, aut in eis relicta ſubactaq;, in quo ter quaterue toſta marcaſita reſtinguitur. Quod ſi vena contumacior eſt, quam vt à ſtibio edomari poſſit, lixiuio calcis cineriſq; clauellati acerrimo chalcanthum adiiciunt, inque hoc liquore venam decoqunt ad extrahendum arſenicum cũ ſulphure. Quibuſdam hoc arridet: Cineris partes duæ, ſalis, calcis viuæ partes ſingulæ perfundantur aqua, fiatque repetitis rebus lixiuium tam craſſum, vt ouum innatare poſſit: miſtura ſæpe agitata triduo vna manet vſque ad ſedimentum: Purum effuſum in aliено ad tertium digitum venæ tritæ adiectum coquitur & deſpumatur die medio. Aurifera mar-

ra marcaſita candefacta extinguitur aliquoties vrina vel aceto, in quo ſal toſtus horis 24. eſt diſſolutus. Eſt & gradatoria huiuſmodi in vulgari vſu: Arſenici, halonitri, calcis viuæ, cineris clauellati aut fagini, ſingulæ libræ, aluminis ſelibra, æruginis triens, ſtibii ſextans, omnia contrita miſtaque lege artis ad aquam cauſticam redigantur, in qua marcaſitæ ſoluantur. Poſſunt & aqua forti, ex chalcantho, ſale, & aceto confecta macerari, aut ea, quæ paratur ex chalcanthi crudi libris tribus, halonitri vna, aluminis plumoſi ſelibra, farina laterum aut cinere oſſium q. ſ. vt ſpecies commiſtæ eo rarius coëant, & reddere ſpiritum prompte queant. Nonnulli venas toſtas coquunt lixiuio calcis, aut vrina: Et ſi fortius requiritur, iniiciunt alumen, vitriolum, tartarum album, ſalem, ſulphur, & calcem, plæraque admodum fixatoria. Atque hoc ingenio venæ contumaces figuntur. Nolo tranſſcribere, quę Paracelſus generatim retulit ad metalla in cæmento retinenda. Videantur, quæ tomi ſexti pag: 405 de hac re extant. Aurum conſummatum, vbi excoctum & repurgatũ eſt, fixionis opera nõ eget. Quod molle tenerumque ignes maiores non ſuſtinet, aquis gradatoriis ad conſtantiam cogitur, quanquam & ignis artificio proficęre liceat. Tunc autem plane fixum æſtimatur, cum ſuſtinet cæmentum proprium, ſeu regium absque vllo detrimento, cum aqua forti inſolu-

Aurum molle.

bil

bile soluitur regia, cum in cinerum examine constat, seu fulmen fert inuiolabile: cum stibio excarnificatum aliquoties, non tamen vltra debitum, semper exit probius, cum lydio attrictum coloritio aureo inducto & iterum absterso nihil perdit, cum ignitum eliquatoque sulphure restinctum solidum manet, & si quæ sunt his similia argumenta in commentariis satis, vt opinor, declarata. Quod aurum his cedit, & pondere, colore, aliisque præter propriam naturam, seu vltra ea, quæ competunt auro perfecto, deficit, id aut nondum maturum est, aut sophisticum. Adeo autem illa excellunt iudicia, vt quicquid ex metallorum, aut metallis vicinorum genere iis perfecte respondet, in propinquo esse aurum firmiter æstimetur. Videndum itaque quomodo ei, si non iam aurum ex toto est, reliqua quoque concilientur argumenta, qualia sunt color, pondus, dilatatio, amicitia cum hydrargyro & alia. Putant autem Philosophi se inuenisse medicinam, cuius super corpora imperfecta metallica & mercurium proiectu hæc ipsa mox sibi omnem auri absolutissimi dignitatem acquirant, quæ qualis sit, audiui quidem, & legi, sed nondũ nec ipsum, nec effectũ vidi, quãquam non nihil de potentia naturæ deprehenderim, de qua re alibi. Quin ergo ad eam contendimus wolfi? Quin relictis omnibus hoc sequimur studium? Quid magis optandum sit, præter pietatem & pacem

cem in hac vita, quam tale aurificium? Sed dis est in hoc seculo: non qui multum auri possidet, sed qui vitæ sanctimonia pacisque aureo munere à Deo donatus, sua cõtentus est sorte, & fruitur præsentibus commode. Si quid prẹter hæc adiectum fuerit, in lucro erit cum sociis & amicis communicando. Vale & viue.

EPIST. XXV.

De fixione argenti.

Ad
Præstantem virum D. Hermannum Wolfium phil. & med. in Acad. Marp Profess.

Plin. lib. 29. cap. 5.

NON culpa sua obnoxiam esse criminationibus, quales apud PLINIVM leguntur, medicinam, Hermanne Wolfi, sed hominum improborum eius scientiam sibi perperam insciteque arrogantium, non modo Neronis ætate Thessali cuncta maiorum placita delentis, & rabie quadam in omnis æui medicos perorantis, vesania indicauit, sed & nostra memoria Paracelsi vtriusque certe nouatoris, salua medicina Hippocratica, explosa est dementia, & conuitia satis acriter in ipsorum capita retorta impactaque. Ita præter eiusdem institutum nonnulli artes miscent, modicaque chymice enunciantes ex alieno obscuritatem inconstantiæque notam in artem puram castamque inferunt, non minus peccantibus his, qui patiuntur se ingeniorum huiusmodi flatu impelli, & vt quisq; inter

inter iſtos agyrtas loquendo polleat, imperatorem illico vitæ neciſque ſuæ fieri, cum in nullo mendacio periculum ſit maius, ſæpeq; tales per mortes noſtras agant experimenta, vt grauiter olim Plinius. Noſti contentiones illas de medicinis fixis & volatilibus, & num oporteat figere morbos, an volaticos reddere, quique tandem ſint fixi, & num mobiles, curæque obſequentes denuo queant fieri chronicos diuturnoſque fixos volunt eſſe aliqui, aliqui incurabiles, quorum illi mobiles effici poſſint, hi nequeant. Inuenias, qui acutos figendos moneant, vt comprehendi, domari & è corpore deturbari queant, quo volunt ſpectare illud Hippocraticum, πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν. ἢν μὴ ὀργᾷ, &c. Repugnant alii, & adeo non figendos clamant, vt etiam quàm ocyſſimè amotos cupiant, cum fixum quod eſt, non facile ad motum poſtliminio perducatur. Sic medicamenta hic facit volatica, vt celeri operatione per vniuerſũ corpus peracta, quicquid vbiuis mali eſt perueſtigent, moueant, ſanent, & tunc iterum corpore excedant, quam ob cauſſam ignea commendant, & ſi quæ ad ſpirituum naturam ſunt adducta, veluti omnia ea, quæ eſſentiæ appellantur, & vt loquuntur, validas tincturas poteſtateſque acceperunt. Alius illi oppoſitus non porrigit, niſi fixa, quod volaticum in

1. Aphor, 22.

actum

actum non possit à calore exuscitari, sed tentatione noxia instituta subinde refugiat eludatque impetum naturæ. Fieri potest, vt bene sentiant omnes, modo, quæ sentiunt, dilucide & citra ambiguitatem ex antiqua artis huius consuetudine enunciarent. Tanti est illa νεωτεροποίησις, vt etiam rectè iudicata male proloquendo queat deprauare. Maneamus intra pomeria chymica, & magisteria fixorum adhuc amplius contemplemur. Summo elaboratum est studio, vt argentum, quod non longe ab auri excellentia abesse tot argumenta docuerunt, penitus in aurum mutaretur, aut saltem æquali dignitate exornatum valeret tantundem. Recessit autem ab auro, fixione, pondere, colore, sono, substantiæque ad tantam amplitudinem subtilitate. Colorem iuuari posse, aut spiritali tinctura comparari, non dubitarunt. Nec difficile erat extensionis felicitatem & pondus assequi. Omnia sibi sperarunt vna tantum in igni constantia & in aliis examinibus mora debita procurata. Intelliges autem colorem ab auro sumptum argento misceri prompte posse, eumque constantem, modò corpus susceptiuum eius non fugeret. Imo fixum argentum diuturniore ignium coctione ex se erubescit, & postea mistum albo fixo, colorem auri verum acquirit, vt iudicant arcani chymici Doctores passim. Pondus facile præbet hydrargyrus fixus. Quid, quod cum fixitate sit com-

pactio

pactio absoluta, quam necessariò sequitur pondus? Ideo enim leuius argentum est, quia volaticorum spirituum, seu substantiæ fugacis plenius. Hinc dependet & extensio cum sono. Quanti itaq; sit perfecta argenti fixio, in propatulo est. Est alia citeriore fine acquiescens, quæ duntaxat ad caminorum tormentum sustinendum id perducit, & à stipantibus rapacibus mineris, additamentisque, vt purè possit excoqui & fulminari propugnat & tuetur, siue in vena existens, siue æri, ferro, plumbove candido permistum. Ab his enim liberari per ignes solos commodè nequit. Hæc fixio maximoperè cõducebat metallorum fusoribus & docimastis, quandoquidem experientia testatur industrios excoctores longè plus producere metalli, quam imperitos, qui non attendunt neque naturam venæ mollioris, neque vehementium ignium flatus tenuia argenti ramenta dissipantes, neque admistorum mineralium secundorum, vt Stibii, cadmiæ, sulphuris, arsenici & similium violentiam; aut, si animaduertunt, turpi auxiliorum ignorantia, fumos potius excoquendo ditant quam operæ precio facto metallorum dominos. Illa ratio in chymicorum arcanis mansit; hæc ad officinas instructiores quasi accommodatò transiit, & à nonnullis dicitur fixio ad testam, seu catinum cinereum, in quó fulminatur & ad purum vritur. Prior sæpè numero

Fixio ad testam.

est cum transmutatione, quam beneficio lapidis pollicentur, aut cinabaris, similiumque medicinarum, de quibus suo loco. Nonnunquam solitaria quæritur per digestionem solutionemq; cum liquoribus fixantibus, quib. succedunt aquæ gradatoriæ, & cæmenta. Placetne animi gratia præter in Alchymia positos modos, aliquos audire & iudicare alios? Demus aliquid huic contemplationi, quantũ per seueriora licet. Acetum acre destillatione ad medias redige, quas iterum ad medias, & hinc ad partem vnam. Infunde sulphuri vulgari trito, & macera per triduum. Aceto per lacinias extracto sulphur resicca paulatim. Huius vnciæ in catino fusæ adiice argenti liquati, quantum placet; Concreta in reuerberio separa, sulphure secedente. Argento iam soli in catino adde pulucrem vitri, & salem, inque anemia coque horis quatuor aut quinque. Inde transfer ad fulminatoriam cum plumbo, vbi quam purissimè excoquatur. Solue aqua forti. Solutum descende infusa aqua calente. Calcem lotam, siccatamq; solue denuo, si potes, quod explorabis in portione quadam. Solutiones autem repetes, donec consistat in illa caustica, nec diffluat. Experire postea in regia, in qua si resoluitur more auri, iam fixum est huiusque naturam induit. Hinc vnus est modus sat, opinor, compendiosus, si sat verus. Vereor enim, vt tam leui opera argentum sit aduersaturum cæmento, regalĩ & an-

& antimonio fulminique cum acribus. Non sufficit indurasse. Auri fixio est cum mediocri mollitie seruata dilatandi potestate absque fractura sub malleo, quam, cauendum est, ne perdamus in argento. Sunt, qui compensare delictum molliendi arte quærunt: Sed aliud inspiciamus artificium. Argentum ter quaterve in sulphur fundatur, huiusque pars vna binis Cinabaris, & plumbi nigri permutatis sedibus in vase cæmentario iungatur; Admoueatur igni leui tribus diebus, post quos aliis tribus acriori. Reduc in testa, & constantiam aquis Causticis explora, siue absque, siue cum quartura, vt appellant. Ratione ponderis poteris cum alio argento ad stateram conferre. Grauitate superans & insolubile aqua forti, fixum intelligitur. Idem consequi sperant calce Lunæ per hydrargyrum facta soluta aqua forti, & eluta ad dulcedinem. Inde ab ea septies Mercurium sublimatum in altum agunt, calcemque cum borace reductam constantia & pondere auctam dicunt. Est & methodus quædam satis prolixa, secundum quam operantibus promittunt ex argenti quatuor bessibus, septem vncias Lunæ fixæ pondereque aurum æquantis, aut etiam superantis. Si vis eam paucis: Granulæ argenteæ bes confunditur cum sulphuris vncia; & postea adiicitur præcipitati martii sescuncia, fit regulus effusa parte superiore, quæ denuò in regulum conflatur. Colliqua-

Argentum fixum ponderosum.

liquatis regulis ingeritur præcipitatus nouus ad nouum regulum, quem, cum pari ſtibio bis fundunt, & adiecto nouo præcipitato vel limatura Martis duodecies laborem repetunt fulminantque, tandem expectantes granum argenti fixum, auro ponderoſius. Si quid in ſtibio reſtitit argenti, id per teſtam reducitur: ſicut &, ſi quid in lapide ferrato hæſit. Sed reſeruandum aliquid in receſſu, ne planè nudati inueniamur, quando ad oſtentationem certamenque artis fuerit peruentum. Ne in teſta comburatur fugiatque argentum, aut etiam ſe ſurripiat combibitum à cineribus, mihi videtur potius accidentaria fixione caueri, quam corporis ipſius ſtabilimento. Fluxibus enim (ita loquendum eſt ex artificum diſciplina) id aſſequuntur & aliis additamentis, quorum quædam teſtam ipſam ſolidant, ne admittat plumbum, quanquam in primo apparatu ita compingi debebant, & exiccari, ne vllibi poſtea in opere hiarent, atque etiam ex minimè acribus rebus confici, ne quid abſumere argenti poſſent; quædam acria additamenta ab argento in ſe auertunt, vt æs, ferrum, &c. nonnulla εὔτηκτον reddunt; aliqua à ſordibus extergent, cutemque aufferunt, vt in plumbum facilè ingrediatur; quædam ſocietate ſui ab ignium & mineralium impetu id ita defendunt, vt ſimul coerceant, & in ipſum corpus conſtantiam inducant. Extant de his ſua præcepta in fundendi

Ne ☽ inteſta diffugiat.

In hoc potiſſima cura eſt Metallurgorum. Sicut enim argentum viuum non admittit ſordida metalla, ita & plumbum, quod eſt argentum viuum coagulatum rudius. Itaque vtrobique exterſo riæ medicinæ, quæ ſorbere co-

dendi excoquendique diſciplina, & nonnullæ miſturæ exhibitæ ſunt in compoſitorum magiſteriis. Veruntamen, ne hoc colloquium ſit ſterile, exempli cauſſa vnum atque alterum proponam, ſeu defenſiuum malis dicere medicamentum, ſeu figens, quod vulgo fixatorium eſt. Tophi hæc natura eſt, vt adiectus venis argentoque vel reliquis metallis, ſi quæ ſunt aſpera, immitia & in igni pertinaciter reſiſtunt domitet ea & fluxa reddat, ſimulque figat ne auolare poſſint Itaque cum lapide fiſſili familiariter ſolet ab excoctoribus vſurpari. Difflationem prohibere dicitur etiam reſina pini alba; poſtea vitri veneti & halonitri miſtura: puluis ex ſcobe ferri, felle vitri & Halonitro: âlcali ex ſulphure, Halonitro, ſale fuſo, vitriolo coctis in vrina vel lixiuio horis tribus, donec ſulphuris odor non amplius percipiatur, id quod etiam ſtibium venis adiunctum à furto & rapacitate abſtinet, ſicut eiuſdem in oleo lini ter repetita extinctio: Maſſa ex Sapone Veneto, vitroque tenero: ferrugo iuncta duplo tartaro: Sal ammonius & borax ſoluta vrina, coagulataque, & iterum oleo tartari liquefacta, & coacta denuo: fuligo caminorum ex vrina coagulata: tartarum, ſal fuſus, Halonitrum ex vrina & lixiuio coacta, quibus conciliatur fluxus facilis, &c. Admodum commendatur etiam huiuſmodi congeries: pares ſalis & ſulphuris commiſtæ torrentur in ſartagine ſuper prunis, abſque

gunt, Plinio Turbyſtum aut ſcytharum, ſunt addendæ.

Tophus & alia argentum defendentia.

ſulphuris incendio. E toſtis pollen factus proiicitur ſuper argentum, quod tergiuerſatur, nec committere ſeſe plumbo feſtinat, quod ſi non à prima euenit proiectione, iteranda eſt, donec inſtare fulmen animaduertamus. Sed non es obruendus farragine.

Teſtas figere.

Teſtas figunt præmiſſa æris & plumbi, ſuper iis, antequam argentum imponatur, cliquatione. Alii illinunt aquam albuminum ſpongia dilutam miſtamque thuris maſculi aut myrrhæ polline, atque ita inductas reſiccant. Fit alia ex aqua albuminum & dupla medulla bubula colliquatis ad eundem vſum, ſed ter quaterue obungendus cinerum catinus eſt. Calx inſperſa, adeo dicitur prohibere diſſipationem argenti, vt maiore ſemper exeat quantitate, quam vulgaris additionibus, id, quod etiam puluis ex arena vitrea & cryſtallis dicitur præſtare. Verum enimuero, cum hæc non propriè figant argentum, tandem ſunt omittenda, & alii colloquio reſeruanda. Tu, ſi quid habes μυςικώτερον, communicabis haud inuitus. Vale.

EPIST.

EPISTOLA XXVI. DE FERRI FIXIone, induratione, conseruatione ab erosione;

AD

Præstantem virum D. Balthasarem ab Herden Phil. & Med. Noricum.

GRATIAS tibi, Herdeni, debent musæ nostræ chymicæ magnas, quod eas tam beneuolè tamque studiosè superiori anno cõmunicatis, hinc inde longo tempore, & labore conquisitis analectis tuis commentariisq; adiuueris. Si quid ipsæ possunt,

Semper honos, nomenq; tuũ laudesq; manebunt,
Dum viuet nostris Alchymia condita curis.

Perge vero, vir præclare, quantum superest mundi & æui, tua opera diligentiaq; illustrare. Satis est præmii viris magnis, si præclarè gestis posteritati sese commendauerint, famamq; emeriti sint immortalem. Opum cumulos, & præmia fugacia ne desiderant quidem, vtpote virtute sua ipsos quandiu supersunt fideliter enutriente, nec permittente eos fame mori, per quos ingenia viuunt multa, quippe, qui post obitum quoq;, vt de Homero aduersus Zoilũ pronunciabat Ptolemæus, familiam alunt satis numerosam. Sed nunc non proposui laudum tuarum prçconium. Aliquo sermonis initio facto ad Martium colloquium te inducere volebam, id quod maximè videntur requirere nostra tempora tam fœcunda bellicæ sapientiæ, vt etiam, qui vm-

bratica vita in otio ſunt enutriti, & vix duas anus inter ſe rixantes corbibusq; depugnantes viderunt, auſint tamen ſummis imperatoribus belli gerendi conſilia præſcribere. Nos quidem ad hoc, præter preces & lacrymas, quæ ſunt arma Eccleſię, conferre nihil poſſumus, neque ſapientiam oſtentare in eo, quod nunquam ſumus experti; veruntamen Vulcanis, qui arma fabricant iſtis heroibus, ex natura rerum lóga experientia multorum perſpecta, videmur non nihil ſuppeditare poſſe, vt & ſolidius fortiuſq; reſiſtentia cudant, & gladiorum acié ad infligédos Turcis ictus Caſtrioticos, robuſtam penetrantemq; efficiant, cumque nihil tã inſidiari ferramentis putetur, quã ſanguis, gladii vero propugnatores ſæpè bibere illũ cogantur; qua arte occurrere eroſioni poſſint, amicè cũ illis agamus. Nec ea res eſt aliena, à chymico inſtituto. De fixione enim metallica præceptis eſt domeſtica, aut ſaltem affinitate cõiuncta, id ꝙ progreſſus ſermonis conteſtabitur. Tribus modis figi ferrum ex arte poſſe, quantum cognouiſſe videor iudico. Primus κυρίως ita appellatur àb artificibus & ad præſtantis metalli naturam aſpirat, quo ita figitur, vt in aurum verti poſtea cò commodius poſſit, aut ſimul tranſmutetur. Certum enim eſt, quamquam non facilè fluat ferrum ſolis ignibus, & præſertim ſicci⁹, quodq; glutinatũ ære in nodos eſt, pertinaciſſimè reſiſtat; tamen diſſipari id Stibio,

Ferrum fixum.

nec

nec durare in cineritio, multo minus in aquis causticis & sulphure eliquato, similibusque. Nec vera fixio requirit, vt non fundatur. Aurum enim ignitionem diuturnam non sustinet, sed liquescit, & tamen constat inter flammas. Iacturam in substantia fieri vetat. At ferrum, si non eliquatur, comburi tamen, perque absilientes stricturas & squamas, absumpta humiditate detrimentum pati, aut etiam plane in terram verti, quam crocum aliqui licet rudite appellant, quis est ex ferraria, qui ignoret; Vera itaque eius fixio hanc corruptionis potentiam exterminat. Peragitur ea adiumento medicinæ fixatoriæ, cui, vt ingrediatur, via paranda est per hydrargyrum ingeniose cum ferri scobe elimata coniunctum. Fit autem illa plerunque ex auro & argento siue solitariis siue sociis, & aliorum mineralium satellitio stipatis. Secunda fixio σκλήρυνσις ἢ στερέωσις rectius appellatur, congruitq; ad πῆξιν Aristotelicam, quæ est μετὰ ξηρασίας interdum, aliàs cum tenacitate simul fixio legitima chalybem è ferro simplici præbet. Hæc est illa, quæ ferrariæ & bractеariæ maxime conducit, cum non tantùm ad bellum arma conferat fida, sed & ad varios pacis vsus cultros, forfices, malleos, incudes, & similia instrumenta. Huius indurationis, nisi fallor, copiosam dedi farraginem in Alchymiæ instructione, tum fixatoria, tum transmuta-

toria in horum gratiam, qui ferrum á chalybe ſpecie diſtinguunt. Sed quid prohibet etiam vberius philoſophari, & quodam corollario opes chymicas augere. Fiat decoctum ex verbena, pulegio, filiceque & vrina, vel lotii pucrilis libra, fuliginis manipulus, olei lini triens, commiſta coquantur. In his ſæpius reſtinguatur gladius, aut medus acinacis. Si manu Scanderbegi inflictus adactuſque fuerit, penetrabit per medios armatos, thoracaſque ahenos perrumpet, niſi ſimili firmatos induſtria, quanquam, Horatio teſte, maior vis ſit auro cum ſcribit:

Aurum per medios ire Satellites
Et perrumpere amat Saxa potentius
Ictu fulmineo, &c.

Plinius alicubi aquas vtiliores eſſe tradit, quibus ſi reſtinguatur ferrum nobile fiat, cũque doceat quoddam ferrum molle eſſe plũbo vicinius, certe multum debebit huic arti, ſi per eam peruenerit ad conſtantiam natiuã, & laudem auitam. Mallei ad incidendos exſculpendoſq; lapides dicuntur dureſcere ſucco raparum, quibus adeſt aliqua nitroſitas. Mirum eſt ſebo ſerras ſolidari, & limas ſanguine vel vrina caprarum, quod mihi coniunctum eſſe cum tenacitate videtur. Ad cultros è ſucco raphani, mirrha, lumbricis terræ & caprino ſanguine conficiunt reſtinctionis materiam, eoſque prius ad cotem acutos, candentesque immittunt. Succo chelidonię aiunt

Lib. 34. cap. 14. Ferrum molle.

aiunt terebras ita firmari, vt etiam ferrum perforare adactæ queant, quo pacto forsan ille faber apud Matthesium suum indurauit clauum, vt penetrare incudem posset, & traiici mallei incussu. Nonnulli stillatitiam parant ex verbena & lumbricis, primò lento, pòst acriore igni, vel ex raphano maiore & altero minore, quem rapalem vocant, & lumbricis. Vin' & de chalybe & acie? Præceptum de eo sat luculente ab Agricola iudico, nec placet referre. Plinius videtur non alteratione facere, sed segregatione; quandoquidem nucleum ferri tradit, ad aciem indurandam, fornacibus excoqui. Non nulli ex vulgatis fabris squammas recudunt. Tertia fixio, vereor, ne risu excipiatur: nihil enim affert ferro, nisi defensionem ab aeris, sanguinis, vrinæ, roris, similiumque corrodentium iniuria. Attamen, quod perpetuitatem donat, & corrumpentem vim arcet, item figere quodammodo videtur. Relinquo autem tibi de hoc plenum ius statuendi, modo mihi non neges licentiam historiæ referendæ. Tradit Plinius á rubigine vindicari ferrum antipathia mistura ex cerussa, gypso, & liquida pice. Quid ipsi sit antipathia talis, scire velim. Videtur.n.aut occulti quid designari, aut apertæ causæ prohibitio, quomodo nouimus aeris accessu ad res intercepto non tantum prohiberi expirationem, euocationemque caloris congeniti, cuius absentiam comi-

Acies.

Ne ferrum peredatur rubigine.

comitatur putredo in dispositis, sed & erosiui impetum excludi, quod docent illi, qui oblita arma muriæ aut vrinæ immergunt & aliquot diebus aeri exponunt. Si enim inde non existit rubigo, iustum spectatumque suum vnguentum putant, quod tamen pręstare etiã quæuis dulcis pinguedo crassius illita potest. Itaq; nõnulli adipẽ cati inducũt, & parem promittunt securitatem. Sed abesse salem oportet, sicut & oleum oliuarum, quod alicubi sale condiunt, & ob hoc inutile est ad armaturas liniendas. Aliis placet acetum alumine mistum, aut cerussã, aut cerui pinguedo. Sunt qui plumbi scobem in mortario ferreo, vel plumbeo diligenter, addito pauco spicæ oleo, subigant hoc est, pastillos plumbi ex Dioscoride & Plinio oleo solutos ad id operis adhibeant. Nec aliud est id, quod magni mysterii nomine precio nõ vulgari quidam dicitur vestrorum nonnullis vẽditasse, nisi quod pro oleo spicæ capiat oleum oliuarum dulce & album, quale Vlyssibona mittit. Fit lęuigatione super marmore ἄλιπτον ἄλειμμα, seu impalpabile pigmentum, quod subtilissime armis inducitur. Horologia, aliaque tenera eiusdem sudore per raræ consistentiæ lignum, vt est salignum, vel tiliæ, in pyxidem torno conformatum, obungunt. Præscribitur & talis mistura: plumbi libra pinguedinis ex talis bubulis absque sale excoctæ, olei oliuarum dulcis, singulorum selibra, olei spicæ ad fragrantiam semun-

Plin. lib. 15. cap. 3. & 5. oleum sale vindicatur à pinguedinis vitio: oliuam premendam sale aspergi &c. Cato cap. 65. Eã oleam si voles sale inspergito.

ſemuncia: contemperentur exacte. Ipſe quoque neſcio, quid in hunc vſum excogitaueram ſed non opus eſt ambagibus, vbi compendio licet eodem æque bene peruenire. Si non eſt plumbi nigri puluis in promptu (plũbum enim vſtum pharmacopoliorum inutile cenſeo) ceruſſa vtere, ſed probe elota, aut ea plumbi farina quæ fit ex ſcobis eius in mortario lapideo cum aqua tritura, aut ſtibio crudo in læuorem ducto: quanquam & pompholyx lota diligenterque purgata cum pinguedine oſſium & medullarum poſſit vſurpari. Si oleum ſit adhibendum, & tamen de eius ſalſugine ſuſpicio ſit, ablui poteſt aqua dulci aliquoties, cauendo, ne nimio agitatum cum aqua miſceatur. Vale. 12. Ian. 98. Rotemb.

EPIST: XXVII. DE FIXIONE *æris & plumbi vtriuſque.*

Ad

Balthaſarem Herdenium Phil. & Medicum Præſtantem.

VETERVM arma & ſupellectilem nonnullam ad cædendum diuidendumque è metallis comparatam fuiſſe æream, ex plurium conſtat monumentis. Cum itaque de ferro tecum agerem armorum firmandorum prætextu, debueram ſimul æris facere mentionem. Sed deficiebat tunc cum tempore otioque charta. Num ergo nunc ea de re audire, Herdeni, potes? Quin aurem præbebis patien-

patientem maxime, cum in hoc metallo magis, quam ferro amplissimam spem latitare, semper fuerit creditum. Tanti enim Regum Persicorum tempore fuit æs Babylonium, vt ex eo vasa aureis connumerata fuerint, nulla alia re, quam odore, vt est in mirabilibus, ab his discreta. Nec minore in precio fuit orichalcum apud Romanos natiuum, tanti nimirum desiderii, vt postquam defecit, artis studio misturam conflare similem attentauerint, Ita æs Mosynicum, quodque hodie ex astere Samio, seu Magnetide Cyprio incocta conficitur, argento invidit & insidiatum est. Quid chymici? Hi non tantum maturatione à calore cœlesti, ex ære aurum enasci persuasum habuerunt, sed & inclusa ei semina in actum vocare, & plane aurea argenteáue natura donare, vario ingenio quæsiuerunt: quãdoquidem præ reliquis cuprum ad transmutationes hasce deprehensum est aptissimum, & maxime, si id prius fuisset ferrum. Consuluerunt itaque aquarum gradantium efficaciam, excogitarunt Cæmentorum tormenta, & nullo non ingenio artis aspirare ad finem popositum studuerunt, si qua fieret ex ęre Cyprio aurum vel argentum. Felices dicuntur esse in hoc conatu hi, qui lapidem philosophorum in procinctu habent. Reliqui aquis, cæmentoue primò figunt, pòst tingunt, aut etiam vtrumque simul vna medicina procurãt, & si quid in pondere, sono, reliquisque deest, abundat-

Plin lib. 34. cap. 2.

abũdatue, id quoq; corrigunt ſolerter: q̃ quia ad tranſmutationem propriè ſpectant, alium requirunt ſermonem; nunc de fixione duntaxat contemplationem inſtituemus. Figitur æs potiſſimum cæmento cum additamentis fixatoriis, quãquã & reſtinctione in ſimilibus aquis crebra aut fuſionibus repetitis, ſolutionibuſq; & reductionibus aſſequi poſſimus idẽ. Cæmẽti apparatus talis eſt: Vitrioli crudi partes duæ, æruginis tres cũ æris Cyprii purgati laminis per mutua ſtrata componuntur, & in anemia horis duabus tribuſue exercentur igne, donec diſpareant fumi Effunditur in regulum fixum materia tota. Cæmentatur æs & cũ ſulphure duplo, & deinde ablutum muria calente in corpus reducitur. Reductum cum tartaro, alumine, vitroque fuſo bis aut ter funditur, fixumque pollicentur. Qualiſcunque ſane ſit hæc ratio certum eſt, id ſiccius ſeipſo fieri. Dioſcorides æris vſti artificium traditurus præcipit, vt præparetur ἐκ τῶν ἥλων τῶν λελυμένων πλοίων, συντιθεμένων ἐν ὠμῇ χύτρᾳ ὑποπασσομένου θείου μετὰ ἁλῶν ἴσων, καὶ ἐπιπασσομένων ἐναλλάξ. πωμασθεῖσα δὲ (addit) ἡ χύτρα καὶ ὑποσχισθεῖσα πηλῷ κεραμικῷ δ' ἔσται εἰς κάμινον, ἄχρις οὗ τελείως ὀπτηθῇ: qui labor ſi pro olla cruda catinum, aut pyxidem cæmentatoriam ſubſtituas, nihil differt à cæmentatione fixatoria, eiuſque adminiſtratione, ꝙ ſatis declarat etiam vox ἐναλλάξ, q̃ mutuam vicariãq; ſublitionem & cõpoſitionem ibi

Cæmentũ ad æs figendum.

Æs vſtum Dioſcoridis.

Cæmentatio apud Dioſcoridẽ.

ibi denotat, interprete quoque dicente, fieri id debere omnibus viciſſim inſperſis. Pro ſulphure & ſale alii adhibuerunt στυπτηρίαν ſeu alumen, alii alumen ſciſſile cum ſulphure & aceto, quæ res chymicis figendi vim habent. Si itaque Dioſcorides id æs recoxiſſet reduxiſſetque, iam plane, vt chymici, fixiſſet, præſertim, cum adeo prouide doceat, vt, ne vſque ad nigritiem procedamus, moneat, ſed ad rubedinem tritu cinabarinam tantum progrediamur, ibique ſubſiſtamus. Facile ex his patet, ſi in aqua dilutoue chalcanthi, aluminis, cinabaris, lapidis calaminaris, & ſimilium reſtinguatur, eodem poſſe perueniri, repetita maxime opera, & ſquamis abſilientibus recoctis. Sed copioſus de hoc in ſequentibus erit ſermo. Coniuncta enim plærumque tinctura eſt, aut tranſmutatio. Quomodo ferrum ab iniuria defendatur, nuper ſcripſi. Plinius in ære quoque tentari idem docuit: oleo enim illitum, aut pice liquida ſeruari ait, nec mihi diſplicuerit vnguentum ex oleo & elota pompholyge. Verum ære miſſo de plumbo vtroque videamus.

Defenſio æris.

Hæc præterquam, quod in vena, dum excoquuntur, & cæteris ignibus, ne abſumantur, cedantque in halitus, aut in ſcoriam, calcemue, aut vitrum abeant, ſtudioſe retineri ſoleant, duplici conſilio fixionis artificio ſubiiciuntur, quorum prius gradum quendam ad perfectionem ſpectat, poſterius perfectionem

Fixio plumbi.

nem ipsam ad tincturam auri, vel argenti. Nam in vtroque vtriusque symbolum esse, vsus docuit. Vnde illa plumbi nigri cum hydrargyro & vtroq; auro sc.& argento familiaritas: candidi vero tum cum argento viuo amicitia, tum fixitas quędam & color aureus in calce, in ipso vero puro splendor & teneritas lucidi argenti, à quo id aspectus parum abesse iudicat, vt nominatim in Anglico, Caballino, & Slaccewaldino non absque voluptate conspeximus. Saturnus in vena inter excoquendũ figitur præmissa in catini fundo scobe ferri, pòst submissa vena & felle vitri, summas occupantib. scoriis. Colliquatur etiam Halonitrum cum duplo tartaro pro additamento ad venam nigri plumbi. Alii cõfundunt pares elimati ferri tartariq; crudi, & cũ duplo venæ stibiatæ eliquant, effundentes in aquã frigidã per scopas, eumq; laborem sæpius iterantes, donec mitescat vena, & plumbum retineatur. Plumbi vero candidi minera, quanquã communibus excoqui potest, & figi auxiliis, tamẽ etiam peculiaria habet, veluti, ꝙ fit ex squama ferri sale fuso, felle vitri vnà contritis mistisq;. Hoc adiicitur subduplo venæ plumbi candidi tostæ bene, elutęq; ad purum. Loco eius etiã fluxus fit ex vncia lithargyri auri, semuncia alcali, vel salis fusi, & sicilico vitri Veneti. Misturæ partes tres adiiciuntur vni venæ. Nec aliter figi solet etiam vena plumbi cinerei, seu marcasitæ stanneæ, quam bis muthum vocant.

Vt autem excocta illa metalla citra fusionem igniantur, & ad gradum perfectionis adducãtur aliquem, id extinctione in aqua auri, ferri, succo limonum immaturorũ porriq; duodecupla, similibusq; quidẽ aliquando procuratur, vt in Alchymia dictũ est; Veruntamen & crebra calcinatio reductioq; ingeniosa non mediocriter ꝓficiunt, præsertim accedentib. macerationibus, aut restinctionib. fixatoriis in aceto atramentoso, alumnioso & huiusmodi. Quidam calcẽ Saturni candefactã quadragies oxalmæ immergunt, resiccatamq; in olla horis 24. reuerberant: plumbum vero candidum post cæmentum cum viua calce fundũt, inq; lixiuium calcis & cineris sarmentitii aceto permistum præcipitant, tertiaq; repetitione argenteam consistentiã promittunt, quẽadmodũ, & si sæpius restinctum mistura aceti & aquæ mercurialis parium fuerit. Fit idem immistis pulueribus. Sed nõ est huius loci. Et tantum quidem pro veteris scholæ more, in qua studiosorum erat interrogare, magistri respondere & iudicare, ad te afferre de ære & plumbo vtroq; volui. Qua es beneuolentia, ingeniiq; promtitudine, & benignè accipies, & alacriter iudicabis prolata, agnoscens nonnulla etiam ex tuo horto. Quorsum autẽ spectet ista de indurandis præceptio, quidq; mihi videatur, puto te facilè intellixisse ex dictis. Veruntamen, si tale quid tentauerimus, ne oleum & opera sit perdita, non tantum vori

compo-

compotes gaudere, & aliquid oblectamenti è naturæ artisque genio capere poterimus, sed & dignitatem domesticæ suppellectilis & officinarum stannariarum augere. Vale.

EPISTOLA XXIIX. DE SVLPHVRE *& cinabari figendis;*
AD
Balthasarem Herdenium Med. & Philos. Noricum Chymicumque excellentem.

NON immeritò nobis, *Herdeni*, licuerat exclamare cum poëta:
Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora?
Quid enim auri argentique studio non tentatum est in omni penè minerarum, ne dicam etiam vegetalium & animalium genere? Facile quidem erat mentiri vtriusque vultum, sed ille Caldæorum Deus, non satis fauit ceptis. Itaque, vt huius vim eluderent, ἀπαθῆ reddere corpora spiritusque immenso tam ingenio, quam labore quæsiuerũt, neque nihil visi sunt obtinuisse, præsertim in sulphure, & cinabari, quæ duo prærogatiuam aliquam auri pollicebantur ipso aspectu, maximeque creditum est, sulphur alterum ex principiis eius esse, quod, si ad stabilitatem naturali analogam perduceretur, materiale alterum facilè posset domare, vnitumque ei nouum aurum producere. Hanc spem credo initio etiã

Si sulphur est auri principium formatiuum seu generatiuum, sicubi specialiter determinatum fuerit, adhibita materia disposita, aurum generare potest.

cinabarim nobis dedisse. Quis enim adeo sit infans, quin, intellecto ex optimo sulphure & hydrargyro concreuisse aurum, statim arreptas has mineras, expurgatasque conflando iungat. Vulcaniæque naturalis felicitatē speret: Sed, vt coniunctio successit, ita euentus omnem expectationem elusit. Translata ergo cura ad fixionem est, & in vtroque tam sulphure quam Cinabari hacten⁹ strenuè quidē, sed non consummato semper fine est elaboratum. Figi autem nobilissimè cinabarim posse nutritione cum aquis aureis argenteisque, postea cæmento, cum horūm metallorum scobe, calce aut laminis, ex quibus spiritus semenq;, quoddam perfectum se in ipsum corpus insinuat, & aliquid operæ precium facit, alibi est expositum. Non immerito scire ex me cupies, quid præter illa artificia dignum mentione putem, cum sit consuetudo artificum & Philosophorum, non nisi probatissima dignissimaq; cognitu præceptis cōprehendere, & ad vsum transferre. Ego sanè stultène, an prouidè de minus absolutis tecū collocuturus sim, pronunciare non possum. Illud scio, etiam inferiorum necessitatum, vtilitatumq; momenta nō esse cōtemnenda, si quid conferre ad rerum notitiam & emolumentū vitæ humanæ possint. Sulphur figitur non auri supercilio tantum, vt inde fiat plena perfectaque medicina, sed &, vt inseruiat venis metallisque impuris excoquendis: vt in essentiā

Cur sulphur figatur.

stabilem.

ſtabilem precioſioremque veluti oleum, ſalé, tincturam, &c. operis progreſſu fatiſcat: vt gradum aliquẽ ad exaltationem metallicã accipiat, imò & vt in medicis auxiliis nonnihil præſter fideiius, vnaque depuretur præclarè. De Cinabari iam audiuiſti, cuius fixio, etiamſi fiat per corpora perfecta, nihilominus tamen requirit aliquod principiũ, καὶ προπαρασκευήν, vt ſic paulatim aſcendat ad ſummum. Nec, ſi decenter fixa fuerit, parum præſidii promittet Medicis. Detraxerunt hactenus eius dignitati non parum hi, qui, neſcio quo ſupercilio, & puèrili opinione, vt omne penè minerale, ita & hoc, quanquam artis ſtudio datum, veneficii ſuſpectum reddiderunt, quod Plinius de minio natiuo & hydrargyro ita iudicauerit, quæ tamen duo, venena ſint an non, nondum exploratum habent, nec defuerunt, qui pictorem, penicillum Cinabaris colore infectum ſugentem, in graue malum incidiſſe, tanquam ex tripode ſapientiæ ſcribentes, cælum terræ miſcuerunt, cum tamen ridiculum ſit, pictores lingere penicillos coloribus præſertim mineralib. tinctos plenosq;: & magna quæſtio reſtet, quænam fuerit illa Cinabaris (plurib. n. modis ad diuerſos vſus poteſt parari) & quibus miſta. Si itaq; venenũ ſit, vt arbitrantur, occurret ei fixio, cum, teſte præſtanti peritoque Chymico Muffetto, nihil, quod fixum elaboratumque ad purum eſt, ſi modo ex arte proceſſit opus, vtut antè

Cinabaris fixa.

Pictor lingens penicillum miniatum.

virus habuit, id post ingenium retineat. Sed quomodo tandem figitur sulphur? Præsto sit lixiuium ex cinere sarmentitio, clauellato, fagino & calce viua, aqua feruente horis 24. infusa, agitataque crebrò & diligenter, ad eam vsque spissitudinem, vt ouum innatet. Id per filtrum traiiciatur coleturque ad puritatem transparentem. Coquatur ex eo duplo sulphur in pollinem redactum. Euadit hoc modo non tantum purum, sed & lapideum ferè, idq; postea macerandum est oleo tartari infuso calci è testis ouorum destillatoq;. Digestione peracta, sublimetur toties quoad fixum in imo maneat, recoctumq; aqua restincti auri, tandem oleo tartari madefiat, hocq; aliquoties ab eodē abstrahatur destillando, quam tamen operā nō requiri puto, si ad medicinam præparetur. Huiusmodi apparatu etiam vtuntur ad venas excoquendas examinādasque, neq; tamen progrediuntur vltra coctionem in lixiuio vel illo, vel simili aspero, cum nota finiti operis, si non amplius percipiatur odor sulphuris, idque fluat in lamina candente sine incendio. Ego persuasus operis facilitate strenuam aliquando in hoc nauabam operam, & sexies absumto lixiuio recoquebam; veruntamen obtinere promissum nō poteram. Nā prunis iniecta portio semper incēdebatur. Animaduertebam autem, alcali ex lixiuio ei permisceri. Itaq; intelligere licebat nō per se sulphur expers inflāmationis fieri, sed

Sulphuris fixio.

ri, ſed cumulo permiſtæ calcis & ſalium prohiberi actum flammæ. Id ſulphur in aëre humido ratione ſalium in ſudorem ſoluebatur, nec parum ſic repurgatur ſalibus elutione tandem ſegregatis, & quodammodo dealbatur. Nonnulli ex pulucrato oui albuminibus excepto globulos fingunt, quos ſiccos cum calce viua ἐναλλὰξ ſternunt cæmentantq; horis quatuor, leui igni loricata olla. Ita rubefactũ poſtea cũ pari ammonio ſale funditur, & miſcetur, fitq; nigra maſſa, quam vaſe clauſo prunis ad croci colorẽ adducunt, dicentes ſine flamma ad colorẽ fluere inſtar ceræ. Alii figunt vrina deſtillata, fuſum nimirum ſexies iniiciendo, quæ fixio purgationi videtur eſſe propior. In Alchymia duos recenſui modos, vnum per aquam graduantem, reuerberiumque; alterum per ſublimationem, quorum ille metallurgiæ inſeruit, hic poteſt etiam medicinæ commodus eſſe. Cinabaris autẽ, quib. modis cũ auro & argento figatur, diſputabo aliâs. Nunc ſaltem exemplo opus declaraſſe non abs re fuerit. Scobem argenti miſtam pari borace, circũpone Cinabaris particulis, ita vt vndiquaq; ſepeliantur, vel cæmentandi cõſilio cõponantur. Clauſo catino reuerberii, igne horis 24. exerce. Ita .n. figi docetur. Alii pollinem eius imbibũt argenti in aq. forti vulgari ſolutione quater. Aquã per alembicũ extrahũt, redduntq;, & tandẽ penitus relicta cinabari ſegregant. Vt promtẽ excipiat ſpirit⁹ &

Fixio cinabaris.

vim ſalis, ita agendũ monent: Salis nitri fixi, ſalis ammonii fixi, croci martis ſingulæ partes; butyri chalcanthini ex calce vitrioli aqua limpida ſoluta, colata, recoctaq; ad conſiſtentiã dictã, tantum, quantum eſt reliquorum. Miſta cum cinabare componantur in pollinem adacta: affuſo aceto ſufficiente ſemel deſtillato coquantur ad tres partes abſumptas ſubſiſtendo citra coagulationem ſalium. Fit autem coctio in cucurbita cum alembico. Deſtillatum acetu m ſuo vaſe exceptum, reponendum eſt ſexies, & tandem totum extrahendum ad ſiccum, igne aucto, donec ſales in cucurbita rectè fluant, in quo ſtatu detinendi ſunt horis tribus. Tunc vitro concuſſo ſalibus à fundo liberatis aqua calida affunditur, & cinabaris ab illis in totum ſeparatur. Quid quæſo eſt gummi Cardui aſinini? Eius fumo dicunt figi cinabarim, quod alii promittunt ſolutione Croci martis, & veneris. Sed medicinæ gratia rectius peragi opus per hæc iudico. Fiat vitrioli ſpiritus ex calce Chalcanthi citrina quadrilibri, adiectis ſilicum libris tribus, ſalis duabus. Eo imbibatur Cinabaris ad formam pultis, quæ in arena in vaſe clauſo mediocri igni coaguletur, iterumque & tertiò nutriatur coquaturque, vt prius, tandem abluta acredine ad vſum potiſſimum externum veniat. Si hic modus diſplicet, licet in hoc experiri: ſalis communis pars vna, atramenti duæ; aluminis, fellis vitri, Halonitri ſingulæ dimidiæ, con-

Gummi cardui aſinini.

tritæ

tritæ aqua feruente ad ſolutionem vſque coquantur. Filtro traiecta ſolutio coaguletur. Coagulo in catino liquefacto ignis efficacia, immittatur cinabaris,& poſt tres horas effundatur ſuper lapidem. Ablutis ſalibus aqua calente, reſtabit cinabaris fixa. Ad vſus internos cum auro argentoue figatur. Tormenta ingeniorum, mi Herdeni, vides. Non immerito cum Plinio dicas. Quis iſta inuenit prodigia? Quo Deorum monſtrante? Hominum enim ſubtilitas tanta eſſe non potuit. Sed audax omnia perpeti.

Gens Romana ruit per ſtudia abdita. Et, Inuia virtuti nulla eſt via: nec quicquam creditur adeo difficile, quin inquirendo poſſit inveſtigari. Poſtquam ſpiritus ſalium iuuenti ſunt, de cinabaris ſulphuriſque repurgatione fixationeque non poteſt dubitare rerum peritus, modo finium non ſit immemor,& quorſum tendat, nec negligat auxilatrices copias. Satis verborum eſt. Vale & Viue. 13. Ianu. XCVIII. Rotemb.

EPIST. XXIX. DE HYdrargyro fixo.

Ad

Illuſtrem in aula Saxonica Vinariæ Phil & Med. D. Tobiam Fabrum, amicum.

VNVM te eſſe ex illis, vir præclare, quibus non diſplicuit labor meus in exercitio chymico ſuperiorum temporum, pridem

P 5 tuæ

tuæ ad me literæ beneuolentia plenę euidentissime docuerunt. Sat est fructus, si tibi tuiq; similibus viris nimirum probatis grata scripsi. Omnibus placere nullus vnquã philosophus ne appetiuit quidem, cum id primum ἀτεχνίας signum sit habitum. Inimici itaque calumnientur, vt lubet. Non moror. Nõ scripsi sapientibus & osoribus, sed tyrocinia artis sectantibus. Aduerser illis? Non placet, nisi cogar. Polluitur, cum inquinatis qui luctatur. Conuertamus studia curasque nostras ad hoc philosophandi genus familiare, quod & tu pobasti, & ego iam iterum sum aggressus. Dies delebit male iudicata, neglectumque imperitiæ somnium, cum non habeat, quo veritatis succo se sustentet, sua marcescet sponte. Quid tum autem postea, si imperitus quispiam, aut affectu impotente ductus in alterius prolapsus fuerit errorem, & mentis quodam morbo, tanquam hæreditatem aditurus, ei successerit? Errarunt sæpe multi, vt ille ait, nunquam omnes. Aliqui decepti sunt crebro non omnes. Quando tandem fiet, vt ita percolat agrum suum colonus, ne quicquam ferat aliud præter triticum? Ipsa semina nonnunquam degenerant, & sibi cauere à lolii societate non possunt penitus. Huc ergo ades, & mecum familialiter de Hydrargyri fixione artificiosa aliquantulum philosophare. Erit fortasse maior ex hac re, tum fructus, tum honor, quam frustra cum imperitia pertina-
ciaq;

çiaque, in malis ſtultitia conflixiſſe. Multis nominibus argentum viuum conſtans effice-re figereque attentarunt multi. Si fluorem e-ius aqueum reſpicias, & quam appellant vi-tam, vna eius fixio erit mortificatio: alia præ-cipitatio, alia congelatio, alia induratio, qua-rum quælibet proprio fine rationeque à cæ-teris diſcreta eſt. Vocant enim mortificatio-nem, quando viſcidis pinguibuſue commi-ſtus contritusque hydrargyri liquor hæret, nec ſe amplius poteſt commouere, quaſi vitæ agilitate amiſſa & ſpiritu fatis reddito. Præci-pitatio eſt eiuſdem per medicinas acres in puluerem rubicundum redactio: congelatio inſtar glaciei eum firmat, & cryſtallinum red-dit. Induratio veluti plumbi conſiſtentia & colore donat, quaſi ante mollis fuiſſet, quam potius concretionẽ, aut σύμπηξιν dicas metal-larem, aut plumbiformẽ. Sin fragilitatem con ſideras, pattiumque ſub malleo diſſultum, fi-xionis alia ſpecies exiſtit, quam ad malleum nominaueris. Eſt & cum fugere eũ in igni no-lumus, idque ſcopo non ſimplici. Nam quan-doque in teſta retentum, donec abſoluatur, quod inſtituimus opus, volumus, quandoq; præcipitatum iam, aut induratum etiam i-gniri poſſe; nonnunquam, vt ad perfecti me-talli exemplum perſeueret, aut etiam plane in id tranſmutetur. Hæ operationes variis at-tentantur modis, iamque in ipſo ſolo, iam cum aliis miſto; & nunquam ſane figitur abſ-

que

Modificatio hydrargyri.

Fixio ad malleum.

Fixio ad ignem.

ri, de Elyxire Philoſophorum, de auro vitæ & ſimilibus agitur. Nolo vero etiam nunc ſermonem inſtituere de præcipatione ſimplici, nec de ſeparatione partis volaticæ á fixo turpetho. Alius enim eſt his aſſignatus locus. Eam fixionem nunc perſequi animus eſt, qua fluxus ei ſaltem adimitur & totum corpus ad ſtabilitatem ſcopo præſenti conuenientem perducitur, niſi quid obiter, aut etiam ex his quæ vulgariter fieri ſolent, illuſtrationis gratia in procurſu ſermonis adiicietur. Tu animũ ad contemplandum para, aciemque intẽde, vt eam dirigere in rem firmius certiuſque poſſis. Occidi Mercurium viuum variis modis, etiam barbitonſoribus vſitatis, non poteſt te in in Medicina probe verſatum latere. Inter eos, neſcio quid ingenii eluceat ex hoc, quo calefacto in catino aſſeminatur caphurę puluis, ſiniturq; conflagrare, donec occidatur ille ſerpens. Non minus induſtrium eſt hoc artificium. Fit emplaſtum ex Gummi ammoniaci, Galbani, opopanacis, ceræ puræ, Thuris, maſtiches, ſanguinis Draconis ſingulis vnciis, & colophoniæ ſicilico. Huic involuitur argentum viuum coagulatum & inter ignes ſupra infraque admotos horis duodecim cogitur ſe permiſcere cum reb. iſtis forma halitus vndiquaque penetrantis. Non recitaſſem hæc, niſi ſcirem excitari argutiolis talibus nonnullorũ ſolertiam, vt vel recondita apud ſe ſubtiliora promant, vel denuo excogitent. Patiar mihi ſim-

Occiſio hydrargyri.

ſimplicitatis, ruſticitatiſque impingi labeculam modo tum abſtruſioris ſcientiæ lucro. Sed & hoc tibi ex Criſpini Lippi ſcriniis in tranſcurſu compilatis produco: Poſito in cucurbita cum alembico cæco hydrargyro affunde duplū aquæ ſalis, & macera per decendiū, poſt quod extractum include vitro loricato ſapienter, incruſtatoque, & repone in loco congelationis. Iurat autor q̃ ſanctiſſime abſumi hydrargyri aſperitatem & aquoſam aduſtionem retenta ſola ſubſtantia & humiditate radicata, accedente vero, ſono, colore, pondereq; & fuſione argenti, quæ res eſt magni momenti. Non crederem iniurato, obteſtanti per omnia ſacra, cur nō habeatur fides? Ego tibi promitto nihil niſi fixionem gelātem. De cæteris reſpondeat ipſe inuentor. Alia arte perfici idem ſperant, hac nimirum: Salis ammoni, halonitri, ſalis communis præparati, tartari calcinati, fellis vitri ſingulæ ſelibræ in puluerem redactæ, cōmiſceantur cum melle quinquies deſpumato colatoque, cum quo confuſa ſit vrina pueri annorum duodecim dupla. Hæc offa vitro iniecta imponitur fimo ad putreſcendū decendii ſpatio: quo decurſo exiccatur in matula apérta inter cineres furni ſublimatorii die vno, vel pluribus, iterumque ſoluitur priore loco in aquam, quater eodem opere repetito. Solutio tandem calefacto hydrargyro affuſa dicitur eum indurare. Satis nimirū acres ſunt illæ: & ſi acceſſerit deſtilla-

Alia fixio.

Aliter.

ſtillatio de more aquarum fortium, nihil deſore puto ad hydrargyrum figendum diuturniore mora, aut iteratis perfuſionibus digeſtionibusque. Nam ſi nihil amplius inde efficitur, quam vulgaris præcipitatio, fruſtra ſudatur toto opere. Totũ corpus figendum eſt ad ignitionem vſque. Cæterum eodem putrefactionis inſtituto alii in glaciem vertunt hydrargyrum, miniſtrato oleo tartari incombuſtili, quod, quale ſit, non explicant, quanquam putent quidam, cum idem peragatur acredine chalcanthi ſtillatitia, exaſperata ſale ꝑprio, hic intelligendum eſſe ſpiritum ſalis tatarei, qui infunditur locaturque vna in digeſtione ad ſoluendum, & poſtea adaptato alembico abſtrahitur oleũ, reponiturq; iterum & deſtillatur, ſemper à fundo excitando hydrargyrũ, & denuo macerando. Ad extremum, toto liquore exhauſto, lapideſcit. Mizaldus ex halonitro, chalcantho, poſteriorẽ aquam igni forti extractam, eius ſubtriplo affundit, additoq; ſulphure in aquã claram ſoluit, quam exugit per alembicum cum ſua hypoſtaſi, relicto in fundo hydrargyro rubeo fixo. Nõnulli ẽt malleo aptũ reddere ſatagunt modis variis; ex quibus eſt, qui aquã diſtillat ex aceto acerrimo, albuminibus ouorum & argento viuo paribus. Huic iniectũ hydrargyrũ ſolideſcere credũt, vt mallei ictus ſuſtineat. Alius ſolidatũ aqua forti terit cũ aqua ſalis alcali, ſiccatũq; fundit; repetito ter opere, dilatari ictibus poſſe dicitur.

Hydrargyrus malleo ductilis.

Sed fi-

Sed fidelius videtur artificium hoc, quanquã laborioſum: ſalis tartarii, Maſtiches, ceruſſæ, halonitri, ſalis communis præparat lege artis pares contritæ imbibantur oleo arſenici & ſalis communis præparati, quantum recipere poſſunt. Exſiccata in ſole denuo irrigentur ad formam pultis, quæ deſtillato humore per alembicum, hoc ipſo iterum diſſoluantur in pultem, cum qua & indurato Mercurio in catino luto inducto per vices ſtrato instituatur cæmentatio igni lento primum vſq; dum ſiccentur, poſtea paulúm acriore per horam. & hac elapſa, fortiore, qui tertia augeatur amplius & vltima prunis operto catino reuerberentur omnia fundanturque. Liquefactus hydrargyrus immittitur in canalem inſtar argenti in digitum conformandi. Alii per ſtannum ſeu plumbum candidum indurant, tritumque cæmentant cum verbena primò, poſtea ter cum halonitro, tertiò macerant in aqua aluminis & halonitri; quartò aqua ſalis alcali. Sed vide, ne illa induratio ſit eiuſdem cum plumbo cõpoſitio qua animari dicitur & ſubigi. Veruntamen etiam dureſcit in fouea plumbi nigri, cui liquato veſtigium imprimitur lapide, moxque interiecto linteo Mercurius imponitur. In quo negotio animaduertendum eſt, id rectius procedere, ſi prius vrina ſit coctus. Aliqui foueæ iniiciunt aliquantulum vitrioli, poſtea hydrargyrum, inde iterum vitriolum, quod tegunt panno

made-

madefacto aqua salsa, & hunc tandem lamina ærea, vel ferrea, ne effugiat Mercurius. Interdum in ollæ fundo sulphur sternimus pondere selibræ, & super eo suspendimus in sacculo lineo duplo hydrargyrum, ollæque clausæ & tripodi impositæ ignem vnius candelæ per triduum admouemus, quod si nondum induruit, procedimus etiam amplius vsq; ad voti summam. Sunt, qui acetum acerrimum sale vel alumine mistum feruentissimo hydrargyro affundant, itaque extinctum reddant durum & firmum.

Sed quid de hoc modo iudicandum putas? salis communis, Petrolei, singuli trientes, salis ammonii sextans putrefacti in fimo diebus quatuordecim coagulent tritique deliquio soluantur. Liquore hoc occidatur hydrargyrus, & postea luto sapientiæ inclusus in plumbo liquato detineatur horis duodecim. Nolo recitare, quod in hanc sententiam Mizaldus annotauit, seu quicunque est auctor, qui per Saturnum durefactum aceto forti coquit, vel succo buglossæ, & postea infundit aceto, sale ammonio exasperato, hinc in igne candefacit, & exemptum sulphure vaporat, quomodo antè scripsi, indies spacio menstruo semel. Illud non firmius tantum est, sed & nobilius magisterium, quod liquorem argenti, hydrargyro ex plumbo nigro facto, & in catino ignito instillat, donec metallicam exhibeat fluxionem. Ita vides non crudum tantum figi,

ſed & ex corporibus depromtum, quæ fixiô
eô ſecurior certiorque eſt, quia iam aliquod
principium habet,& peragitur ſpiritu corpo-
ris fixi. Eo conſilio puto argentum viuum in
forma malagmatis cum argento includi me-
dium ſale alcali & lithargyro, igneque ſuperi-
us admoto, vaſe clauſo cæmentari.

Crebrò iubemur induratum igni ſundere
aut cæmentare. At, cum iſta induratio non ſit
perfecta, nec poſſit prohibere fugam omnẽ,
ludi videmur, non erudiri. Huic remedium
promittunt malo per induſtrium ignis vſum.
Deinde fuſo ſeu liquato alumen, aut vitri
pulue rem (vitri autem, quod fit ex ſilicibus
albis per tres horas reuerberatis, & cum æ-
quali minio in lapidem conflatis, qui tritus i-
terum miſcetur minio & liquatur) inſpergũt:
vel etiam miſturam, quæ fit ex halonitro fixo,
alumine calcinato, & ſale communi præpara-
to, quo potiſſimum cauent, ne ab ære com-
miſto exhalet. Neſcio, an riſu digni ſint, qui
retinere eum adipe equi iniecto volunt. Fi-
dem merentur maiorem, qui induratum plũ-
bo aqua tartari aliquoties reſtinguunt, vel o-
leo parato ex fixo arſenico, albuminibus, cal-
ce viua, oleo plumbi vel lini digeſtis ſub fimo
in oleoſum liquorem: aut qui amalgama ex
corpore perfecto & hydrargyro factum igni
imponunt cũ maſſa halonitri fixi, ſalis alcali,
& olei tartarei. Eiuſmodi artificia etiam pro-
derũt nobis ad turpetha & aurum vitæ eô lu-
croſius

Vitrum mi-
niatum.

crosius conficiendum. Sed, cum tot sint hydrargyri fixiones, eam tamen ad medicinas, potissimum internas prætulerim, quæ fit vapore liquoreve corporis perfecti, sique simul ipse hydrargyrus ex eodem sit extractus & studiose depuratus securioris erit vsus. Multi plurimum tribuunt, & nescio quid mysterii quærunt in eo opere, quod peragitur succis herbarum salibusque earum. Credunt enim συμπαθείᾳ quadam, aut familiaritate respondere sibi hydrargyrum mineralem, vegetalemq;, aut vegetalium principia, vt facile per ea ad artis complementum perueniri possit, nec si aduerseris, quicquam reportaueris præter maledicta, & inscitiæ probrum. Sinamus itaque hos in suis rebus elaborare, donec opere præstent, quod animo verbisque promittunt. Qui sint illi succi fortasse quæres. Atqui relligio est dicere. Siue enim assequaris verum, siue non, adeo illi sunt improbi, vt quouis modo naso te suspendant adunco, & sale nigro perfricent, aut aceto perfundant chymico. In ipsorum tamen libris ponitur succus lathyridis ex scapis expressus; semper viui item maioris; chelidoniæ maioris, Verbenæ, quos etiam miscent, & hydrargyrum immaceratum coctumq; ad aquæ absumtionem, tandem vrinâ restinguunt: quidam tamen prius stanno indurant quàm chelidonii succo vngant, & ter renouato eodem cæmentant. Alii succos napelli, rutæ, dracontii, Granatorum,

Fixio hydrargyri ad medicinam.

Succi quibus asscribitur vis hydrargyri figendi.

natorum, limoniorum, citrangulorum, pomorum agrestium, sorborum, vermicularis, iuniperi vino & sale ammonio cocti, trifolii maioris, consolidæ maioris, solatri, ellebori vtriusque linguæ bouis (buglossæ) brancæ vrsinæ, vincetoxici, melissæ, cyperi, lunatiæ, & huiusmodi aliorum in eundem adhibent vsum. Erat, qui resinam abiegnam quasi occulto magnoque studio conquireret & negaret absq; ea fixionem posse fieri. Magno precio non extorsisses ex eo scientiam. Quidam acetum cereuisiæ, & pomorum agrestium malunt; aliqui succis acetum & salem miscent; vbi fatendum est, si singula non prosint, multa iuuare, &, si non figat succus, figere tamen acetum salsum, aut liquore orionium. Vulgus succis mortificat argentum viuum, non verè figit. Defendere autem se putant suam opinionem posse, argumento metallorum, quæ succis restincta emollescunt, aut duriora fiũt. Ego malo rerum euidentia duci, quam verba verbis compensare, camarinamque istam lutulentam cum crabronibus mouere. Excussi scrinia penè omnia. Confectum, quod volebam, puto, & tibi offam obiectant sat grandem. Tu memineris ἴσον ἴσῳ ἐπιφέρειν, & si quid arcani habes, non silebis.

Vale.

EPIST.

EPISTOLA XXX. DE FIXIONE SPIRI- *tuum in genere, & postea Arsenici, Halonitri, & Antimonii;*

AD

Cælestinum Firmium virum doctum & prudentem.

BINIS tuis Epistolis responsum me debere fateor, idque, quanquam sint diuersi argumenti, ne tamen expectationem tuam differam, vtque vna fidelia duos, vt aiunt, parietes inducam, hoc tibi confectum dabo. De Gymnasio Tubarino Erythropyrgæ sic paucis accipe.

Domus Gymnasii Rotemburgici.

Ædificium ipsum musarumque domus extructa satis magnificè & sumtuose est ab amplissimo senatu procurantibus nobilibus & eruditis viris, M. Georgio Schnepfio & Christophoro Marckardo consularibus, principibusque huius reipub. & absolutum musisque consecratum eo anno, quo imperium inuasit motus turcicus, hoc est, sesquimillesimo nonagesimo secundo. Eius διαγραφὴ satis declarat vsum & constantiam in conseruando per adminicula necessaria. Plantarium, id est, Ecclesię & reipubl. Vtriusq; nutritores post Deũ Opt. Maximum, sunt principes Reipub. & senatus columnæ. Interiectũ itaq; illud σεμνεῖον est inter granarium & cellam, ne quis literis operam nauaturus de fame sibi metuere posset, &, vt hanc corporis curam statim in vestibulo deponeret, conspecto auxiliorum apparatu, is, qui accessurus erat eruditionis caussa

 Musas.

Musas. Tribus autem distinguitur interuallis, quas contignationes vocant, ludo literario, contubernio, & Theatro. Ludus cellæ incumbens sex continet disciplinæ literariæ officinas, seu pædotribea, Alphabeum, nimirũ, pædagogium, hypodeum, Odeum, metadidascaleum, & tandem pædonomarchæ Diatriben, quod Ephebum dicas. Contuberniũ habitacula pædonomarchæ complectitur & vnà alumnorum τροφεῖον, seu conuictorium. Ei imponitur, acropodio autem proximè subiacet aulæum, seu eloquentiæ & reliquorum exercitiorũ Theatrum, estq; gymnasii totius pars, vt accuratior, ita ad stimulos calcariaq; addenda iuuentuti, & præmia expectanda composita magis. Domus dispositionem descriptionemq; mansionum vides. Sed tu oculos mentis in animam eius infige; pulchritudinem deprehendes maioré. In sex classes digestus est discentium ordo, quib. tamen septé præsunt doctrinarũ & ingenii artifices, quos Præceptores vocant, quod pusiones à populo rudes, primumq; initiati, gemino labore ad assuescendum disciplinæ, videantur indigere. Pietatis & linguæ latinæ cura p totum cœtum pro cuiusq; captu à primo ad vltimum paulatim trahitur. In reliquis per gradus ascenditur mutatis exercitiorũ generib. libellisq;, vt res requirit. Latinitatis initiũ est in primo statim adi u; sed Græcæ elementa inchoantur ab hypodeo. Inde fit, vt, cum semper præcedens officin

ficina quaſi præparet animos ſequenti, & aliqua lectionũ proponat rudimenta, tandẽ in didaſcaleo valeant exercitia latina & Græca, quib. linguas interpretantur linguis viciſſim, porareq; diſertè, & de cõtrouerſis reb. iudicare, quãtum fieri poteſt, inſtitutis velitationib. diſputatoriis, aſſueſcũt Habet interim etiã ſua negotia muſarũ pater, & non verſ. tantum, ſed & poematia conatur dictitare, ex Virgil. Horatio, Teren Ouid. &c. vnde perſonant modò Heroica, modò Lyrica, Elegiaca, Iambica. Melodias his accinit ſuus chorus. Docetur & Anatome corporis humani cum energiis animę: nonnunquã naturæ ſcientia per cõpendia proponitur. Nõ abeſt rationis ex Ariſtotelis Lyceo per P. Ramum illuſtrato facultas, nec Rhetorũ ex eodem præceptiones. Theologię ſynceritas maximè obſeruatur. Itaq; noſtris Eccleſiis vſitata, & Dei verbo conformis doctrina poſt Biblica ſcripta, ex cõprobato l bel. trib. ſuperiorib. claſſibus, vt cuiq; commodũ eſt, explicatur. Interim omnia certis comprehenſa legib. vigilantia ſenatus ſarta tectaq; cõſeruantur, qui etiã ſelectis ſcholarchis ex ſua corona trib. & vni Gymnaſiarchæ cuſtodiã totius œconomiæ cõmendauit. Itaq, cognoſcẽdi quęlibet gratia bis quotannis in adoleſcentiæ ꝓfectum inquiritur, adhibitiſq; vnâ ex cõſiſtorio Eccleſiaſtis etiã reliqua ſedulò pueſt igantur, nec, quantũ fieri poteſt, monẽdo mãdandoq;, quæ oportet, quicquam ſtudii inter-

 mittitur.

Designatio gymnasii Academici.

mittitur. Ad hanc formam etiam institui posset gymnasium Academicum, quatuor instructum collegiis ad omnem scientiam absoluendam. Satis ei forent duodecim professores. (Neque enim in turba est perfectio) singulis collegiis habentibus ternos, assumto, re postulante, seu gymnasiarcha, seu quem cancellarium vocant, aut etiam ex vicino collegio ascito vno atque altero. Theologorum trium vnus veteris instrumenti, alius noui, tertius methodicæ doctrinæ præcipuorum religionis capitum explicationi vacaret, adiuncta interim Hebraica lectione alternis septimanæ binariis vel die quinto habenda, præsertim à primo vel secundo. Ex Iureconsultis primus Codicē profiteretur, secundus Digesta, terti⁹ Institutiones, ita, vt binis diebus diuersi exponerentur tituli, sed omnia concisa breuitate absque prolixis commentationibus. Medicorum prim⁹ per Galeni Auicennæque campos expatiaretur: Secundus methodum totius artis tractaret vna cum Anatomia permutatis operibus: Tertius Physicam genericam & Astronomiā profiteretur, atque ita affini proposito ad Philosophos accederet Idē foret & Botanicus, cui studio destinaret quintū inter biantios interiectū diē. Philosophorū trium primus Orator, Græcæ Latinæque eloquentiæ professor, Demosthenem & Homerum vicissim binis traderet diebus, aliis binis Tullianam eloquentiam,

cum

cũ adhibitis Rhetoricæ præceptis die quinto: Grammaticam enim tam Græcã, quam Latinam pædagogio obtruserim, iussérimque harum notitiam nõ in Gymnasio discere adolescentem, sed afferre: secundus Ethicam & Logicam doceret; quinto die tributo Arithmeticæ. Tertius Poeticam Historiasque professus, quinto adderet aliquid Geometricum sed diligenti habita vsus ratione, vt potius ad terras mensurandas se conferret, quam inaniter speculando tempus tereret. Ita consuleret & historiæ mundanæ & suæ poësi. Sexti diei dimidium exercitiis destinaretur. Legerẽt sex diei horis bini: 1 matutina Philos: & Medicus: 2. Iurisconsf.& Medicus: 3. Theologus & Iurisconsultus: 1. pomeridiana Philosophus & Medicus. 2. Theologus & Iuriscõs. 3. Theologus & Philosophus. Iureconsultorũ collegiũ vacaret die quinto. Interim auditoriis cæteri operam nauarent. Accepisti paucis τὰ σχιλαστικὰ, quæ ingratiora fuere commemoratu, quo ludiones passim existunt plures, qui non tantum explodunt hæc puerilia, sed & literariæ disciplinæ præfectos maximo despicatui habent & ludibrio. Atque istis mundi salus carere hoc æuo non potest, illique ipsi sanniones, quicquid ab ingenio sunt, à Deo per magistros sunt, & pars etiam eorum olim aut operã dedit ministerio scholastico, aut studiose id, si qua admitti potuisset, affectauit. Chymica huic instituto meo sunt familiariora. Itaque

De chymicis

que alteris tuis literis eo alacrius satisfacere attentabo. Spiritus (quales sunt hydrargyrus, sulphur, arsenicum, sal ammonius, & quæcunque mineralia in igni volaticam spirituosamque habent naturam) in genere figit chymicus sublimatione cōtinuata semper deturbando sublimatum ad fundum, donec in lamina candente sine fumo fluant. Si tædet repetere toties eundem laborem, & Sisyphium saxum voluere: postquàm aliquoties eleuasti irriga madefacitoque oleo tartari ad consistētiam liquidam, quam vel exicca cinerum calore, vel destilla per retortam, vel cucurbitam rectam. Lapidem extractum denuo figes oleo prædicto, hocque iterū segregabis, vsq; ad septimum conatum, vel quoties opus fuerit. Coagulatum tritumque solue deliquio, in fimo scilicet mediante vitro clauso dierū decē spacio, iterumque coge per filtrum traiectum, & cū aperto vitro cinerib. calidis sillatū. In hydrargyro pro tartari liquore, ministratur aqua salis vulgaris, aut ammonii, aliquando spiritus sulphuris acidus, aut aqua vitrioli albi: sublimatio quoq; peragitur ex præcepto Geberi cum retinaculis, veluti climata chalybis scobe & sale crudo, ita, vt prius commista aceto incoquantur ad siccum. Non nunquam absque sublimatione per tartari oleum perficitur idem opus, aut alcali, quæ tamen fixio duntaxat præstat liquationem in lamina sine fumo, securitatem in catino cinereo ad modum

modum auri argentique non affert, ſicut quæ fit ope aquarum metallicarum. Solam illam conſtantem prædicant, in qua ſoluitur fixum & figendum in aquam & coniungitur ex arte, ita vt ſumma fixi ſuperet ſummam volatilis. Cõiunctio inſtituitur in vitro Hermetis clauſo, & ſemipleno, calore temperato diebus quinquagenis. Poſtea coagulatio expectatur ad calorem debiliorem. Aliàs omnium ſpirituum retinaculum eſt vitrum, vel colcotar, vel ærugo ad rubedinem cinabaris calcinata ſolutaque. Ita in teſta ſeu catillo cinereo aliquouſque durare poſſunt. Hac arte autem fixos ſpiritus ad metallicam adhibent, & albis æs tingunt, vt æmuletur argentum. Auri colorem inducturi, rubeſcere eoſdem cogunt aqua croci martis. Sed quid de halonitro eſt in præceptis? Hoc negant conducere ſeu aquis fortibus, ſeu excoctioni depurationique metallorum in catino, aut fulmine, excepta calcinatione (Nam ad hanc crudum eſt adhibendum) ſeu oleo ſulphuris & ſimilibus niſi figatur ſuo modo prius, hoc eſt, pro natura ſua. Non enim ei competere poteſt fixio metallica, & ſæpe ablata duntaxat ſalſedine figi dicitur. Pro depurandis metallis & fulminandis figitur albuminũ aqua diſcuſſu expreſſuque ſpongiæ facta, quando ei commiſta in lebete funditur ferreo. Alii miſtum calce aluminis plumoſi (in fictili per reuerberationem facta) in vitro inducto luto & clauſo fundunt

Retinaculum ſpirituum.

Halonitri fixio.

Agricola. fundant satis diu. Quin & sæpius perfunditur lixiuio calcis viuæ, inque olla vitrata coquitur ad siccum. Calci enim inest vis fixatoria, quam cum sale suo communicat halonitro. Quomodo salsedo crepans exiliensque ei adimatur, alibi expositum inuenies. Memineris itaque huius artificii, si quando ope eius, sulphuris oleum concinnare velis ex sententia Cratonis, quanquam aliquid sit etiam in ipso operę industriæ, ne confertim in vase fundatur, sed pedetentim ignibus assuescat. Arsenicum. Arsenicum figes aut liquore tartari sæpius per destillationem inde abstracto, aut per diuaporationem cum halonitro crudo, quomodo turpethum conficitur. Est sane volaticus & perniciosus spiritus in illo non commodus operibus ad constantiã perducẽdis. Itaq; si procrudo extractũ turpethum, porro tartari spiritu, vel aqua aluminis fixeris, ab arte non aberraueris. Realgar. Nec alius labor competit Realgari seu Cadmiæ (vt vocant Arabum traducti in Latium commẽtarii) & auripigmẽto similibusq; ; videndum tamen, ne arsenicum simplex cõposito pmutetur. Non n. omnino par ratio est vtrobiq;. [Anti]monium. Antimonii fixio vera per separationem essentialem fit, & calcinationẽ, ne quid dicam de arcanis artis penetralibus. Sed cum & aliquatenus magisterii processu, stabiliatur ne scilicet diuaporandi impetu concitatum secum trahat metallorum ramenta, & in fumum vertat, nonnulli id fundunt cum halonitro

nitro

nitro, aliqui coctum seu ferrefactum in lixiuium, aut puerilem vrinam effunduntaliquoties. Quin & in regulum deducitur, quem ad omne opus commodiorem iudicant. Rapacitatem eius in testa cinerea etiam prohibent adiecto tartaro, sed si argentum est, quod cum eo excoquitur, æs adiiciatur & more cōsueto plumbum. Argentum enim ab hoc recipitur, dum æs se associat stibio. Quidam artifices ter oleo lini id restinguūt, vt libram in mensura. Puto me binis tuis sat copiose respondisse. Si quid desideraueris amplius, quātum fieri potest, nullum in me bonum tibi erit clausum. Vale.

EPIST. XXXI. DE SIMVLACRIS *fixionum in vegetalibus & animalibus nonnullis.*

Ad

Claudium Furnium Camillum Philologum.

AMo Philologiam tuam. Ita multitudine rerum & varietate animos legentium oblectas, ita demulces pulchritudine, vt nunquam tam satiari queant, quin adhuc famelici ad easdem subinde respectent recurrātque dapes. Aerem fixatorium esse rectè probas euetu. Corallia enim & vniones sub mari molles, in auras producti gelascunt consistuntq; saxorū duritie quod ipsum comperiunt Philosophi in oleis mercurialibus ex sublimato, &c. Me-

Medici etiam aquæ ſimplici aſtrictoriam ob frigus tribuunt. Quærendum tibi eſt, num eadem cauſa in aere valeat, id quod reſciſces, ſi idem compertum fuerit in feruente á ſolis præſentia. Aceto mollefacta & lixiuiis, aquę affuſione concreſcunt denuo etiam calente, magis tamen frigida. At & acetum frigidum, quo tamen, vt ait PLINIVS, ouorum teſtæ molleſcunt, Non ſolius frigoris id eſt opus, quod docent & metalla, præſertimque ferrum, quod non ab omni frigida perinde ſolideſcit. Si nihil præter frigus reſpicitur, cur non idem euenit ab aere gelido? Conſpirare corpus neceſſe eſt cum qualitate idque ſæpe non ſimplex, velut cum aqua, aliquando alumen, aliquādo tophum; margam, Chalcanthum, calcem, nitrum in lapides procliue etſi ſecum vehit. Aquá calcis ſane gēmas factitias molles tanquam Gorgoneus vultus ſolidat, induratque & albulæ aluminoſæ etiam ipſę lapideſcunt, quod conſtat & de fonte quodam Hungarico & aliis. Lac figitur in coagulum balſamo natiuo & quodam factitio, item aceto & coagulo vitulino, quanquam coniuncta vna ſit ſeparatio. Quomodo ſoluta cogantur infuſis aquis ſalſis, vel etiam dulcibus, aut ſpiritibus, aut pulueribus mineralibus, ſuo exponitur ordine. Vide itaque vt ſatis ſit, conſtans de frigore figente præceptio, cum Ariſtoteles effectum & calori tribuat. Non poſſum facere, quin te mutuo exhilarem Philo-

Quod ipsū cōperiunt Philoſophi in oleis mercurialibus ex ſublimato. &c.

Gemmas indurare.

Plin. lib. 2. ca. 106. &c.

Philologia ſimili. Carbones ad fulminam dū conuenientes requiris, aqua ſalſa macerato ſicca. Metallici, vt diuturniores ſint in igni, & feruentius vrant, ſæpe aſpergunt frigidam. Vtique duriores fiunt aquarum commercio, præcipue ſalſarum. Cui fomitis fumus moleſtus eſt, dum aduigilare cuſtodiæ vrbium & caſtrorum cogitur, aceto permaceratum reſiccatumque curet, & flammam alit ſine fumo. Eſt & ad vigilias caſtrenſes valde aptus is, qui fit ex iunci medulla, abiecto cortice, quæ medulla coquenda eſt in vino ſolutionis halonitri, & ſicca reddenda. Si ei admoueris ſulphuratam candelam ignitam aut prunam, è veſtigio inſtar naphthæ flammam rapit, defenditque per totam noctem. His cognata eſt roſarum defenſio, quando incluſæ cera foris luto incruſtantur, quod alii procurant incluſione in propaginem fiſſam ceraque munitam, alii aqua & ſimilibus. Plinius teſtis eſt, ſi nitrum cum braſſica coquatur, viriditatem huius ſaluā eſſe, idq; nō ignotū eſt culinis noſtratibus, q̄ lixiuio ex nitroſis lignis Braſſicam madefactā coquunt, & menſæ pulchræ virentē reddūt: Sed nō oportet nimiū coquere, nec capitatā legere, ſed Noricā, Seliniſiam, Anglicā & hui⁹ generis reliquaſs. Nolo tibi quicquā de ſuccis inſpiſſatis, atq; ita diuturnis redditis; ſeu, vt loquitur chymic⁹, fixis ponere. Ego aliquoties riſus ſum, cū corā aurib⁹ imper tis ex Plin. & Horat. cęteriſq;, fumo durati vini & apothecæ in fūario ſeu œnopolii mētionē feci.

Ne fomes fumiget.

feci. Durant vina, inquit Plin. ducētis fere annis iam in speciem redacta mellis asperi. Etenim hæc natura vinis in vetustate est, nec potari per se queunt, sine prouinciæ aqua vsque in amaritudinem carie indomita. Horatius verò

Varro de re rust. li. 1. cap. 54. vinum incarnari ū ascendat.

3. Carm. Od 8.

Corticem astrictum pice demouebat
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

Nostri homines, quorum vinaria satis sunt frigida, non opus habent fumoso vino, & ad sat magnam ætatem id perducunt. Mustum figunt nonnulli in fossione, vel sub aqua puteali similiue detentione. Cato de Re rust. cap. 120. in amphoram indit mustum, corticeque oppicato demittit in piscinam & post 30. diem eximit. Alii in vas sulphure vaporatum ponunt, cumque feruorem minatur iniiciunt salē in sartagine feruefactum, atque deferbere sinunt mutantes pōst hoc dolium. Idne est mustum figere, vt maneat dulce & integrum? Qui magici incantamenti specie imperitos ludunt, efficere se posse dicunt, vt aqua vnā nocte congelascat, idque iniecta Ibisci seu Althçæ radice, aut semine plantaginis vna decocto conciliant. Rideāt illos coqui per ichthyocollam, squamas piscium, glutinosósque talos, & similia, gelu suum satis feliciter machinantes. Sed, quæ oblectamenti caussa fiunt, eo gratiora sunt, quo breuiora, ne quid tamen nimis. Pauca voluptati debentur, inquit

Censo-

Censorius ille, plura saluti. Tu non cessabis iucundiora fercula symposio Platonis & Athenæi inferre, Saturnaliaque Macrobii loco symbolæ mysteriis tuo ingenio dignis exhilarare. Vale.

EPISTOLA XXXII. DE VOlatilitate.

AD

Præstantis Eruditionis & Experientiæ Chymicum Hieremiam Kuntzschium Philos, Med. Oppanii Silesiorum.

TARENTI quondam degisse Archytam perhibent, qui lignea columba volatili facta omnibus admirationi fuit. Nec minus obstupuisse terræ incolas conspectis in aere Dædalo Icaroque volucribus, est in Ovidianis. Disciplina chymica, vt optimè nosti, promittit quidem metalla volatica, sed non auium more. Rideant itaque nostram locutionem profani, & orgiis chymicis non initiati, nec lustralibus vndis huius scientiæ imbuti conspersique, modo constet arti maiestas sua suaque perfectio, cuius post essentiam probè constitutam non parua laus est, disertis propriisque verbis res suas non minus, ac in aliis disciplinis, posse enunciare, & volaticum quid dicere, quanquam alis plumatis sit destitutum. Non autem procul abest verbum hoc, à penitiore istius Tarentini ingenio. Quanquam enim Scaliger alios proponat modos: volunt tamen nonnulli per spiritum

Exer. 326. de nauicula mobili aliisque.

ritum Chymicum, quo medio etiam statuæ mobiles, machinæque inquietæ horologiorum apparari solent, istum artificem id effectum reddidisse. Agnouit itaque vagabundum illum Deum, quem Mercurium vocant, non tantum in cælo aëreque adiectis capiti, caduceo, calcaneoque alis volare, sed & inclusum machinis sine eiusmodi pennis adiectitiis intima sibique penetrali facultate, siue quis velit fluctuatione corporis ponderosi semel dato impetu id perfici, siue calefacti halitu. Ad huius spiritus naturam, quando conuersa sunt metalla, vere dicuntur ex præcepto Hermetis volatilia facta, si modo rectè intelligo, quæ in huiusmodi mysteriis valde dici videntur abstrusè obscureque. Hinc in Ferinarii disputatione negatum video aurum volaticum esse, cum per alembicum exit, quod hęc veræ hermeticeque violatilitatis nota non sit propria, sed potius communis .Nam hydrargyrus certè exigitur per alembicū. Huius naturam, si sortiuntur metalla, & hæc oportet idem pati. Sed cum non desint alii quoq; modi, non proprius character hic est. Puto tibi idem videri; quanquam ad te accedam nō doctum, sed consultum, vt discam, si quid reconditius in ea disciplina me fugit. Miraberis autem, cum ea sit volatilitas genuina, & arti hermeticæ maximè conueniens, cur nō sit capite volatilium in Alchymiæ magisteriis declarata potissimum, & quid attinuerit de spuriis præ-

Metalla volatilia.

cepta

cepta condere. Ego vero eam attigi ſed paucis, quod eſſet coniuncta cũ transmutatione, quæ peculiarem ſibi vendicauit locũ, ex quo, ſiquid hac in parte deeſt, peti poteſt. Reliquos modos volatilibus ideo adieci, quod viderem generatim præcipi, tunc volatilia fieri corpora fixa, cum cõditione ſpirituũ à terra fundoque vaſis eleuarentur in cælum, caputque alembici. Sublimatus hydrargyrius nõdum eſt fixus eſt, quandiu attollitur. Quid aliud de eo dicas, quam ex lege contrariorum contrariũ? Volaticus ergo tum eſt, licet nõ fluat & quodammodo à priſtina natura deceſſerit, niſi quod comparatè aliquem gradum fixionis accepiſſe perhibeatur. Sulphur quoque, dum in flores eleuatur, volat. Nõ vna eſt ſpirituũ natura; Et metalla non tantum mercurialia ſunt, ſed & ſulphurea, arſenicalia, Chalcanthina ſalſaq;. Cum itaque ad hydrargyri vultum induendum arte cõpelluntur, vno modo volatica fiunt: cum ad ſulphuris & arſenici, ſecundo: cum ſalium, potiſſimumq; fugaciũ, vt eſt ammonius, quanquã & vulgaris in igni crepitet, fugiatq; halonitrum, tertio: id quod & vox diſciplinæ indicat. Nam ab aliquibus tunc vocantur alcali quædam, vel alcaliſata, quod habeant naturam ſalis, deliquio in humore diffluentis. Quicunq; vertere metalla in hydrargyrum, ſulphur, ſalemq; Philoſophorum poteſt, is aſſequitur magiſteriũ volatilitatis præcipuum. Sed ſunt etiam ὁμοιώματα quædam ob

affinitatem eodem relata. Nam ad exemplum metallorum, quæ corpora etiam vegetalia & animalia in ſpiritus vertuntur, volatilia fiunt, id ꝙ attenuationum modis perficitur variis. Ipſa quoq; metalla, & mineralia pluribus viis ad aliquẽ gradum volatilitatis adduci poſſunt. Etenim, qui quouis ingenio artis metallum in ſublime egit, aut etiam in receptaculum prolicuit, is ſe quadamtenus promouiſſe arbitretur. Ex eo genere eſt argentum volaticum, ꝙ nuper in commentario quodam legebam, cuiusq; deſcriptionẽ tibi iudicandam propono. In aqua cauſtica ex parib. halonitri & chalcãthi per deſtillationem facta argentum digeratur die naturali. Solutum illatum in cellã coagulet in ſpeciẽ halonitri cryſtallinam. Effuſa poſtea cauſtica, cõcretio perfundatur aqua cõmuni, coquaturq; ad ſiccum quod impoſito alembico deſtilletur. Quid de huiuſmodi artificio ſis iudicaturus, perꝗ deſidero. Iubebis me experiri. Ego vero nunc temporis nondum poſſum, quod Theoriæ conſecraui. Non ignoro tamen alios periculo facto repetita attenuatione aliquid conſecutos eſſe, etiam in auro, quod aquis regiis ſæpius immaceratum digeſtumq; & ſolutum in cælum ſcandere cõpulerunt ritu florum, aut per bociæ cornu in receptaculum forma olei, aut liquoris exigentes circulationibus amplius exaltarunt, ſeu ſpecie liquida ſeruata, ſeu mutata. Eſt autem ea res coniuncta ſæpius cum aliis magiſteriis,

Argentum volatile quoddam.

ſæpè

ſæpè cum eſſentiali elaboratione, quæ, cum alterius ſint capitis, non deſiderant hic plura verba. Ego ad te ſæpe quidem aliâs volebam ſcribere: ſed impeditus variis, nunc videor acceſſum commodum inueniſſe. Non me latet, ſordere nonnullis eiuſmodi compellationes; ſed de tuo ingenio ſecus ſpero. Vale 17. Ianu. veteris, anno 1598. Rotemb ad Tub.

EPISTOLA XXXIII. DE DVCTILItate tenacitateq; metallorum artificioſa;
A D
Hieremiam Kuntzſchium Phil. & Med. Oppanium Siles.

SERVVM illum chymicorum fugitiuum eſſe exemplum volatilitatis metallorum præcipuum ob inconſtantiã mobilemq; naturam, qua facilè nõ tantum ipſe ſuas ſequitur ῥοπάς, ſed & alia, quib. iungitur includiturq; ; ducit machinis verſatilibus aptum, atq; ob id creditũ Veneri mobili & colũbæ Tarentinæ adiectũ, proximis tibi in memoriã reuocaui. Putauerim etiã Scaligerianę nauiculæ agitandæ fore commodum, quemadmodũ nõnulli docent, totã αὐτοκίνητον concinnare. Quam rotam, dices, & qua ratione ex ſe mobilẽ? Nõ opinor, tibi ignotum eſſe modũ, ſed quia multi fortaſſis exiſtunt, quem velim ex deſcriptione cognoſces. Ea eſt huiuſmodi. Fiat circulus ex armilla Orichalcea, ſeu cingulo, vbiuis eiuſdẽ exactè craſſitiei & latitudinis, neq; tamen nimiæ tenuitatis. Latitudo plærunq; duos habet

mota mobilis.

R 3 digi-

digitos: Ambitus ad vlnæ inſtar. Videndũ, ne peccetur inæqualitate partium, ſed vt circulus quã iuſtiſſima cõſtet dimenſione, pondereq; ad curſum actumq; æqualem. Diſtinguatur axibus duob. decuſſatim iunctis ad angulos rectos, neutra parte alterã exuperãte, ſed omnibus eiuſdẽ vbiuis ponderis Quã ſe interſecãt, in centro perforentur æquali omnino foramine. In parato ſunto quindecim pyxides ferreæ æqualis ponderis & capacitatis, articulũ digiti longæ, quas eodẽ hydrargyri põdere ad medias implebis, ita, vt ne momento quidem exceſſus fiat. Hæ clauſę diligentiſſimè, ne quid hydrargyri ſubterfugere poſſit, affiguntur circulo ſpaciis æquè diſtantib. ita, vt ratione longitudinis media earum pars reſpectet centrũ, media foras ſit verſa. Ita inſtructa rota columnæ affigitur ferreo clauo exactè tereti politoq;, vt liberè poſſit circumire & volui: ſi diſpoſitione pecces, nec æquali omnia menſures lege, opera luditur. Huiuſmodi rotula adiecta nõ horologiis tantum, ſed & ſtatuis, nauigiis, aliiſque nonne veriſimile fuerit, progredi & moueri ea poſſe? Tanti eſt illa Mercurii verſutia. Cæterũ, an nõ putas, volatiliũ metallorum doctrinę quodammodo etiã adiiciendam eſſe præceptionẽ de eorum ductilitate mollitieq; per artẽ intractabiliũ. conciliata? Fixis acceſſui durationẽ: videtur fugacitati addenda eſſe mollities, tanquam gradus quidam ad eam, in qua tamen ꝓpter euidentem vtilitatẽ nõ rarò ſub-

Mollities metallorũ.

ſubſiſtimus. Non raro comitatur volatilitatē, vt in artificio mercuriali, quo vidi aurū ita emollitum, vt cōprimi inſtar ſpongiæ & diduci poſſet. Iudicatum id tum ab aliis eſt tum etiā à Paracelſo ex vetuſtate repetitum, vt ad oculū demonſtrari poteſt. Mollities hæc plumbi natura definitur. Peragitur per amalgama, ſicut oſtendi in Alchymia. Aliàs modus mollitiei metallorum determinatur malleatione & fuſione facili. Cum fragiliū mineralium & aſperorum præſentia miſturaq; euenit duritia, excoctionis aliarumq; ſeparationum auxilia ſunt implorāda, quanquā nonnunquā augere metalli corpus conueniat, idq; potiſſimū iudico tunc fieri, cū non obſeruata eſt lex miſtionis, aut pręter opinionē inæqualitas, terreęq; ſubſtantiæ exceſſus, aut ſiccitas nimia euenit. Ita aurū nimis aſſatum reductumq;, itē reliquiæ tincturæ abſtractæ, argentū quodāmodo cōbuſtum & cætera corriguntur. Quandocunq; etiā erratum in orichalco, ære moſſynico & ſimilib. eſt: imo, cū ꝓiicitur Elyxir, & tēperaturæ malleabili aliquid deeſt, ſupplementum ex hac arte petere licet. Et eſt, quando eodē metallo fuſiliore, idē durius emendamus; eſt, cū miſcemus mollia duris. Vbi tamen animus vētentis ab impoſturis debet eſſe alienus, ſi velit perhiberi probus. Vides autem coniuncta eſſe etiam alia magiſteria & artis opera, id, quod ſubinde in exemplis vſu venire ſolet. Non oportet rigidum cenſorem artis eſſe, qui

viderit in diuersis capitibus eiusdem fieri mẽtionem, quandoquidem rebus iisdem existẽtibus, rationes sunt diuersæ. Nonnunquam tollitur asperitas in fusione certi menstrui, & maceratione. Exempla recitaui in artis informatione. Illis addi potest mistura ex oleo lithargyri, paucoque borace & halonitro, qua pulueres seu calces metallorum perfunduntur, vt reduci queant cum mollitie malleis apta. Aliqui puluerem Laudani gummi, oleo plumbi, adiecto halonitro contemperant, & in solutione metallum durum infundunt. Pro ea & mel esse potest vel aqua salis ammonii, in qua candefactum restinguatur: aut pares aquæ salis ammonii, halonitri & aceti vini, quibus coctis metalla iniiciuntur: vel salis ammõ. halonitri, tartari æquales in olla vitrata, ex aceto coctæ: vel ex priorum duorum singulis dimidiis, tartari vero integra portione destillatur aqua, cui metallum iniicitur. Eiusdem vsus est liquor, quem nominatim argento molliendo asscripsi. Nam eius vis etiam ad reliqua metalla sese extendit, licet argento sit conuenientior. Quidam artifices Saponem in lebete eliquatum mouent, inque nigrum redigunt puluerem, cuius parum iniiciunt fuso metallo. Vnde non tantum liquores, sed & res siccæ ad eundem scopum vsurpantur. Extat in vulgatis officinis etiam talis compositio: Mastiches, Thuris, boracis, vernicis singulæ semunciæ commisce-

antu.

antur, & piſorum duorum triumue quantitate ſupra metallum proiicianrur ad tractabilitatem tenacitatemque inducendam. Vel, Salis am: halonitri, boracis, pares tritæ vino paulo irrigentur coagulenturque ad ſiccum. Huius quarta pars calcibus metallicis adiecta ita eas reducit, vt lentorem debitum recuperent. Alii tartari calcinati ſextantem, ſalis communis vnciæ, ſcobis ferreæ ſemidrachmæ, fellis vitri ſicilico cōfundunt, miſcentq; & drachmę mediū trienti metalli adiiciunt eodem conſilio malleationis. Nec diſplicet tale quoddam artificium: ſalis præparati, olei oliuarum, ſaponis Veneti pares ſoluantur in ſartagine ſuper prunis coquanturque, vt parumper craſſeſcant: deinde admiſceatur lutum bene ſubactum, incluſoque metallo molliendo, ſicca: impone prunis horis duabus abſque afflatu, poſtea exemptum iudicato. Hæc metallis in genere addi deprehendi: ſpeciatim autem aurum admodum reddunnt tractabile maſſula plumbi per eius eliquati ſuperficiem ducta, vt ſaltem ſpiritus ſe inſinuent, aliquando etiam corporis exili portione ingeſta, vbi videndum ne animus fraudandi dolusque aſſit malus. Par iudicium eſt de his, qui vni beſſi auri adiiciunt ſublimati hydrargyri ſemunciam: aut parum pulueris ex ſublimato & ſale ammonio paribus: aut drachmam vnam huius coaguli ſquamarum æris, ſalis ammonii ſingulæ ſemunciæ, æruginis drachma, coquantur in aceto vſque ad ſiccum, coagulum deli-

Aurū mollire.

quio solutum coaguletur denuo. Eædem medicinæ possunt adhiberi & argento. Æs & ferrum plærunque eodem emolliuntur tractabiliaque fiunt medicamenta. Nec paruum vsum prebet hoc artificium in recudendis veteribus ferramentis, aut æreis vasis, mistura metallorum, calcibus & separatione argenti aurique, vel cæmento perustis. Peculiariter ferro destinatur aqua restincti sæpius plumbi, vt in eadem ferrum candefactum dometur, restinguendo. Alii vsurpant cornuum ramenta: vel extinguunt nouies oleo lini, vt mollescat æris instar: Plinius ab oleo tenacia fieri tenuiora ferramenta in eo restincta, docuit. Fit & puluis ex auripigmenti libris duabus lithargyri arsenici rubei libris singulis, cum quo mutuis stratis componuntur limati chalybis libræ quatuor in catino luto quidẽ crustato, sed paruum habente spiraculum. In eo cæmentatio instituitur cum fusione. Interdum restinguitur oleo tartari adiecto Euphorbio: vel ignitus chalybs in liquatum plũbum intruditur septies: vel eidem candefacto inspergitur gummi serapinum. Sed ad veneris delicias nos vertamus, atque aliquid afferamus fusoriæ, statuariæque & simibus tabernis adiumenti. Qui emollitum æs cupit, adiiciat eius bessi puluerem, qui fit ex calcis Iouis vnciis duab. cum dimidia salis vncia, arenæ per cribrum traiectæ sextante: Mista cum ære exequantur. Alicubi placet lithar-

Ad ferramenta vetera recudenda.

Ferrũ mollire.

Lib. 34. cap. 14.

Æs mollire.

gyri libra, plumbi duæ, salis quantum satis: Hæc permista pariter præcedenti pulueri vsurpantur. Coquitur & vrina humana cum aqua ad rubedinem, in qua extinguitur æs sæpius, sicut & in liquore tali, Salis comm: præparati, aluminis plumosi, tartari calcinati, arsenici albi pares perfundãtur aceto acerrimo, comminisceanturque ad restinctionem æris, quod inde plumbeam acquirere dicitur mollitiem. Aliqui laminas veteris aheni repurgatas & aqua madefactas cæmentant cum sale communi vase armato luti præsidio impositoque in caminum figuli, donec coquantur ollæ. Extracta olla scoriæ separantur, reponunturque reliquiæ & cæmentantur denuo, qui labor repetendus est, donec scoriæ omnes abscesserint. Ita emollitum æs magistris monetariis ad auri misturam insigniter conducit. Creditur enim colorem exaltare. Parum nimirum erat chymico ad sua artificia præparare metalla dura intractabiliaque, ni inseruiret etiam bractearijs, monetariis, ahenariis, aurificibus, & huiusmodi multis in officinis vulgatis. De plumbo candido duro quomodo ad mollitiem recoquatur, non opus est verbis. Plumbum, cum pro additamento adhibitum est plærumque transit in molybdænam, aut lithargyrum. Inde quomodo reducatur ad pristinam mollitiem, suo loco disseritur. Fit & alias seipso mollius, quod est quasi semiputrefactum plumbum vel eius cadauer,

Æs ad auri ligaturam.

Plumbum ꝙ vocant aqueum wasserbley.

uer, quod in bacillos quadrangulos conformatum pro calamo eſt. Tradunt id tabeſcere intra tabulas plumbeas vaſi incluſas, vbi ſuo quaſi ſitu & aeris pigritia humida putreſcat. & ex argumento aqueũ nominetur. Fimi id opus eſt, & vaporis humidi. Facile apparet ratio attendenti. Tempus eſt, vt receptui canam, teque valere iubeam. Vale.

EPIST. XXXIIII. DE IIS, QVAE in corpore traduntur lapides emollire, frangere aut expellere.

Nicolai Petrinii ad Andream Libauium.

QVOD tibi mea ſtudia in rerum abſtruſarum contemplatione & conatus in perueſtigandis illis placent, videor mihi deberi amori erga me tuo. Certe enim mediocris eſt diligentia mea, neque tantum meretur commendationis. Cupere tamen & deſiderare me aliquo vſque peruenire, nemo mirabitur, niſi qui ignorat animum nobis datum eſſe ad omnia agilem promptumque, qui, vt in aliis, ita & in verorum inquiſitione ſcientiaque ad principium diuinum, vnde prodiit, aſpirat ſemper, ſeque ei conformem exhibere conatur. Hic illius eſt cibus, hoc pabulum; exquirere, ſicubi lateat veritas, eiusque præſentia iucunde acquieſcere, mendacia vero inſtar venenorum fugit. Corrumpitur enim his intellectus natura, & degenerat plane á ſeipſa. quod & Philoſophorum ſententiæ indicant, qui

qui ſicut nutrimētum corporis tranſit in ſubſtantiam eius, ſitque idem cum eadem, ita intelligibilia, ſeu νοητὰ trāsformari in intellectus eſſentiā ſcripſerunt, vt ſit idem ὁ νοῦς, ἐνέργεια καὶ τὸ νοητόν. Vnde neceſſe eſt, intellectum fieri ſpurium à mendaciis, firmari vero & paſci rebus veris, tanquam eſſentia propria per quam & eſt, & bene poteſt eſſe. Dum itaque in hoc ſum quodammodo, & animi ſatiandi conſeruandique ſuo alimento cupidus conſpicior, videor tibi paulo ſtudioſior eſſe cæteris. Sed vt vt annitor, fatendum tamen eſt, immenſitatem rerum non penitus capi intellectu poſſe, vt ſit verum illud, quod dici ſolet, id totum, quod ſcimus, minimam partem eorum exiſtere, quæ in abſtruſo latent, hominemque vix ſcintillam operum Dei mirabilium aſſecutum tot ingenii tormentis, totque corporis ſudoribus perpetuo conari. Itaque & pene fruſtrà ſolicitus fui nuper de artificio emolliendi vitri & lapidum eius naturam habentiū, quod neſcio quibus ſubſidiis, nonnulli promittunt, inimitabili auſu Ferunt, inquit Plinius, Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile eſſet, & totam officinam artificis eius abolitam, ne æris, argenti, aurique metallis precia detraherentur. Quod quæſo illud artificium fuit? Tradit idem autor, ſpecularem lapidem ex humore, quadam terræ anima, cryſtalli modo glaciari, inque lapidem concreſcere, manifeſto argumento.

Mollia vitra.

lib. 36. cap. 26.

inento, quod cùm feræ deciderein puteos, tales medullæ ex ossibus earum in eadem lapidis natura post vnam hyemem figurentur. Eandem & reliquorum lapidum, qui sunt instar succi concreti, natiuitatem ex humido nimirum & molli, tanquam pulte esse, verisimile est. Ita nouimus mineras ferri initio aquæ instar fluere, postea coire in massam mollem, indeque indurescere lapidea consistentia? quod & in argento obseruatum est & coralliis, & vnionibus. Ipsæ quoque officinæ plasticæ ex argilla lutoque non alia formant sua opera ratione. Qui itaque marmora, crystallos, margaritas, corallia, lapidem specularem, asterem Samium, cotes & huiusmodi plura postliminio emollita instar pulticulæ cupit, eum palam est absumptum humorem eis debere restituere, cũ non alia via indurue-rint: quàm exiccatione & dispiratione humidi congeniri operantibus actiuis. Neque verò tàm simplicis ingenii quis sit adeoque sinistræ mentis, vt si in læuorem exactum reductos lapides humore perfundat de voto desperet suo. Sed hic modus mihi semper visus est nimium Plebeius esse, omnique carere arte. Neque enim familiaris ita redditur humiditas, sed aliena: vnde vix effeceris partium cohæsum pristinum familiaritatemque & conspirationem naturalem nisi forte credas peregrino solutos humore, absumpto hoc denuo, concreuisse, vt videre licet in salibus, alumine,

alumine, & chalcantho: at in ſuccino, aſphalto, pice, reliquiſque ſeu lacrymis plantarum, ſeu animalium mineraliumque concretis rebus non puto perinde eſſe. Cogitaui, an non eo artificio ſaxa mollefieri queant, quo Medici renum & veſicæ calculos diffringere, tabefacereque conantur. Eſt in hiſtoriis, in ventriculo cuiuſdam inuentam lapideam cõcretioné à morte eius exemptã, cultri capulo à parente adiectam eſſe, ne deeſſet monumentum filii à ſe deamati: Sed cum forte raphanus eſſet in menſa, liquore huius tacto, colliquiſſe in capulo, Vnde poſtea inuenta eſt vis ſucci de raphano, & remedium lapillis humanorum viſcerum. Memorant menſe Maio in veſica fellis taurini reperiri calculum, qui vino iniectus paulatim diſſipetur, indeque aduerſus lithiaſin renum potetur. Eadem itaque & vino vis erit. De vnione aceto ſoluto temeritate Cleopotræ inter omnes cõſtat. Plinio lapis Tiburtinus vaporibus fatiſcit, diſſilitq;, & nitrum eſt etiam oſſa ductilia fieri lixiuiis & vapore hydrargyri. Lapis Iudaicus ex argumento nomen inuenit τηκολίθε. Quantũ fiduciæ eſt in ſalib⁹ ſcorpionũ, ſerpentũ, leporũ, ſcarabeorũ, hirundinũ, fabarũ, ſuccini, ononidis, ſanguinis hirci & cerui? Spirit⁹ vitrioli. oleũ ſuccini, mumia tartari, liquor cryſtalli, oleũ baccarũ, hederę, extractus herniariæ ſuccus, decoctũ potentillæ, infuſum arctopodii, & ſtercoris colũbini in aceto, vel ẽt deſtillata horum,

Saxifraga.

horum, aqua ſtercoris viri ruffi, aqua fungorum, quos á pipere nominat vulgus, infuſa eſſentia lithoſpermi,& ſimilia pene infinita, quanti ſunt in Medicina momẽti? In quo calculo non ad hæc tanquam ad anchoram ſacram, niſi vbi extrema neceſſitas triariorum lithotomorum opem deſiderat, confugitur? An non ſit veriſimile, his ipſis etiam minerales lapides gemmaſque frangi & emolliri poſſe? Quantum ius eſt aquis, quas fortes dicunt, & acribus ſpiritibus in metalla? Quis inficias eat, parem, aut anologam eſſe etiam in cætera? Ferrum inſtar vitri fragile efficiunt, qui id macerant in liquore ſtillatitio, qui fit ex cinabaris, ſalis ammonii, aluminis, ſulphuris viui, tartari albi vnciis ternis, hydrargyri ſublimati triente, vitrioli libra. Quid in idem, eodem definito macerationis termino, in pultem abeat? Qui aceto emolliunt ouorum teſtas, & ſimilia, à mollitie hac peruenire demum ad calcem experiuntur, eademque methodo nonnunquam pulueres ſuos chymici & ſales calceſque conficiunt. Vides curas meas & ſolicitudines, à quibus tamen ideo non poſſum me liberare, quod non intelligam ſatis, quæ quibus conueniant, neque enim omnia omnibus ſunt apta: deinde quod vix mihi perſuadeam, artem poſſe ad mollitiem genuinam & propriam cuilibet peruenire, inſtrumentorum nimirum adminiculo deſtitutam, quodque putem, hominis captum non intel-

Ferrum fragile.

intelligere domesticas rerum proprietates. velim tuam audire sententiam, quidq; de arte sperandum putes.

Gratissimum feceris, si vnâ mecum in hac contemplatione aliquid operæ posueris, & quam benè velis studio chymico, re ipsa declaraueris. Vale

EPISTOLA XXXV. DE LAPIDVM IN arte Chymica emollitione;

Andreæ Libavii ad Nicolaum Petrissium responsoria,

SATIS nota mihi est modestia tua, satis diligentia, ad quam, si quid addi posse humanitus putarem, pluribus te admonerem, ne desineres pergere alacriter in semel suscepto stadio. Nunc non eges monitoris. Ego, qua de re scripsisti, ex tenui paupereque meo penu, tibi respondere annitar. Duplicem esse artium iuuentarum finem Theoricum vnum, qui potius scientia lætatur iucundeque fruitur; practicum alterum, qui scientiæ coniungit vtilitatem, non propriam tantum, sed & publicam, perspectum tibi abundè est. Nō morosus ero censor, si vtrumque tibi propositum fuisse, licet non semper in vno eodemque speciatim opere, dixeris. Quosdam enim lapides quasi ingenii quodam lusu emollire placet, vt conspiciatur potentia artis & naturæ, quomodo narratur ille magus in auctori-

tatem artis suæ, cotem nouacula diuidisse, quam licebat vulgari robore comminuere. Aliàs suadet soluere vsus necessitas, siue Medicinæ gratia, siue plasticæ, vt refingantur ad libitum. Non minus autem in illo luxuriant ingenia, dulcedine laudis ducta, sperantia, se habere cuius admiratione diuinitatem quandam mereantur, credanturque eò à vulgo remotiora esse, quo artis caussa occultior, licet sit absque fructu. Sales ita durari, vt aquis non liquefiant, miretur plebeius. Africa vero circa vticam, inquit PLINIVS, construit aceruos salis ad collium speciem, ex quibus qui Sole Lunaq; induruère, nullo humore liquescunt, & vix etiam ferro cæduntur, quod ipsum euenire nitri in Ægypto cumulis, alibi scribit. Vt domos ex salibus extruas, quemadmodum in Africa & Hispania olim ex terra parietes fornaceos, turresq; terrenas Hannibal incorruptas vento, imbribus, ignib. omnique cæmento firmiores, id artificiũ conducat, aliàs nõ magni momenti inter vsus humanos. Ita ludimus imperitiã vulgi cõminutis in farinam lapidib. iisdemq; iterum glutinatis. Sed, vt de paulo ingeniosioribus tecũ loquar, rectè sentis, qui lapides ex pultacea forma sunt solidati, eos reducendos esse restituto humore, eoq;, si fieri possit, natiuo, si non anologo. Sed hæc restitutio non in omnibus æquè facilis. Glebæ solidæ cõpagem firmam soluas aqua simplici, & reducas ad iustam mensuram

Sal lapidescens.
Lib. 31. c. 7.

Lib. 31. c. 10. circa Memphita lapidescit in aceruis multique sunt tumuli ea de caussa saxei.

Lib. 35. c. 14.

ram

ram retracto fluore. Sed non ita restitueris arefactæ plantæ, aut membro animalis exiccato humorem, q hęc res coniuncta sit cum nutritione quam perditā naturā nō procuraueris. Hic ars quiddā simile molitur, nō ad naturæ perfectionē, sed suum finem, veluti cū extractionis medicæ, aut alimenti gratia aliquid decoquitur, maceraturve, dum satis mollescat. Ita puta & Chymicum quandoq; naturæ vim obtinere per alterum, q naturam habet, quandoq; proprio vti ingenio ad similitudinem naturæ, prout artis institutum postulat. Docuit hic necessitas quædam comminuenda esse & læuigatissimi pollinis specie elaborāda, vt postea per incerationē seu imbibitionē artis, recepto aliquo humore, butyraceā cereamve nanciscātur consistentiā. Nec refert, siue illa comminutio seorsim fiat in marmore per attritionem, siue vnà ab humore, qui compagem soluere, factā per arcedinem cōgenitam viā possit. Retinaculum, seu vinculum tenacius, quam vt sponte remittat humore simplici, vi frangendum, & nonnunquam nodi Gordii Alexandri gladio sunt dissuendi, aut ignibus acetoq; Hannibalis excidendæ alpes, & silices Pliniani ad producendum è regno manium aurum, rumpēdi: sic ergo primo modo emollimus marmora, Corallia, vniones & huiusmodi. Calcinationē aliqui vocant, itaq; conijciunt sua alcalia, Sed nil prohibet plures vnius operę partes esse, & fines distinctos, Calcarios

lapides vulgus reuerberii ignib. ſpoliat humore, poſteaq; affuſa aqua, aut admiſſo aere humido in calcem ſoluit, qua iterũ diluta aquis, maſſas pultaceas intritumq; coaptat, ꝙ & in Gypſo attentatur, quanquam non diffluente aquis, ſed flagellorum verberibus domando molendoq; ad vſus, poſtea ſuos in plaſtica neceſſarios: Iſta certè artificia ex chymia primam acceperunt originem. Quid ni eòdem reuocetur? Famuletur hic corroſio, vſtio, calcinatio & ſimiles Enchiriæ, ſed non, vt calx relinquatur, aut puluis, verum ſuccedente inceratione emollitũ exhibeatur. Studendum eſt, vt ſicubi fieri poteſt, ꝓlectus humor familiaris reddatur repurgatę calci, veluti ſi quis vernicẽ vitreæ cõſiſtentiæ deſtillaret, aquãq; inde excuntẽ corpori emũdato redderet, quantũ ſatis ad mollitiẽ cereã vel quæcunq, placuerint. Sed in multis nõ poteſt ad priſtinũ perueniri, nec tãtum exit humoris. Cõmenta ergo induſtria artificum vicarios liquores eſt, quib. & ſoluatur ſoliditas. & mollities reparetur, quos tamẽ diuerſos in aliquibus neceſſitas exegit, vt ſit alius ſoluens, alius incerans. Sed hoc artificium in aliis quoq; deſcribi ſolet. Huius loci magis eſt id, quo non calx, ſed puls, aut viſcidus liquor producitur, aut ſaltem res ita molleſcit, vt citra fracturam flecti poſſit, idq; cum aliqua conſtantia, vſque ad finem artis, ſeu conſiliũ. Quædam enim molleſcunt quidem, ſed non diu retinent, nec conſtanter mollitiẽ, vt molares

lares aliiq; lapides igne fusi, & vitra cornuaq; calore mollefacta, vsq;, dum typis efformentur. In aliquibus spectatur perpetuitas, vt fiāt vitra flexilia, malleumq; patiantur instar laminarum metallicarum. Reperio huius intentionis formas præceptionesq; nōnullas, quas partim in Alchymia posui, partim reliqui in commentariis. Ex his & hæc est ad gemmas: sanguinis hircini, & anserini pares misceantur oleo papaueris, & aceto acri quanto satis. Coctis in æreo vase infundantur gemmę, & mollefieri creduntur. Restituunt mollefactas lotione ex acri lixiuio, & cum sacculo in frigidā fluminneam immissione triduana. Quo alio hoc fit consilio, quam vt misceri succis & fingi ad placitum possint? Cryſtallus, vitra, & quæcunq; vitream habent compagem, etiam malleo tentantur apta reddi hoc ingenio: Lac vaccinum (bubulę iunioris) filtro purificatum misceatur sale alcali, borace, sale communi præparato & sanguine hircino paribus ad fluidam consistentiam, quæ iniecta vitro coniformi in aëre calido vel aprico suspendatur, donec coëat durescatque. Huius medicaminis in puluerem redacti semuncia permiscetur vitri libra & vna eliquatur. Cum refrixit massa, malleum ferre dicitur. Ecce tibi illam artem, quam periisse Plinius dicit. Temperamento quodam eam constitisse apertè dicit. Modus præsens nihil habet aliud. Sed maior fiducia est in mercuriali humore, seu vapo-

Gemmas molire.

re. Excogitarunt aliqui cryſtalli emollitionem, ad eum modum, quo tu ſcripſiſti frangi Calculos. Marrubii, Myriophylli, abſinthii ſingulos quadrantes ex libra Romana & Saxifragæ albæ dodrantem coquunt in aqua ſenecionis, vel vrina hirci, extrahuntque ſuccum, cui miſcent acetum, ſanguinemque hirci, vel, ſi nondum ſumtum fuit, eiusdem lotium. In hoc clarificato liquore triduana infuſione, & vaſe in cineribus calentibus locato cryſtallum molleſcere affirmant, quem pro libitu fictum reducunt coctione cum ſucco Verbenæ. Vitra vero eodem conſilio per aquam ſtillaritiam leuiſtici dilutam ſale gemmæo tractant. Si terebinthina obunctum vitrum prunis imponas facilè molleſcit. Nonnulli anſeris, caprique ſanguines in lixiuio ex cinere clauellato coquunt, immiſcentes interim aceti parum, & poſtea iniicientes lapides molliendos, quos reducunt aqua calcis. Licet deſtillare aquam ex ſanguine & vrina capricorni, adiectoq; borace & ſale ammonio factitio, lapidem cõminutum in eo liquore macerare, donec emollitus manu typisve queat fingi. Fide dignius tamen hoc eſt, ſi induſtriè peragi poſſit, quod mercurium ſublimat à vitro cũ plumbo molli, quod aqueum dicitur, vt inde accepta humiditate vitrũ euadat malleo obſequens. Nec abſurdum eſt, ita conferre etiam philoſophorum lapidem, aut liquorem Elixyris eorundem.

Vitrum hydrargyro mollire.

Neceſſe

Necesse enim est in artificio ab hoc tenacitatem malleabilem præstari, si debeat suo officio fungi, & artificis spei satisfacere. Quęrendum autem hic est, num maneat transparentia vitrea. Manere posse confido, si quidem corpus non intret, sed spirituosa humiditas, æqualiter extensa & continuata. Quin & corpus ipsum cum sit maximè diuisibile, ita se distribuit, vt nihil impediat perspicuitatem, vt cernere est in solutione per aquas fortes in hydrargyro & metallis. Edomari vero & vinci Saxorum pertinaciam his ipsis accedente calore, ostendit & fusio, quæ facilè procedit, adiecta quarta parte misturæ ex sale ammonio, borace, & halonitro, primum irrigatis vino, postea vrinâ humanâ & resiccatis. Crystalli partes & fragmenta per fusionem vniuntur additis pollini eius sale alcali & halinitro, aliàs negantur fluere. Patet itaque vis salium. De cornibus eodem artificio tractandis apertè præceptum est in arte. Massa quæ inde euadit, cinabaris polline admisto subactoque, sanguinea efficitur; è cerussa Hispanica, alba; è Lazurio, cærulea, & sic deinceps ad libitum. Cum typo infunditur, asperso puluere hyoscyami, teneritatem acquirit maiorem. Postquam siccitatem adepta est iustā, poliri radiq; ex arbitrio potest. Scire ex te velim, quoniam vicinus mari es, an non reddita illi corallia recuperēt pristinam mollitiē, possintq; inde duci, sicut accidere putant à Ber-

Cornua.

berorum ſucco? Multum poteris iuuare hanc artem experimentis ingeniolis. Itaque adiicies priſtinæ ſolertiæ etiam hanc diligentiam & monſtrata via procedes eo alacrius. Quicunque in hoc artificio verſari cupit, illi attendendum eſt, aliud eſſe corrodere & calcinare res, poſteaque componere cum tenace humore: aliud in fuſione immiſcere lenta humidaque aut ſaltem lentorem afferentia mitigatis terreis & attenuatis: aliud macerare in humore: aliud vaporare in fimo, balneo rorido & ſimilibus, abſque calore nimio. Multa certè vis eſt vaporum ex aquis mercuriatis penetrantibus, quibus oſſa facilè euadunt flexilia. Vaporationis, & macerationis communem efficaciam habet crebra deſtillatio eiusdem humoris à calcibus vel alia re eadem. Semper opera danda eſt, vt pateat ſuperficies ingreſſuræ humiditati. Aliàs opera luditur. Conſilii eſt videre, num momentanea debeat eſſe mollities an conſtans. Ibi minus tenax adhærensque humiditas eſt, hic pertinaciſſima. Verboſius tibi reſpondi, quã inſtitueram. Sed quo nos ſoleat interdum rapere farrago rerum animique contemplatio feruentior, noſti expertus. Si quid hinc poſſet augmenti accedere ad medicinam ſaxifragam, vellem id quidem, ſed non eſt par ratio frangendi molliendique lapidis in humano corpore hærentis, ac in catinis olliſque chymicorum. Hydrargyrum nonnulli cum ſulphure, aurove

concre-

concretum eo propinauerunt consilio : sed circumspectæ est res operæ. Alii per vesicam intrudere & catheteribus immittere liquores salis crystallini, tartari similesque attentarunt, sed temerario potius, quàm prudente feliciq; ausu. Est de his sermo alius. Nunc nihil superest, præterquam, vt cures valetudinem tuam. Vale.

EPIST. XXXVI. DE AVGMENto ponderis auri & argenti.

Ad

Vlyssem Mercurium Priscum virum industrium.

MALE verò sit illi, quem scribis radula aut succo quorundam malorum, adiecto calaminari detrahentem monetis aureis, argenteisque, pondus eis restituisse fuco chymico per aquas, cęmenta, & huiusmodi artificia ad imposturam versa. Aut ex eodem metallo deminutis reparandum pondus erat, aut non maioris, quam indicatura valoris interni suadebat moneta expendenda Quid tū postea si hic ex æquo & bono agens simplex, aut fatuus audiat? Mala vicina bonis esse pridem ille scripsit, erroreque illo pro vitiis virtutem sæpe tulisse crimina: sed murus aheneus esto, inquit Horatius: Nil conscire sibi nulla pallescere culpa. Ego in Alchymia non fraudum gratia, sed ad ostendendam artis absolutionem & iucunditatem, quam ex operis

contemplatione hauriunt philosophiæ dediti, nonnulla protuli, quæ tamen si in fraudem quis velit adhibere, facile redarguetur ignitione cùm coloritii pasta, vt appellant. Itaque nec Paracelsi præcipitatus dulcis, quem scribit ingressu in solem suo, vnirici, pondusque afferre maius, nec Thutia cum malorum succo, in quo decoquunt numismata aurea; nec inhumatio & aspersio vrinæ cum stercore columbino: nec maceratio in fecibus vrinæ cum alumine plumoso: nec aqua plumbi, in qua infundunt aurum per noctem, nec tandem liquor ex sale ammonio & ouorum calce, per resolutionem ad augendum argenti pondus fabrefactus, poterunt vsquequaque commendari, quod solidis documentis & examinibus neutiquam constantia reperiuntur, sed si eo consilio vsurpata fuerint, vt quod diminutum pondere in sua substantia est, pro pleno integroque se gerat ad fraudem in contractibus, plane à viri boni, & animo & factis exulabunt. Illa sola mihi placuerit ponderis argumentatio, quæ sui metalli plagas sustinet, quamque artis magistri per fixas vnaque transmutatas procurant medicinas. Vin' tibi huius ex vulgo produci argumentũ? Quartationem aurificum intelligis? Ex ea nunquam sic redit argentum, quin vnum atque alterum granum relinquat, id quod in auri naturam concessisse, persuasum est. Sed hæc non est solitaria ponderis exaltatio Redibit

Artificium de lotio cũ alumine plumoso iuxta literam tentanti, nõ succedit.

dibit hæc contemplatio crebrius: parco itaque nunc verbis, & te valere iubeo.

EPIST. XXXVII. DE IGNIS CAlorisq; nonnullis artificiis.

Ad

Desiderium Campanum Chymiæ peritum.

PLENA admirationis res est, silicum ad chalybem attritu, affrictuque durorum pernici, aut solis fulgore, vel etiam guttula in res igneæ potentiæ immissa excitatum flagrantem halitum nec nisi alieno auxilio viuentem, subindeque intermorientem rursus, tantorum operum, humani ingenii accessu, esse caussam. Pyrobolorum miracula effecere, vt non solum cœlum tonare immenso terribilique fragore posse, nec tantum inde stellarum lapsus volatusque, & ignium missilia exoriri sciant homines. Assit nunc ille apud vetustos Salmoneus, & imitatione flammarum Iouis, tumultuumque cœlestium sibi diuinitatem quærat; ridebitur vel à lixis & calonibus. Quo vero chymia opera ignium peruenit? Rumpit illa rerum naturam, & quicquid omnem sensumfugiens intus latet, in manifesta prostituit luce, tanquam conatu Herculeo ab inferis & sede manium protracta naturæ penetrali parte, & vi reuulsis adapertisque Eleusiniis, aut Harpocrate in verba cōpulso. Ita ignibus sibi viam moliuntur per inuia exercitus, & pene ad orcum penetrant

Metallur-

Metallurgi, vt lapides inde á Plutonis ſede raptos cogant theſauros vomere, montibuſq; in tabem reſolutis, quid tantis molibus, tanquã æterno clauſtro occultauerit rerum parens, oculis videant manibuſque contrectent ſuis. At erat is ignis, quem malleorum incuſſus, & equorum vngulæ ſæpe reddunt. Ea eſt ſcintillia & ſtrictura, quam abradit á chalybe ſilicum attritum acumen, quæque motus velocitate rarefacto ſpiritu paululũ viueſcit, luciſcitq; mox interitura in pabulũ ſubminiſtretur. Ea poſtea abſumuntur vrbes vaſtæq; ſyluæ, & montium ſidunt iuga evomente à barathris intimis flammarum amnes Vulcano. Ea ſternuntur exercitus innumerabiles. Ea ruinam procurabit mundi. Parum eſt, cuniculis diſpoſitos ignes caſtra incendere, & hoſtes, iam conflicturos, inque locum occultatorũ tormentorum pellectos per auras diſpergere: didicerunt etiam peſtes iu obſtantium ora efflare, atque ita ſubito ſpiritum intercipere totis aciebus, quod olim Draco ad Cracouiam perhibetur ciuibus conciliaſſe. Sed te, mi Deſideri, eiuſmodi hiſtoriæ non fugiunt, vtpote quem talium præclarum architectum eſſe vel publice conſtat. Hoc ex te cognitum velim, quid de illa controuerſia ſtatuas, quæ eſt inter chymicos & Philoſophos ex Peripateticorum Medicorumque familia nonnullos de effectu ignis caloriſque eiuſdem. Perſuaſum habent Peripatetici, quanquam non omnes, ignis

gnis vim in ſubiectum inferre ſui ſimilem potentiam, idque à natura priſtina deiectum igneum reddere, quemadmodum axioma habet: Naturalis agentis finis eſt ſimilitudo paſſi, quantum fieri poteſt. Calcarium lapidem noſti ante paſſos ignes in frigidorum cenſu haberi. At poſt eos adeo incaleſcit, vt etiam inter cauſtica locum inuenerit, & affuſa, aqua fumet cum feruore infuſæ. Salſas amaraſque ſcaturigines Philoſophus ex terrarum, combuſtione tranſeunte humore exiſtere ſtatuit. Eæ ſunt calidæ. Quæ vtuntur in Medicorum officinis, Empyreuma contrahere iudicantur, vt fiant ſeipſis longe calidiora acrioraque. Quid, quod & aquam coctam negent tam frigere, quam crudam? Vrgent amplius etiam chymicorum productis inuentis. Quis enim neſcit vinum perſe non ardere, nec aquas ſtillatitias ſuccoſque aquoſos: Et in oleorum omnium cenſu fere vnicam naphtham inuentam eſſe, quæ ignem abſque additamento rapiat? At quæ ignium beneficio comparantur ardentes aquæ, flammam etiam per ſe ſolæ nutriunt & olea lateritia incenduntur penè, vt naphtha, ne quid dicam effectu ipſo deprehenſa eſſe, omnia ignibus confecta calidiora, adeo, vt etiam aquæ ſtillatitiæ tunc elementaris, tum herbarum frigidarum ſint Empyreumatis contracti ſuſpectæ, longeque felicius frigefaciant infuſiones frigidorum ſuccorum, herbarumue, quam iſtæ prolectitiæ.

Controuerſia de ignis effectu.

Argumenta Peripatetica & Medica.

ctitiæ. Si forte euenerit, vt candelam ardentem lychnumue gestans propius naribus admoueas, spiritum inde exhalantem, deprehendes parum differre ab halitibus, qui ex aquis causticis, spiritibusque acribus chalcanthi, sulphuris & aliorum suspirant, & empyreuii graui nares feriunt. Vnde illi, nisi ab eodem? Discrepant certè materiæ? Itaque debebant & halitus. At vbi rebus variis eadem sunt effecta, eadem deprehensa causa, iustius est huic, quam illis assignare euenta. Sed chymici non minore animi robore fiduciaque se se opponunt illis, nec dubitant affirmare ignes suos innoxios nullã inferre peregrinam rebus facultatem, sed quæcunque euenit, eam existere inde, quod vel partes diuersæ primum in materia indiscretæ, ignis beneficio sint segregatæ, quo facto, cum antea sensus effugerint, vtpote validis naturæ claustris impeditæ, iam liberatæ incipiant proprios exercere actus & sensus mouere vel: quòd interiora foras sint producta, cum soleat natura alio vultu apparere foris, alium gestare intus, quę Elementorum amictu occultatum tamdiu à nostro conspectu auerterit, donec Vulcaniis manibus, aut aliqua alia artis opera compulsa eum ostendat, præbeatque sese spectandam non larua aut oscillo, sed vera facie veris inducta coloribus. Comprobant hoc vel ipsius Galeni testimonio, qui certe nulli non succo tribuit diuersas portiones diuersimode affectas,

Defensio chymicorũ

etiam

etiam aceto. Deinde concedunt calcarium lapidem ſenſibus nudis apparere frigidum: Sed negant hos eſſe veros iudices, id quod Arceſilas & Plato quoq; eſt confeſſus, iuxta quem nõ ſenſibus apparentia ſunt vera, ſed quæ intus cognoſcit ratio, quasq; vocat Ideas rerũ ſempiternas, nec in horas mutabiles. Si ergo calcarius lapis per ignem reſolutus eſt, eſſentiam eius calidam dicunt exire, relicta illa capſa Elemẽtari, quæ corpulentia ſua obſtiterat priori iudicio. Volunt.n. ſalem ex calce extractũ eſſe eſſentiam calidam, corpus vero terreum frigidum, vt ita non ſit introducta caliditas vi ignis, ſed quæ inerat per ſeparationem eſſentialem ſegregata. Ita.n. poſtquã ablueris aqua calcem & cineres, ſecedentibus igneæ eſſentię partibus, relinquitur frigidũ corpus, q̃ ante ſolutionem apparebat. Illę vero eſſentiales partes, ſi ab igni eſſent inuectæ, quid aliud forent quam ignis ſimplex? At compoſitam ſubſtantiã, qui non agnoſcit ſeu ex viribus ſeu aliunde fatuus eſt habendus. Idem aſſerunt de cæteris, & fere in pudorẽ coniiciunt Peripateticos cũ ſuo axiomate. In hac cõtrouerſia; quid ſequẽdũm ſit, malim te audire, q̃ ipſe iudicare idque ob hãc cauſam. Videtur Alchymia inter reliqua magiſteria ẽt hoc admittere: quo res integrę exaltẽtur calore, aut reliquis qualitatib⁹, ꝓ vt cõduxerit vſui Medico aliiſue. Id aũt in caloris ꝓductione exaltationeq; fieri neceſſe eſt admoto actu calente, aut raritate ſeu διαχρίσει

& atte-

& attenuatione per motum conciliata, quas duas vias etiam agnouerunt Peripatetici: aut tandem obstantis & actum retinentis separatione, cohibitione, mutationeue. Primum eneruat controuersia. Nam si calor calorem rei non calidæ non affert, temeraria est de alteratione præceptio. Tertium proprie non est magisterii. Non enim totum mutatur, aut nobilius euadit sed essentia extrahitur, separaturue. Restat secundum, nimirum attenuatio per motum & rarefactio per igneos penetrantesque & resoluentes spiritus, quanquam huius beneficio etiam corpus separatum possit exaltari, vt sic quod per se calidum in essentia esset, hac educta suo actu gauderet: reliquię vero per attenuationem elaboratæ atq; item calefactæ, & postliminio iunctæ suæ essentiæ totum calidum exhiberent, qui solus videtur huius magisterii processus esse. Hoc autem concesso, arti nonnihil labis conflari potest. Omnino enim alteratio illa Peripatetica non excludenda est, cum videamus, ignibus caminorum iniurias hyberni aëris pelli, & solis radiis tam efficacem inesse potentiam, vt totum hemisphærium mundi queant calidum feruensq; reddere, & in hominibus perniciosas febres excitare, quam potentiam videtur nemo negare posse, nisi fatuus. Scripsit quidem Aristoteles æstum Solis, motu & attritione procreari, sed cum vicina Soli corpora negauerit calida esse, explosus est vel ab ipso

Calor Aristoteleis ex affrictu.

pſo Peripato, quo iure vero neſcio. Audiui nuper ſubmurmurantem in aurem chymicũ, immeritò damnarî illum quia non intellexerit motum illum localẽ, quamuis declarauerit rẽ, incensâ ſagittâ, & liquefacto motu plumbo, quod ideo factum iudicabat, quia cõiunctus eſt motus localis in hoc exemplo motui alteri, qui verius dicatur alteratio, nõ ratione qualitatis ſolum, ſed & attenuationis in corpore. Quę.n. calefiunt, quâid patiuntur, in ſpiritus reſoluuntur attenuanturq; non ſolo calore, ſed calore cum ſuo ſpiritu coniuncto, quomodo docebat, ſolem quoq; ſpiritu, ſeu ſuo ſolo ſeu admiſſo etiam eo, qui mundo tribuitur, calefacere non quælibet corpora, ſed craſſis tantum tunicis veſtita; cum cœleſtia nec calida nec frigida ſtatueret, atq; ideo his affici non poſſe. Hæc ille Chymicus, quæ tibi conſideranda plenius offero. Interim tamen nõ reformidabo recenſere, quid ſeu Chymici arte propria, ſeu artis ductu ad naturalẽ contemplationem verſi Phyſici, machinari ratione exaltationis in calore poſſint. Nõ.n. dubitandum puto, hoc artificium exaltatoriũ eſſe, cum ſit ad formã & eſſentiam via Semper formalius eſt, ꝙ calidius ſpirituoſiuſq;. Itaque & Philoſophus ignẽ ſuum, hoc eſt, ſpiritum ſubtiliſſimum & proximum cœleſti naturæ, volebat eſſe maximè formæ, quod analogicè ad ignem craſſum & viſibilẽ accõmodari poteſt. Sed in exemplis huius magiſterii nonnunquã

iucunditas cōtemplationis ſola propoſita eſt, nonnunq̃ etiam vtilitas: Et nonnulla concurrunt cum eſſentiali elaboratione. Ita exaltatur ſpiritus quilibet volatilis, circulatione pelicani, adhibito ſurſum frigore, infrà calore moderato, maximè autē vini & oleoſorum, quib. eſt ſubtilior natura. Nonnunq̃ liquores oleoſos ſilicibus aut lateribus candefactis infundimus aut hos in illos immergimus, vt actu caloris ſpirituoſi attenuentur pro libitu artificis, vbi tamē cauendum, ne generoſiores partes feruore inflāmatæ effugiant, & poſt reſtinctionem liquor ille eſt deſtillatione ſeparandus. Calidiora ſic fieri olea euentus docet. Sed eſt tamen cōtentiuncula, quam cum priorib. itē ad te ferendam cenſui. Negari poteſt, hoc artificio calidius quid fieri, quanq̃ attenuetur. Non enim finis is eſt rarefactionis, ſed rarefactum ſubtileq; & penetrans, nec ſemper eſt cōiunctus calor. Quò ſubtili⁹ quid eſt, eò minus calidum frigidumve deprehēditur, adeò, vt ꝗ gradū ſummum, acquiſiuit, cęleſtib. euaſerit familiare quibus ne Peripatus quidē calorem aut frigus aſſcribit. Ita videas hybernū aërem interdum lucidiſſimū rariſſimumq; at frigidiſſimum, cū contrà craſſior ſit calidior: Et æſtiuis quoq; horis in imo fumoſus caleſcat, rarus in montiū iugis frigeat, nec tam caleat ſtipula inflammata, quam ferrum. Vnde nō apud ſubtilitatē quærendus calor videtur, ſed aut mera cęleſtis natura ex Chymicorum

Vtrum quid calidius fiat attenuatione dicta.

ſenſu

ſenſu,aut potius frigus. Vocant hi certè quintam eſſentiã illud vinum ardens circulatum, & laudib. miris vltra omnem efferunt elemẽtorum qualitatem. Quid itaq; in his ſit veri, pro tuo acumine diſpicies. Ego in exemplis pergo. Malthã & Thracium lapidem, ſcribit Plinius aquis incendi,terra reſtingui, ꝙ Theophraſtus, Dioſcorides & alii bitumini & cõgeneribus aſſignant. Exiſtimare licet,naturã exaltatoriam vim in ea exercuiſſe,quam Chymicus arte queat imitari,ſi nimirum ſimiliter diſpoſita ad facilè inflammandi potentiã, ob intus collectum ignẽ,foris aſperſo cõprehendente,meatusq; intercipiente & cogente vim in centrum corpore perducat.Nec ſegnis is in hoc eſt opere, & nonnunꝗ compoſitione id aſſequitur,nonnunquã aliis operationib. An ignoras, quanto feruore metalla exæſtuent affuſis aquis cauſticis? Experire in ferro potiſſimum,plumboq; albo & ſtibio,vim miraberis. Credidit Paracelſus Thermas ita fieri, cũ per calces irreſtinctas tranſcurrunt aquæ, vel mineralia ab acrib.ferueſacienda,vel,cũ conflictus fit aquarũ duarum fortium,quanquam & æſtuaria in Vulcaniis ſubterraneis,vnaq; cũ aquis prorũpentes ignes,bitumine ſulphureque nutriti præſtent idẽ. Vnde ille ſuam ſentẽtiam hauſit,quàm ex hoc artis magiſterio?Fiat aqua ex pulueris ſtibii & hydrargyri ſublimati ſingulis libris , quæ quidẽ coagulat frigore in glaciem,ſoluitur calore.Ei affunde aliam a-

Aqua aquæ confuſa efferueſcens.

quam ex halonitro, alumine, & chalcantho vel colcotaris libra, æruginis ſulphuriſq; ſingulis ſelibris: Videbis vſq; ad ſummum vitri exæſtuare, quod fors deſignauit ille per aquas fortes confuſas, quamuis & vitrioli rubeus ſpiritus recens idem ab aquâ patiatur aut ab oleo tartari, ſeu liquore eius, & Mercuri⁹ Saturni, vel Martis cũ Realgare commiſtus. Eſt hæc induſtria vtilis ad cauteria prouidè procuranda. Nam ſpiritus ſulphuris manu exceptus affuſa gutta ſpiritus tartari, non aliter vrit ac ferrum candens, quæ res nonnunquam in vlceribus malignis, & ſteatomate Gallica lue infectorum tentatur. Refert Turnerus in ſuo auro potabili cum calci ſolis affunditur oleũ caphuræ, ſimilem excitari feruorem, quæ certè mira Philoſophia ſoli Chymicorum debetur inuento, & tamẽ videtur in Peripato fundari. Nam & hic ex affrictu duorum frigidorum exoritur calor; Et credi poteſt, iſtas res, dum ſe penetrant mutuo minimis particulis, depugnantq; attritu vicatio, ſpiritib. attenuatione factis prorumpentibus, craſſiora efferueſcere, licet & ipſi ſpiritus exeuntes admodũ caleant, quod aliquoties in ſolutione ferri & æris obſeruaui, materia licet pauca, tamen cucurbitulam exuperante exundanteq;, & adeo ipſo vitro incaleſcente, vt manũ adureret. Huius loci eſt ludicrum iſtud, quo flammam ex puteo emicare faciũt, impleta ſcil. oui teſta calce viua, & ſulphure vel caphura & iniecta: quomodo

Flamma ex puteo.

quomodo & sulphur cum calce viua, oleoque lini & gummi Arabico caphuraq; commistum ab aqua flammam trahit, & nonnulli ex puluere pyrio, camphora, calce, asbesto, oleo laterum & vini spiritu, adiecta mastiche, concinnant lapidem sputo inflammabilem ad necessitates nocturnas. Alii fomitem è vestigio flammam rapientem in hunc modum cōparāt: Arborum fungi maximi, fibrosi à ligno benè repurgati coquantur in lixiuio calcis viuæ, ita, vt ad eius libram adiectus sit sulphuris sextans, & halonitri semuncia. Coctio peragitur ad succum, atque vberius etiam fungi portiones in sole apricantur, dum expirauerit humiditas. Post soluitur caphura in oleum cumque spiritu vini inspergitur exiccatis particulis, idque sæpius, semper reficcatione præcedente. Hic fomes seruari in thure potest ad vsum. Neget fortassis aliquis huiusmodi artificia ad igneam vim caloremque exaltatum pertinere: sed certum est, nihil flammarum rapax esse, & cremium, nisi, quod proxima potentia ad ipsas est dispositum, vt naphtha, oleum laterum, ligna resinosa, caphura, &c. quæ vel spiritus sunt concreti, vel tales in se habent halitus, quales videmus incendi in nubibus, & cum presteribus deferri. Sequitur autem igneam potentiam calor, & vna actuatur. Ita stercus columbinum ob nitrositatem pinguem à solis radiis exardescit, datoq; pabulo inflammat.

Fomes rapax ignis.

Verumenimuero loco corollarii recreandus es solertia nonnullorum, qua Empyreumata tollunt, & quasdam res ab ignium calorisq; iniuria defendunt. Id vulgo fit terrarum aggestu & alumine. Destillatores plebei, cum persuasum habeant, fortes aquarū oleorumq; spiritus ab ignium vehementia esse; vitra aliquandiu aperta relinquunt in libero aëre, aut saltem opercula eorum perforant acu: quæ ratio, an satis sit solida, nondum inquisiui. In multis certè peccari non ignoro. Aurifices, quibus sæpè res est cum aquis causticis, vngunt manus Sebo, & si fortè arrosæ sunt, lauant aqua restinctarum prunarum mollium & affricant lateri cocto. Quidam promittunt artem hauriendi manu nuda eliquatum plumbum absq; noxa, quomodo memorant, alium ex testa argentum fusum extraxisse. Medicinas comminiscuntur varias ex vnctuosis frigidis, vt succo semper viui, mista cerussa & aliis. Est, qui salis vulgaris duos manipulos & vnciam ammonii soluit in aqua lithargyri, vel lacte virginis, itaque inungit post digestionem quatuordecim dierum, confisus plumbum feruefactum impunè haurire posse.

Tollere Empyreumata.

Reprehenditur, à Ryffio rectè in stillatitiis aquis.

Manu liquatum plumbum haurire.

Olim ferri candentis gestatione sese purgabant rei. Sed callidus artifex eas perungeret prius succo portulacæ, felle tauri, & hydrargyro iuncta cerussa. Sæpè præcipiunt sulphur & arsenicum elaboranda esse, ne flammam

In Historia Ottonis III. Imp. vbi Comes Mutinensis ita probat innocentiam manu.

flammam corripiant. Id aliqui infuſione in aqua forti putant ſe aſſecuturos, alii coctione in lixiuio craſſo; nuper quidam negabat, id ardere, ſi octiduo in vini acri aceto iacuiſſet. Eſt & hoc in arcanis ſapientum, non quidem chymicum, ſed tamen inter manus chymicorum natum, nimirum oua percoqui aqua non poſſe, ſi in fundo lebetis, antequam calefiat, ſit arena vel cinis. Quando ioculari moleſtia ſtimulare coquum placuerit, iſthac vteris calliditate. Illud omnibus & lippis notum & tonſoribus eſt, filum ouo circumdatum non vri inter torrendum, fatiganturque explicatione etiã magni viri, cum coquis nihil ſit familiarius, quam aſſari capos & torreri ſaluis pilis. Sed ne congeram ómnia in vnum aceruum, ſatis ſic onuſtum te dimitto. Vale. 19. Ian. anni. 98.

Oua non percoqui.

EPISTOLA XXXIIX. DE COLORATIONIS MAGISTERIO, AD Polycarpum Strophium Carmelitam.

DELECTATVM te eſſe diſputatione illa, quam aliquando de ſenſuum principatu habuimus, indicauit mihi Strophi, frater tuus. Equidem, non miror, eſſe in te indolem animique motum viro ſpectato dignum, qui non cupiditate pecunia ducitur, ſed rerum

optimarum in natura contemplatione iucundè afficitur, & ad eam diuertit crebrò. Hoc velim addidiſſet ille, num adhuc firma conſtansque tibi ſit de viſus inter ſenſus reliquos excellentia, ſecundum Ariſtotelem, qui eum & maximè ſenſum eſſe ſcripſit, gratiſſimumque & ad vitæ neceſſaria meliorem, prætulitque auditui, quod hic rerum ſcientiam ex accidente videatur gignere, & pauciores cognoſcere differentias, ille vero per ſe afferat, tanto nobiliore ſubiecto occupatus, quantum ſono antecellit color, cum luce, quantoque plures cum his ſunt rerum notæ. Mihi vero auditus placuit dignitas, tanto ſuperior præſtantiorque viſu, quantum intellectus artium, omniſque generis diuinæ humanæque ſapientiæ acquiſitio & poſſeſſio anteit colorum inane oblectamẽtum. Nec ſcio, maiorne ſit colorum varietas, an ſonorum, nòn tantum harmonicis tam variis, ſed & vocibus: vnde tot beſtiarum diſcrepantes ſoni, tot gentium linguæ; Et debile admodum eſt argumentum de viſu per ſe res capiente, cum non magis colorum beneficio differentias cęteras ſentiat, quàm auditus ſonorum. Putaueram, me tibi perſuaſiſſe, quod ex auditu ſit fides, inſtrumentum nimirum ſummæ beatitudinis, quodque ab ipſo rerum principe & ſolo ſapiente iudice Saluatore noſtro beati iudicentur, non qui vident, ſed qui credunt ex auditu, de quibus argumentis coram audiuiſti, & per-

Ariſt. de ſenſu cap. 1. 2. de antec. 661.

Auditus viſu excellentior.

& persuasum habeo te meminisse. Atqui astipulari tibi videtur etiam chymicorum chorus Tanti enim his est colorum affectatio, vt inter magisteria sua retulerint chromatismum, eumq; tum longe studiosius inuestigauerint, tum præceptis instruxerint pluribus, quam soni conciliandi artificium. Quis quæso, non dicam ex isto genere, sed ex plebe est, cui non eximie placeat color ille lunaris, & splendens argenti nitor, solarisque in auro fulgor? Quis non diuinum quiddam inesse his existimarit; cum & principes mundi dominatu admirandi inde sibi maiestatem admirationemque quæsiuerint, & subditi acclamationibus beatis ob diuinum splendorem, irradiationemq; cœlestem, diis eos adæquarint? De Herode argentea tunica fulgido nota est historia. Aurea indutus triumphauit Tarquinius Priscus, ita formidandus populo, & vltra humanum aliquid consequi posse sperans. Quid fuit vt Nero Theatrum Pompeii in gratiam Tyridatis Armenorum Regis operuerit auro, domumque instruxerit auream, totum penè oppidum ambientem? Quid spectarunt illi reges, templis auro incrustatis, & scenis theatrisque argento oppletis, quin & balneis laminis argenteis stratis, & muliebri vestitu soleisque totis ex solido, aut netili auro, quomodo se Agrippina Claudii Principis, Poppea Neronis & alię olim præter gemmarum pondera populo ostentarunt? Coloris dignitatem in istis com-

Argentea tunica.

mendarunt: indeque sibi maiestatis nonnihil & metum quæsiuerunt, quod in se haberet fulgoris admirabilem præeminentiam. Negat quidem Plinius, colorem in his spectatum esse, & præsertim in auro, cum in argento sit clarior magisque diei similis, & ideo militaribus signis familiarior, vtpote longius fulgens, errantibus his qui in auro colorem syderum placuisse arbitrantur, cum in gemmis aliisque rebus is non sit præcipuus. Atque ille ipse in auro requirit igneum fulgorem, tanquam vnam eius sincerissimi prærogatiuam, & cum argenti splendorem adeo cõmendat, nonnihil ei excellentiæ tribuit, peccans in argumento quoque. Non enim transferendus erat ad alia color, sed in sua re considerandus. Est enim natiuus suo corpori præclarus, qui in peregrino non admodum commendatur, vt marmoreus candor non in homine dignitatem laudemque meretur, sed in marmore. Chymici omnia metalla studuerunt ad auri argentique vultum radiantem perducere, atque ideo tot laboribus tam exquisitè excogitarunt tingendi modos. Nec in metallis tantum elaboraruut colorandis, sed & ad Gemmas, lanas, ligna, aliaque plurima curas transtulerunt vigilantissimas. Vides, quantis fulcris tua innitatur opinio quamq; circumualletur argumentorum solidissimorum robore Si progredi velis, non deerunt tibi firmamẽta etiam plura. Colorare quidem illi & ex aspectu, ocu-

Compratio Coloris aurei & argentei.

ctu oculorumque iudicio ſummam dignitatem adiicere voluerunt metallis, gemmis, lanis, veſtibus, lignis, floribus aliiſque tum plantarum tum animalium partibus, in quibus valet illa Medicis quoque aſſumpta coſmetica, & nonnunquam etiam miracula colorum per ſpeculorum refractiones luminũq; magiam in terrorem hominum & artis exiſtimationem diuinam procurare: Sed quam induſtria multiplici? Parum erat foris adiecisse maieſtatem rebus: etiam totas eodem tinxerunt ingenio, ne quod oculis obiicerent, crederentur fuco doloue facere, ſed gemina penitusque indita poteſtate, adeò vt etiam naturam ipſam corrigere& ſuperare ſtudio contenderint. In hoc miniſtrarunt eis non vulgaria artificia, penè ſacra eſt chymicorum ſocietati proiectio. In myſteriis enim eorum adytisque diu hæſit, tantum ab acceſſu vulgi remota, quantum olim ille ignis Veſtę ſacer. Illa præſtiterunt eas tincturas, quas non aliunde aſcitas, nec datas, ſed innatas crederes, idque nõ raro cum ſubſtantiæ tranſmutatione. Succeſſerunt huic nutritiones non minus ſacræ: quin & exiſtinctiones, cæmentationes, maturationes, & omne exaltationum chymicarum genus, cui ſeruiit nonnunquam maceratio, afflatus igneus, ablutio, & nonnullæ aliæ ex inferiorum operarum claſſe. Quod ſi finem huius laboris ſpectes, deprehendes certé primum in colore quæſitum perfectionis cha-

Operationes per quas adminiſtratur coloratio.

nis characterem, idque vno iudicio sincerum & probum esse existimatum, quod in suo genere colorem haberet absolutum. Itaque & metallorum scrutatores, excoctoresque cum aurificibus, & cæteris, qui in metallis elaborant, studiose attendunt tincturam cuilibet metallo summam, & repudiant id, quod hic deficit, nec potest excellenter tingi. Tanti est vnumquodq;, quantum accedit abestue summo. Hæc perfectio etiam his proposita est, qui verorum simulacra conficiunt, operam dantes, vt æs, aut ferrum auri argentiue vultu resplendeat, quanquam nihil habeant illorum, & hoc spectarunt etiam pictores, iudicantes effigies amari & magnipendi ob gratiam iucunditatemque oculis expetitam, etiamsi duntaxat vmbra veri esset. Feliciter autem succedente artificio, de constantia perpetuitateque cogitatum fuit, & eo tandem peruentum, vt in transmutatione quoque valeret color, & tinctura Philosophorum inde sibi acquireret nomen. Cæteris placuit variatio naturalium rerum & iucunditas, quam mutato vultu naturæ exhiberet. Non enim est nulla contemplationis naturalis pars mutationes colorum perspicere, & qua de causa quælibet eueniat. Difficilima certe est colorum doctrina, quemadmodum constat ipsorum philosophorum querelis & confessione. Eò itaque fructiosius se philosophari posse persuasum habuerunt, quo diligentius in hanc naturæ partem in qui-

quirerent. Neglectior fortaſſis alicui videbitur vellerum tingendorum ratio. Ad eam ſuis explicare commentariis non erubuerunt Philoſophi, vt arguit tum Ariſtotelis de coloribus tractatus, tum Theophraſti, Plinii, aliorumque frequens de iiſdem mentio. Omnino placuit hoc artificium in publico. Vnde & ad mercimonia tranſiit, eoque precioſius habitum quid eſt, quo colore vegetius abſente fuco cætero. Placuit domi in mangoniis corporis veſtium & ſupellectilis, quæ etiam ad menſarum gloriam & ornamentum quæſita eſt, vt paruo liceret magnificum eſſe. Placuit demũ in circulis Philoſophorum, iuſta viſa materia de qua & colloquerentur inquirerentque ingenioſi; & cuius ſcientia ſe apud alios commendarent. Quam luculentum itaque hoc ſit argumentum, patet. Caue vero triumphes arrepto hoc clypeo. Splendidus robuſtusque erat Regis Perſici exercitus, vtpote ſepties & octuaginta octo millia hominum, Plinio teſte, epulo Pyrrhii Bithini exhibens, tantumque abundans opibus, vt non accipere à ditiſſimo hoſpite vellet, ſed eiuſdem theſauris addere: Et tamen à parua Græcorum manu intra ligneos muros vincebatur. Ego confido, me tibi fore Themiſtoclem, tu defende Xerxis locum,

& Vale.

EPIST.

EPIST. XXXIX DE MAGISTERIO COlorationis per proiectionem, cæmentationem, afflatum spiritalem seu omnino formali.

Ad
Chrysocomum Argenterium virum ornatum.

GRATA mihi tui memoria, Argenteri, est non tantum hoc nomine, quod nostro seculo, & nonnullis etiam vetustis primos ad omnem dignitatem & splendorem habes accessus, nec facile vnquam repulsam tulisti, id quod magnorum præsidiorum, insignisque virtutis est opus, verum etiam quod tua diligentia, & opera tum sustentatur nostra scientia, tum magna spe eximiorum bonorum fruitur, & ob id etiam principibus studiose expetitur. Vtinam vero sincero animo fauorem tuum ambirent omnes, & non potius commendatitiis fictis, & furtim rapto signo, aut fucata specie simulataque amicitia tuum prçferrent nomen. Maiori id esset nostræ arti honori. Sed, vt iucundum mihi est, quicquid ex te benevolentiæ proficiscitur, ita spero non displiciturum tibi colloquium meum. Erit id de parte aliqua studiorum nostrorum, ne forte id tanquam alienum ingratumque aspernere. Fas autē est omnes de suis malle inquirere, &audire, quam temeraria curiositate in aliena eaque, quæ nihil ad se attinent, involare. Ita enim iubet Plato quoque τὰ ἑαυτοῦ πράττειν, & est inter delphicas hęc quoque

quoque sententia, quæ mandat ἑαυτὸν γνῶναι.
Sed, ne sim prolixior, scito, quæstionem inter quosdam eius artis socios exortam esse, de illo Paracelsico: Primum Ens vitrioli mutat omnia corpora alba in rubra, & rubra in alba; de cuius interpretatione, cum inquirerent disceptarentque diligenter, tandem ita discesserunt, vt consultores illi apud Terentium, relicta nimirum re incertiore. Prouocatum ad tuam solertiam est, quam sperabamus hũc nõdum posse soluere. Prima Entia, vnde fiant nimirum ex matrice, primoque seminario cuiuslibet, veluti auri ex minera auri, in qua consistere & nasci solet, noueramus. Itaque & chalcanthi essentiam illam ex plantario minerali exculpendam putabamus. Est autem cum alumine nonnunquam, nonnunquam cum sulphure & aliâs omni generi metallorum connascitur, & marcasitis associatur, nec raro inexplicabilis in minera eius deprehenditur varietas. Prima itaque cura fuit, de vnáne eademque re loqueretur ille, an de diuersis, quorũ hoc eò similius veri est, quo maior est varietas naturæ eiusdem: illud per se quidem tingere aduersis coloribus non potest, at tum apparatu diuerso, tum vsu & subiecti potentia accedente, posse asserebamus. Satis quidem hæc probabiliter videntur iudicata: Sed quo artificio assequemur scopum? Num proiectione, cæmentòue? An mistione aliisue? Cogitabam, quid artifices cinabari tribue-

Quæstio de dicto Paracelsi.

Ens primũ.

tribuerint. Eſt ea rapax animæ auri & argenti. Cum itaque aureo pulueri, aut bracteis iunctam in reuerberio cementarunt, auream inde ſeu tincturam, ſeu augmentum pollicentur. Si argento, argentea hæc ipſa. Vnde non abſurde quis loquatur, ſi dixerit, cinabarim alba rubefacere, & rubea dealbare. Quid ſi vitriolum Paracelſi, vtpote ſtudioſi huiuſmodi crypſeon, ſit cinabaris diuerſi apparatus? Veruntamen, cur omnia corpora alba rubro tingi pronunciauit, cum conſtet, in metallis tantum id artificium inſtitui, non in cæteris, multo minus omnia rubra quærendum dealbare, cũ aurũ nemo dealbet niſi veſanus. Hoc ænigma tua ſapientia expediendum optamus omnes. Deinde de colorationis ſpiritalis ſeu formalis magiſterio, quod maxime fit per proiectionem, & incerationem non minus contentioſe in conuentu noſtro agebatur. Quidam vocabant tincturam, quidam aduerſabantur, quod ea vox eſſentiæ myſticæ antiquitus ſit attributa inde quod ſuum ſubiectum tinxerit, non quod ad alia tingenda accommodata ſit principaliter, licet poſſit, ſed citra tingendi conſilium ſæpiſſimè medicinæ cauſa comparata. Videbatur mihi tunc non abſurda eſſe vtraque ratio. Cur enim non ab effectu in proprio & alio corpore poſſit dici id, quod vtrumque vſum præſtare ſolet? Colorat ſuum corpus, ſed translatum ingenioſe ad aliud, etiam hoc inficit colore ſuo, quod

Coloratio per proiectionem, an recte tinctura dicta.

tingere

tingere vocamus. Hoc autem aliquando cum transmutatione est, aliquando cum aliis; nõnunquam solitarium. Quando in Medicinâ ad restitutionem valetudinis afflictæ adhibetur, quidam metaphorico vocabuli vsu, item tincturam procurari aiunt. Non contendendum de vocabulis arbitrabar, sicubi lux rerum oculos animi sincerè illustrat. Eadem euidentia etiam fines discernit. Quanquam enim tingere nonnunquam est substantialiter inducto colore perfecto cum formâ transmutare: idque fit magisterio suo: tamen etiam alter finis, qui oblectamenti, ornamentive gratia colorat, non est repudiandus, sed cum honesti cautela. Neutiquam enim coloratio solitaria, siue fiat spiritaliter, siue corporis admistione, euehenda in locum transmutatoriæ tincturæ est, cum hoc absq; fraudis suspicione & iactura honestatis fieri non possit. Voles rem apertius declarari, vt, de qua tandem coloratione loquar, videas, Scito ergo, me de hac disserere, quam etiam Philosophus in doctrinâ mistionum significauit his verbis: ὅταν ᾖ θάτερον μόνον παθητικὸν, ἢ σφόδρα, τὸ δὲ πάμπαν ἠρέμα, ἢ οὐδὲν πλεῖον τὸ μιχθὲν εἶναι ἀμφοῖν, ἢ μικρὸν ὅπερ συμβαίνει περὶ τὸν καττίτερον καὶ τὸν χαλκόν. Ἔνια γὰρ ψελλίζεται πρὸς ἄλληλα τῶν ὄντων, καὶ ἐπαμφοτερίζει. φαίνεται γὰρ πῶς καὶ μικτὰ ἠρέμα, καὶ ὡς θάτερον μὲν δεκτικόν, θάτερον δὲ εἶδος, ὅπερ καὶ ἐπὶ τούτων συμβαίνει. Ὁ γὰρ καττίτερος ὡς πάθος τι ὢν ἄνευ ὕλης τοῦ χαλκοῦ σχε-

Tinctura alia magistralis, alia essentialis.

Coloratio formalis, quæ tamen aliquando cum transmutatione.

δὸν ἀφανίζεται, καὶ μιχθεὶς ἄπεισι χρῶμα ἴσως μόνον. ταὐτὸ δὲ τοῦτο συμβαίνει καὶ ἐφ᾽ ἑτέρων. Dicit nimirum quædam miſceri quibusdam nō corporea mole, quanquam color nequeat ſine omni ſubiecto eſſe, ſed formaliter, vt videantur duntaxat colorem contuliſſe. Hanc nunc tingendi rationem propono, in qua vides, id, quod colorat, debere eſſe ſubtilis diuiſibiliſq; Eſſentiæ, vt pauca eius portio colorandi vi magna multum corporis poſſit comprehendere, & æqualiter colorare. Non autem poſſunt omnia tam exactè determinari. Itaq; huc reuoco tum illa exempla, quæ nullibi excedant, ſed æquilibrio veluti congruunt præcepto, tum ea, quæ parumper videntur de corpore afferre, & euidentiora miſturæ veſtigia obtinere, quamuis aliud ſit de compoſitione factis magiſteriis documentum. Si res verbis egeret pluribus, non paterer eorum copiam in me deſiderari. Nunc ſapienti ſat dictum volo. Vale.

EPISTOLA XL. DE COLORATIONIS *magiſterio per exempla;*

AD

Chryſocomum Argenterium virum honeſtum.

TVN' autem non intellexeris, quæ nuper ſcripſi? Certò tibi perſuade, nihil mea ſponte eueniſſe, ſed fato. Hac enim excuſa-

ſatione

ſatione nunc ad te vtar, quando video vetuſtis temporibus admodum vſitatam fuiſſe, cum ſcripſit Iouis verbis Homerus:

Ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, &c.

Si hoc tibi non ſatisfacit, fias Ariſtarchus, & quod non probas, non puta eſſe meum. Studui enim valdè populariter ſcribere. Quid ſi verò ab ouo vſque ad mala, more conuiuantium, in eodem permaneamus ſympoſio, & vſque ad hyſſopum cum ſapientiſſimo regum ſermonem protrahamus? Enimuero exemplis opus habet, qui ἐν τοῖς καθόλȣ impingit. Aurificium colorationis per ſpecificam formalemve tincturam ſuper res colorandas proiectam excellit, potiſſimum in metallis & gemmis, quæ ob hoc vel fundere oportet, vt fluant, vel incerare ignita, quanquam non negem vicariis operationibus idem poſſe perfici Oportet & tincturas ipſas in parato eſſe & elaboratas magiſterii, vel eſſentiarum adminiculis, vt obtineant vel pulueris inſtar vel liquoris, vel pulticulæ, quo ingredi ex voto poſſint. Metalla ipſa gemmaſque accipimus puras à cætera labe, & ad combibendum colorem aptas. Nec negandum eſt, interdum cogi ſorbere, quemadmodum Plinius ſcribit de Chryſocolla, & excoctores minerarum ſæpiſſimè moliuntur, vnà cum his, qui Mercurii ope aurum à cæteris ſegregant: interdum addita Medicina colorem alligandum figen-

dumque esse, ne fallaci, fluxaque specie tandem nos decipiat, & cum pudore deserat, sicut euenit incautis in atramento; Cui adiectus est sal ammonius. Literæ enim licet initio sint satis luculentæ, tandem tamen euanescunt, &, vt in improba moneta detersa superficie æs elucescit, ita emergit fucus in coloratis, ni caueamus. Prudentius agunt, qui non volaticas, sed fixas conquirunt tincturas, quæque pertinaci cohæsu nullo cruciatu deserunt suum subiectum, nec prodũnt fucum, Leænâ illa longè constantiores, quæ ne tormentis quidem indicabat conspirationis in Tyrannum Atheniensem consilia ab Harmodio & Aristogitone conflata. Veruntamen aliquo in numero sunt etiam hæ, quæ proximam præstant constantiam, licet non summam. Ita colorantur in metallis primum aurum ipsum, & argentum quandocunque à perfectionis termino aliquo vitio discessere, aurumque pallet, (qui pallor auro etiam puro inest, nec placet in monetis, & Clenodiis, quæ mistura ob id perficiuntur) aut gryscit, vel argentum nigrum est, aut plumbeum, aliterve infra gradum suum constitutum. Postea cum aurum argentumque, tanquam rex & regina inter metalla dominentur, summopereque & ad necessitatem & ornatum appetantur, vt minus sumptuosè quidem, attamen speciose & magnificè nos geramus, conciliant artifices illorum vultum inferioribus,

Plin. lib. 34. cap 8.

ribus,vt,ſi non re, ſpecie tamen illorum loco deſideriis noſtris famulentur. Par ratio eſt gemmarum, & has æmulantium vitrorum. Sed de auro videamus primum. Naſcitur in Syria,vt ait Plinius,pigmentum auri, ex quo Nero Imperator aurum excoxit, quanquam damnoſe.Ei nomen ab argumento eſt.

Auri coloratio.

Auro enim pallidiori pingendo ab ipſa deſtinatum eſt natura. Artifex itaque aut puluerem eius formalem, hoc eſt tincturam fuſo immiſcebit, aut candenti inſeminabit, aut tandem liquorem eſſentialem aſperget. Qui officinis auri vulgaribus præſunt,coloritii ſui materia ad hunc modum vtuntur. Capiunt enim hydrargyri ſublimati ſemunciam, ſalis ammonii ſicilicū, æruginis drachmam, quas ſeorſim tritas,poſteàque permiſtas oleo tartari madefaciunt, & cum aurum propè fulmen eſt,immittunt. Hoc facto exemptum è catillo illud ipſum linteolo tegunt madido, & huic inſternunt auri coloritium. Sic intus foriſq; colorem auri perficiunt. Id ipſum & ſic aſſequuntur: Boracis Veneti,ſalis ammonii, Lazurii Vngarici, Thutię vſtę, ſingulæ drachmæ; Hydrargyri ſublimati ſemidrachma; Curcumę Sicilicus,omnia in puluerem comminuta miſceantur ceræ rubræ quadranti, & conformentur in globulos, quorum vnum atque alterum pro neceſſitate proiice ſuper aurum pallidum eliquatum donec inſtar aquæ puræ conſiſtat. Tunc eff[illegible]de in canalem melle il-

Coloritium auri quo extergetur.

 litum

litum. Sed nostri artifices illarum rerum magisteria amplius elaborata vsurparent, nec sublimatum simpliciter, sed fixum, idq; cum aqua Martis caperent. Quod gryseum est, hoc est, extracta tinctura relictum, simplicius quidem, sed tamen ad omnem vsum probatè tingunt auro absolutissimo, ita, vt eius semunciæ infundant huius drachmam, dum est in fluxu super testa. Licebit tamen & vtramque partem regia soluere seorsim, postea commiscere, digestioneque horis 24. facta coagulare, & puluerem cum borace reducere. Ab hac etiam suspicio fraudis abest, nisi quæ antecessit. Nec chymicus culpandus, qui naturæ vitium correxerit auri anima, aut tinctura per cæmentum exaltata.

Aurum gryseum tingere.

Argentum colore deficiens in catino cinereo fulminatur, cumque iam iam effulsurum est, conspergitur pauco hydrargyro sublimato, qui imbutus sit tartari oleo. Hinc eximiam acquirit albedinem, eamque fixam, si ille sit cònstans. Ecce vero de sublimato quoque affirmes non absurdè id, quod Paracelsus de vitriolo. Certè enim, si is cum calce tinctura ve Lunæ sit apparatus, aut enutritus, albo tinget corpora rubra; sin cum aqua Solis, aut Martis, rubefaciet alba, idque spiritaliter, cum sit spirituum subtilissimus, & parua quantitate plurimum comprehendat, longè felicius, quam cassiteros Aristotelis. Fit autem is ex chalcantho & argen[illegible]ao adiecto ammonio.

Chromatismus argenti.

Hydrargyrus & rubro & albo tingit.

monio. Diuinare licet illum obſcurum lingua hominem nomine partis intellexiſſe totum. Sed libet etiam de cæteris verba facere.

Argentum aureo colore donare.

Argentum conſtanter coloratur auri tinctura per regiam, aut hanc aquam extractâ: Chalcanthi, halonitri ſingulæ libræ deſtillentur in aquam fortem lege artis. Eam affunde ſextanti cinabaris in vitro craſſo. In balneo ſubtrahe phlegma. Reliquum transfer ad cineres, vel reuerberium vitroque lutato elice, quanquam lentè, ſpiritus totos, eosque age in conceptaculum, in quo ſit tantum aquæ vitæ, quanta fuit ab initio aqua fortis. Hoc ſpiritu animam auri extrahes, relicto puluere gryſeo, quem poteris in ſuum colorem exaltare, paulo ante ſcripto magiſterio. Anima ſeu tinctura illa poteſt cæmento illuſtrior altiorque fieri, quanquam repetito regali etiam totum corpus ſolare in fermentum tingens tranſeat. Si proiicere ſuper argentum cupis, purgatum hoc debet eſſe, &c, vt aſſequaris vim arcani philoſophici ſeu lapidis, prius fixum. Ita nunquam te nec pudebit, nec pœnitebit huius artis. Paulo inferior gradus eſt per tincturam antimonii, & hydrargyrum præcipitatum fixum, ſulphurque fixum & reliqua. Attamen etiam hic operæ precium feceris ad delicias & ornamentum domeſticum. Quid ſi placeret hoc modo rem aggredi? Salis petræ partem vnam, vitrio-

li duas, salis ammonii quatuor, destilla in aquã regiam, donec ruber fumus ascendat, & caue, ne vitrum diffringatur. In hac solue sulphur rubeum ex auri pyrite, vel separatim confectam tincturam sulphuris, aut stibii rubeam commisce. Cumq; colorem traxit, destilla, & affunde nouo sulphuri idq; toties repete, donec aqua erubuerit sanguinis instar, in cuius triplo solue vnam auri cæmentati partem, & vitro hermeticè clauso, subtusque loricato coagula in puluerem, & omnino huc contende, vt medicina in lamina fluat sine fumo instar ceræ. Huius, si paululum proieceris super laminam argenti, aut æris candentem (centuplo maiorem) efficies auri speciem. Tale artificium particulare vocant, satisque arroganter repudiant, qui nec hoc, nec vniuersale præparare possunt, cum tamen suo fine non sit contemnendum. Plura autem huiusmodi medicamenta passim inueninntur, nec rarò tanto cum supercilio, vt reliqua omnia præ suo contemnant nonnulli, præfigantque nomina Lapidis Aristotelis, Auicennæ, Hermetis, Gebri, sapientum, noli dicere, & huiusmodi vana alia.

Demens forem, si in commentarium chartamque coniicere vellem singula. In ære dealbando per projectionem Spiritalem tantum elaboratum est, quantum in nullo alio metallo. Itaque etiam innumerabiles eius tincturæ sunt repertæ, tam ad solis æmulationem

Aeris color.

nem

nem, quàm ad lunæ, ſeu argenti. Ad argentum per cinabarim, huiuſmodi præcipiunt: ſepeli cinabarim in ſcobe argenti miſta pari borace, & horis 24. in reuerberio vaſe clauſo cęmenta. Si pondera requiris: cape puluerum ſingulas ſemuncias, & cinabaris vncias quatuor, & ſtrata permuta. Huius vna portio proiecta ſuper triplum æris, tingit id in argenti ſpeciem. Catinus fuſionis cum ſuo operculo oblinatur lithargyro ex aceto cocto, tritoque & miſto albumine. Si pro argento aurum adhibueris, aurum fiet. Vtrobique tamen æs debet eſſe fixum. Vereor, ne dicas me impoſturas ſcribere, cum meum ſtudium tibi velit proponere chymica artificia. Alioquin adiicerem plura. Quid tamen nocuerit etiam vilia cognouiſſe? Si arſenici cryſtallini ſeſquitres vncias capias, Talci vero & hydrargyri ſublimati fixi, ſaliſque ammonii ſingulas ſemuncias, halonitri ſextantem, inque olla vitrata prunis admoueris, ſed tamen lenti caloris initio, poſtea auctioris, donec follibus inſpirantibus fumus deſinat: fixam medicinam ad æs tingendum parare poteris, quæ in olla relinquenda eſt, donec per ſe refrigeſcat. Eius ſemuncia æris eliquati vnciis quatuor immiſcetur, & poſtea etiam argenti ſextans. Fuſa omnia ſimul effundũtur in canalem melle illitum. Fuco hæc ars non caret, ſi vti fraudulenter velis. Attamen iudicandum erit expreſſiſſe argenti vultum, nec non precioſum,

 cum

cum ipſum argentum non abſit. Eſt qui puluerem chelidonii maioris miſtum ſtibii polline ſuper æs Vngaricum aut Mansfeldenſe, Bohemicumue in catino fuſorio proiicit, & in conum effuſione facta regulum emergentem cum plumbo & borace fulminat, ſperatq; ex æris libra vna auri drachmam. Separatióne hæc eſt, an tinctura? Mihi videtur illa. Non.n. video, ſi tinctura ſit, cur non plus coloret: Et tamen ſtibio chelidoniæque tincturam tribuunt? Ferrum eximia donabis albedine ſi mollefacto candentique inſeminaueris puluerem ex plumbo nigro, & hydrargyro commiſtis, intercedente lini oleo, & poſtea reuerberaueris vaſe clauſo. Idem aſſequeris, ſi mollefacto fuſoque inſperſeris calcem plumbi albi. Nec differt argentandi, aut auri ſpecie donandi artificium ab eo, quod in ære dictum eſt, niſi, quod ſit præmolliendum plumbum, candidum argenteum reddes arſenici cryſtallini po[illegible] infuſum proiecto. Liquandũ autem aliquoties eſt, vt diffundatur ſpiritalis tinctura. Plumbum nigrum argenti ſplendore donabis hac medicina. Tartari, arſenici albi calcinati, ſalis puri, ſalis ammonii ſingulæ ſemunciæ, puluerată in vitro perfundantur aceto bono, itaque macerentur octiduo, aut amplius. Liquor clarus depleatur, vt perareſcat materia, cuius parum proiiciendum eſt ſuper eliquatum plumbum detracta cute iterumque parum, donec color reſpondeat.

Dubiũ, ſeparatione ſit, an coloratio?

Martem albare.

Saturnum tingere argenteo.

deat. Aurum redditur idem, si feceris pulverem ex hæmatitæ, arsenici rubei, vitellorum, aluminis rubei æqualibus tritis, & reverberatis, in catino per horas 12. Huius pars vna miscenda est tribus plumbi. Gemmæ ignobiliores in pastam sunt redigendæ, aut fundendæ, posteaque præparati colores immittendi. Nec alia vitrorum ratio est, quanq́, vt sorbeant tincturam, cogẽda sint halonitro vel sale atramenti, vel communi. Recitaui tibi exempla præsentis tincturæ. Tu crebra lectione & experimentis numerum augebis.

Gemmę colorandæ.

Quandocunq; voles, etiam in cæteris veteris me beneuolo. Vale 20. Ian. 98.

EPIST. XLI. DE MAGISTERIO *Chromatismi per succos incoctos, infusos, similique arte introductos.*

Ad Ioannem Baptistam Coccium virum ingeniosum.

GRAVEM causam subesse oportet chymico, sua ἐντεχνήματα ænigmatis ita involuturo, vt, cum dicta sint, inque autoris diuinæ scientiæ mysticæque admirationem & famam compositæ, ideoq; prolata in publicum, nihilominus maneant indicta & altis sepulta vmbris. Neque enim comparandus is est cum veteris instrumenti vatibus, nec par ratio

Ænigmata chymica.

ratio eſt artis chymicæ, & oraculorum Eccleſiæ parabolarũque Saluatoris, nec defendere is ſe poteſt argumento margaritarum à porcis abſtinendarum cum nullus deuotæ mentis & ſalutis veræ ſitiens repulſus ſit, neque á vaticiniorum antiquorum communione, neque Euangelica luce, ſed pertinaces duntaxat contemptores, quanquam quæ eſse poteſt comparatio inuentionum humanarum, & myſteriorum cœleſtium æternis ſeculis tacitorum quidem, at nihilominus annis definitis apertiſſima luce, paſſim pro concionibus, manifeſtatorum? Non ſi Deus ſua occultauit olim conſilia idem licebit & chymico, quin, ſi Deus ſua patefecit æterna, quanto magis chymicum oportet aperte docere ſua machinamenta, quæ illis collata recte dixeris ſterquilinia? Qui teſtem operum ſuorum, & ſcientiæ diſcipulum in re peritura humanaque ferre nequit, impoſturarum ſibi conſcius, & falſæ artis creditur, nec aliter agit, quam pauo, quẽ Plinius tradit inuidia ſuum reſorbere fimum, aut ſcrofa, impuritates partus ſui degluciens, aut ad vomitum reuertens canis. Procul itaq; nos ſeiungamus ab hominum huiuſmodi inuidia, & rideamus illum Olobrium, & Sterbelium alioſque, qui ſepulchris vna ſecum, aut muris infodiunt libellos etiam ſophiſticos, quaſi rem magnam & nulli hominum reuelãdam, quæ eſt odioſiſſima arrogantia, & execratione digna ſuperbia. Quid quæſo tandem nobis

nobis aliisue profuerit sepultum bonum? Quid commodi habet immersus mari thesaurus? Num tunc tandem admiraturi sumus artes istorum, cum sub alta tellure poto lethęo flumine in corpora reuertemur? Num tunc ante portas cœli sessuri sunt illi, & auri argentique lapidem cusuri, aut saltem tabulas suæ scientiæ cœli postibus affixuri? Stultitia est hæc quidem; sed tamen specioso argumento defenditur. Cum enim tanti quis sit, quantum possidet, seu nummorum, seu eruditionis, aliorúmue bonorum, excussum se è dominio proprio, autoritatemque amisisse putat, si quid suorum communicat. Sed de acceptis non erat ita insolenter gloriandum, multo minus superbiendũ, Qui n. vni cõmisit suorum bonorũ particulam, etiam alteri potest, aut ẽt recipere, cũ ne vita quidẽ data sit mãcipio, nedum vitæ adminicula. Ego te adhortor, vt si quæ habes chymica, ea suspensa hedera communioni exponas, & admissos discipulos initiatosque fideliter doceas, ne cum talentum suum olim reposcet Deus, infossum telluri, & situ exesum, absque omni fœnore in contumeliam tui & pœnam inueniat. Non autem est, vt quæras cum lucerna Diogeniana, vbi sint, qui te doctore discant. Me ipsum tibi offero ἀκροατὴν, nec abiecturus sum pernam. Et de reliquis quidem alias sum auditurus, nunc mihi exponas velim, quæ sit ratio Tingendi per succos, liquidosue colores,

res, ita, vt tota res vndiquaque eos combibat. Videor quidem mihi aliquid eius rei percepisse, sed vereor, ne praue, atque ideo duplo constet veri cognitio. Recitabo tibi mea documenta, vt videas profectum, possisque operam postea tuam in me informando eo melius dirigere, & accommodare. Quas res colorare volumus magisterio, vt euadant excellentiores siue in proprio, siue alieno colore, siquidem tinctura est liquida, vt combibi vndiquaque possit, eæ sunt metalla primum, & nõnulla alia mineralia, postea etiam partes quædam animalium, & ex plantis aliquæ. Oportet autem quaslibet aut raras esse & porosas, vt admittere liquorem tingentem, retinereque queant, aut solubiles in humorem, succum, aut pultem pulueremue, vt æqualiter cum illo commistæ in coagulatione permaneant. Itaque & nonnunquam, si non sunt rapaces coloris, sitientes cupidæque eius redduntur, aut quodam adminiculo alligantur, aut acredine penetrante procuratá in tinctura opera datur constantiæ. Nonnullæ item ita tinctæ statim sunt perfectionis dignitatisque suæ, nonnullæ amplius seruiunt ad porrò tingendum res aliâs. Modi vero huius artificii sunt incoctio, maceratio, nutritio, restinctio immersio, commistio seu confusio, irrigatio, & alii his vicini. Et quia res tincta iterum resiccanda, vel cogenda est, humoris abundantia absumpta, aut vna coacta, vt in fusilibus,

facile

facile apparet colorem per se non esse liquidum, sed duntaxat, vsus commodi gratia. Itaque aut vehiculum eius debet esse separabile, & color concretilis, siue semel tantum hæreat, quantum satis, siue repetenda sit opera, vt in pluribus. (Non enim semper explet votum vnus labor, vnaque immersio) aut talis naturæ, vt post fusionem coagulari, & solidescere possit, quo in genere potissimum sunt tincturæ minerales, in calore sicco, vel humore per se resolubiles. Instrumenta sunt in aliis cortinæ, in aliis ollæ, catini & huiusmodi, nec semper opus est igni, cum quædam etiam absque eo peragantur. Media alligantia, aut acria sunt, aut tenacia; illius generis est sal, atramentum, alumen &c. huius, gummi, oui albumen, gluten & similia, quanquã interdum color euanidus misceatur hærenti, & sic vna astringatur. Ipsæ tincturæ quoq; aut separatim exiſtũt ex natura, vel arte sumptæ, aut à rebus abstrahuntur per extractiones essentiales, & euenit aliquando, vt vna eademque opera & tincturæ abstractio & coloratio peragantur, aliquando seorsim extractio instituatur, idq; vel cõtinue, vel separatim; cõtinué, vt in purpuræ tinctura, q̃ p̃missa coctione pficitur statimq; immergitur lana: separatim, vt cũ pri⁹ longè alio opere conficim⁹ Martiũ liquorẽ, alio eũ iũgim⁹ æri. Significo aũt tibi, cũ p̃sens institutũ nõnunq̃ mistura vtatur, me nolle cõfusũ hoc caput cũ magisteriis

δὸν ἀφανίζεται, καὶ μιχθεὶς ἄπεισι χρώματ' ἴσως μόνον. ταὐτὸ δὲ τοῦτο συμβαίνει καὶ ἐφ' ἑτέρων. Dicit nimirum quædam miſceri quibusdam nõ corporea mole, quanquam color nequeat ſine omni ſubiecto eſſe, ſed formaliter, vt videantur duntaxat colorem contuliſſe. Hanc nunc tingendi rationem propono, in qua vides, id, quod colorat, debere eſſe ſubtilis diuiſibiliſq; Eſſentiæ, vt pauca eius portio colorandi vi magna multum corporis poſſit comprehendere, & æqualiter colorare. Non autem poſſunt omnia tam exactè determinari. Itaq; huc reuoco tum illa exempla, quæ nullibi excedant, ſed æquilibrio veluti congruunt præcepto, tum ea, quæ parumper videntur de corpore afferre, & euidentiora miſturæ veſtigia obtinere, quamuis aliud ſit de compoſitione factis magiſteriis documentum. Si res verbis egeret pluribus, non paterer eorum copiam in me deſiderari. Nunc ſapienti ſat dictum volo. Vale.

EPISTOLA XL. DE COLORATIONIS *magiſterio per exempla*;

AD

Chryſocomum Argenterium virum honeſtum.

TVN' autem non intellexeris, quæ nuper ſcripſi? Certò tibi perſuade, nihil mea ſponte eueniſſe, ſed fato. Hac enim excuſa-

ſatione

ſatione nunc ad te vtar, quando video vetuſtis temporibus admodum vſitatam fuiſſe, cum ſcripſit Iouis verbis Homerus:

Ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, &c.

Si hoc tibi non ſatisfacit, fias Ariſtarchus, & quod non probas, non puta eſſe meum. Studui enim valdè populariter ſcribere. Quid ſi verò ab ouo vſque ad mala, more conuiuantium, in eodem permaneamus ſympoſio, & vſque ad hyſſopum cum ſapientiſſimo regum ſermonem protrahamus? Enimuero exemplis opus habet, qui ἐν τοῖς καθόλυ impingit. Aurificium colorationis per ſpecificam formalemve tincturam ſuper res colorandas proiectam excellit, potiſſimum in metallis & gemmis, quæ ob hoc vel fundere oportet, vt fluant, vel incerare ignita, quanquam non negem vicariis operationibus idem poſſe perfici. Oportet & tincturas ipſas in parato eſſe & elaboratas magiſterii, vel eſſentiarum adminiculis, vt obtineant vel pulueris inſtar vel liquoris, vel pulticulæ, quo ingredi ex voto poſſint. Metalla ipſa gemmaſque accipimus puras à cætera labe, & ad combibendum colorem aptas. Nec negandum eſt, interdum cogi ſorbere, quemadmodum Plinius ſcribit de Chryſocolla, & excoctores minerarum ſæpiſſimè moliuntur, vnà cum his, qui Mercurii ope aurum à cæteris ſegregant: interdum addita Medicina colorem alligandum figendumque

dumque esse, ne fallaci, fluxaque specie tandem nos decipiat, & cum pudore deserat, sicut euenit incautis in atramento; Cui adiectus est sal ammonius. Literæ enim licet initio sint satis luculentæ, tandem tamen euanescunt, &, vt in improba moneta detersa superficie æs elucescit, ita emergit fucus in coloratis, ni caueamus. Prudentius agunt, qui non volaticas, sed fixas conquirunt tincturas, quæque pertinaci cohæsu nullo cruciatu deserunt suum subiectum, nec prodũnt fucum, Leænâ illa longè constantiores, quæ ne tormentis quidem indicabat conspirationis in Tyrannum Athenienſem consilia ab Harmodio & Aristogitone conflata. Veruntamen aliquo in numero sunt etiam hæ, quæ proximam præstant constantiam, licet non summam. Ita colorantur in metallis primum aurum ipsum, & argentum quandocunque à perfectionis termino aliquo vitio discessere, aurumque pallet, (qui pallor auro etiam puro inest, nec placet in monetis, & Clenodiis, quæ mistura ob id perficiuntur) aut gryſescit, vel argentum nigrum est, aut plumbeum, aliterve infra gradum suum constitutum. Postea cum aurum argentumque, tanquam rex & regina inter metalla dominentur, summopereque & ad necessitatem & ornatum appetantur, vt minus sumptuose quidem, attamen speciose & magnificè nos geramus, conciliant artifices illorum vultum inferioribus,

Plin. lib. 34. cap 8.

ribus,

ribus, vt, si non re, specie tamen illorum loco desideriis nostris famulentur. Par ratio est gemmarum, & has æmulantium vitrorum. Sed de auro videamus primum. Nascitur in Syria, vt ait Plinius, pigmentum auri, ex quo Nero Imperator aurum excoxit, quanquam damnose. Ei nomen ab argumento est.

Auri coloratio.

Auro enim pallidiori pingendo ab ipsa destinatum est natura. Artifex itaque aut puluerem eius formalem, hoc est tincturam fuso immiscebit, aut candenti inseminabit, aut tandem liquorem essentialem asperget. Qui officinis auri vulgaribus præsunt, coloritii sui materia ad hunc modum vtuntur. Capiunt enim hydrargyri sublimati semunciam, salis ammonii sicilicũ, æruginis drachmam, quas seorsim tritas, posteaque permistas oleo tartari madefaciunt, & cum aurum propè fulmen est, immittunt. Hoc facto exemptum è catillo illud ipsum linteolo tegunt madido, & huic insternunt auri coloritium. Sic intus forisq; colorem auri perficiunt. Id ipsum & sic assequuntur: Boracis Veneti, salis ammonii, Lazurii Vngarici, Thutię vstę, singulæ drachmæ; Hydrargyri sublimati semidrachma; Curcumę Sicilicus, omnia in puluerem comminuta misceantur ceræ rubræ quadranti, & conformentur in globulos, quorum vnum atque alterum pro necessitate proiice super aurum pallidum eliquatum donec instar aquæ puræ consistat. Tunc eff[illegible]de in canalem melle il-

Coloritium auri quo extergetur.

litum. Sed nostri artifices illarum rerum magisteria amplius elaborata vsurparent, nec sublimatum simpliciter, sed fixum, idq; cum aqua Martis caperent. Quod gryseum est, hoc est, extracta tinctura relictum, simplicius quidem, sed tamen ad omnem vsum probatè tingunt auro absolutissimo, ita, vt eius semunciæ infundant huius drachmam, dum est in fluxu super testa. Licebit tamen & vtramque partem regia soluere seorsim, postea commiscere, digestioneque horis 24. facta coagulare, & puluerem cum borace reducere. Ab hac etiam suspicio fraudis abest, nisi quæ antecessit. Nec chymicus culpandus, qui naturæ vitium correxerit auri anima, aut tinctura per cæmentum exaltata.

Aurum gryseum tingere.

Argentum colore deficiens in catino cinereo fulminatur, cumque iam iam effulsurum est, conspergitur pauco hydrargyro sublimato, qui imbutus sit tartari oleo. Hinc eximiam acquirit albedinem, eamque fixam, si ille sit cônstans. Ecce vero de sublimato quoque affirmes non absurdè id, quod Paracelsus de vitriolo. Certè enim, si is cum calce tincturave Lunæ sit apparatus, aut enutritus, albo tinget corpora rubra; sin cum aqua Solis, aut Martis, rubefaciet alba, idque spiritaliter, cum sit spirituum subtilissimus, & parua quantitate plurimum comprehendat, longè felicius, quam cassiteros Aristotelis. Fit autem is ex chalcantho & argen[illegible] uo adiecto ammonio.

Chromatismus argenti.

Hydrargyrus & rubro & albo tingit.

monio. Diuinare licet illum obſcurum lingua hominem nomine partis intellexiſſe totum. Sed libet etiam de cæteris verba facere.

Argentum aureo colore donare.

Argentum conſtanter coloratur auri tinćturâ per regiam, aut hanc aquam extractâ: Chalcanthi, halonitri ſingulæ libræ deſtillentur in aquam fortem lege artis. Eam affunde ſextanti cinabaris in vitro craſſo. In balneo ſubtrahe phlegma. Reliquum transfer ad cineres, vel reuerberium vitroque lutato elice, quanquam lentè, ſpiritus totos, eosque age in conceptaculum, in quo ſit tantum aquæ vitæ, quanta fuit ab initio aqua fortis. Hoc ſpiritu animam auri extrahes, relićto puluere gryſeo, quem poteris in ſuum colorem exaltare, paulo ante ſcripto magiſterio. Anima ſeu tinćtura illa poteſt cæmento illuſtrior altiorque fieri, quanquam repetito regali etiam totum corpus ſolare in fermentum tingens tranſeat. Si proiicere ſuper argentum cupis, purgatum hoc debet eſſe, &, vt aſſequaris vim arcani philoſophici ſeu lapidis, prius fixum. Ita nunquam te nec pudebit, nec pœnitebit huius artis. Paulo inferior gradus eſt per tinćturam antimonii, & hydrargyrum præcipitatum fixum, ſulphurque fixum & reliqua. Attamen etiam hic operæ precium feceris ad delicias & ornamentum domeſticum. Quid ſi placeret hoc modo rem aggredi? Salis petræ partem vnam, vitrio-

li duas, ſalis ammonii quatuor, deſtilla in aquã regiam, donec ruber fumus aſcendat, & caue, ne vitrum diffringatur. In hac ſolue ſulphur rubeum ex auri pyrite, vel ſeparatim confectam tincturam ſulphuris, aut ſtibii rubeam commiſce. Cumq; colorem traxit, deſtilla, & affunde nouo ſulphuri idq; toties repete, donec aqua erubuerit ſanguinis inſtar, in cuius triplo ſolue vnam auri cæmentati partem, & vitro hermeticè clauſo, ſubtusque loricato coagula in puluerem, & omnino huc contende, vt medicina in lamina fluat ſine fumo inſtar ceræ. Huius, ſi paululum proieceris ſuper laminam argenti, aut æris candentem (centuplo maiorem) efficies auri ſpeciem. Tale artificium particulare vocant, ſatisque arroganter repudiant, qui nec hoc, nec vniuerſale præparare poſſunt, cum tamen ſuo fine non ſit contemnendum. Plura autem huiusmodi medicamenta paſſim inueninntur, nec rarò tanto cum ſupercilio, vt reliqua omnia præ ſuo contemnant nonnulli, præfigantque nomina Lapidis Ariſtoteis, Auicennæ, Hermetis, Gebri, ſapientum, noli dicere, & huiuſmodi vana alia.

Demens forem, ſi in commentarium chartamque coniicere vellem ſingula. In ære dealbando per proiectionem Spiritalem tantum elaboratum eſt, quantum in nullo alio metallo. Itaque etiam innumerabiles eius tincturæ ſunt repertæ, tam ad ſolis æmulationem

Aeris color.

nem

nem, quàm ad lunæ, ſeu argenti. Ad argentum per cinabarim, huiúſmodi præcipiunt: ſcpeli cinabarim in ſcobe argenti miſta pari borace, & horis 24. in reuerberio vaſe clauſo cęmenta. Si pondera requiris: cape puluerum ſingulas ſemuncias, & cinabaris vncias quatuor, & ſtrata permuta. Huius vna portio proiecta ſuper triplum æris, tingit id in argenti ſpeciem. Catinus fuſionis cum ſuo operculo oblinatur lithargyro ex aceto cocto, tritoque & miſto albumine. Si pro argento aurum adhibueris, aurum fiet. Vtrobique tamen æs debet eſſe fixum. Vereor, ne dicas me impoſturas ſcribere, cum meum ſtudium tibi velit proponere chymica artificia. Alioquin adiicerem plura. Quid tamen nocuerit etiam vilia cognouiſſe? Si arſenici cryſtallini ſeſquitres vncias capias, Talci vero & hydrargyri ſublimati fixi, ſaliſque ammonii ſingulas ſemuucias, halonitri ſextantem, inque olla vitrata prunis admoueris, ſed tamen [illegible]nti caloris initio, poſtea auctioris, donec [illegible]llibus inſpirantibus fumus deſinat: fixam medicinám ad æs tingendum parare poteris, quæ in olla relinquenda eſt, donec per ſe refrigeſcat. Eius ſemuncia æris eliquati vnciis quatuor immiſcetur, & poſtea etiam argenti ſextans. Fuſa omnia ſimul effundũtur in canalem melle illitum. Fuco hæc ars non caret, ſi vti fraudulenter velis. Attamen iudicandum erit expreſſiſſe argenti vultum, nec non precioſum,

cum ipſum argentum non abſit. Eſt qui pul-
uerem chelidonii maioris miſtum ſtibii polli-
ne ſuper æs Vngaricum aut Mansfeldenſe,
Bohemicumue in catino fuſorio proiicit, &
in conum effuſione facta regulum emergen-
tem cum plumbo & borace fulminat, ſperatq;
ex æris libra vna auri drachmam. Separatióne
hæc eſt, an tinctura? Mihi videtur illa. Non.n.
video, ſi tinctura ſit, cur non plus coloret: Et
tamen ſtibio chelidoniæque tincturam tri-
buunt? Ferrum eximia donabis albedine ſi
mollefacto candentique inſeminaueris pul-
uerem ex plumbo nigro, & hydrargyro com-
miſtis, intercedente lini oleo, & poſtea re-
uerberaueris vaſe clauſo. Idem aſſequeris, ſi
mollefacto fuſoque inſperſeris calcem plum-
bi albi. Nec differt argentandi, aut auri ſpecie
donandi artificium ab eo, quod in ære dictum
eſt, niſi, quod ſit præmolliendum plumbum,
candidum argenteum reddes arſenici cryſtal-
lini pollinе infuſum proiecto. Liquandũ au-
tem aliquoties eſt, vt diffundatur ſpiritalis
tinctura. Plumbum nigrum argenti ſplen-
dore donabis hac medicina. Tartari, arſeni-
ci albi calcinati, ſalis puri, ſalis ammonii ſin-
gulæ ſemunciæ, pulueratæ in vitro perfun-
dantur aceto bono, itaque macerentur octi-
duo, aut amplius. Liquor clarus depleatur, vt
perareſcat materia, cuius parum proiicien-
dum eſt ſuper eliquatum plumbum detracta
cute iterumque parum, donec color reſpon-
deat.

Dubiũ, ſeparatione ſit, an coloratio?

Martem albare.

Saturnum tingere argenteo.

deat. Aureum redditur idem, si feceris puluerem ex hæmatitæ, arsenici rubei, vitellorum, aluminis rubei æqualibus tritis, & reuerberatis, in catino per horas 12. Huius pars vna miscenda est tribus plumbi. Gemmæ ignobiliores in pastam sunt redigendæ, aut fundendæ, posteaque præparati colores immittendi. Nec alia vitrorum ratio est, quam, vt sorbeant tincturam, cogẽda sint halonitro vel sale atramenti, vel communi. Recitaui tibi exempla præsentis tincturæ. Tu crebra lectione & experimentis numerum augebis.

Gemmę colorandæ.

Quandocunq; voles, etiam in cæteris veteris me beneuolo. Vale 20. Ian. 98.

EPIST. XLI. DE MAGISTERIO *Chromatismi per succos incoctos, infusos, similique arte introductos.*

Ad
Ioannem Baptistam Coccium virum ingeniosum.

GRAVEM causam subesse oportet chymico, sua ἐντεχνήματα ænigmatis ita involuturo, vt, cum dicta sint, inque autoris diuinæ scientiæ mysticæque admirationem & famam compositæ, ideoq; prolata in publicum, nihilominus maneant indicta & altis sepulta vmbris. Neque enim comparandus is est cum veteris instrumenti vatibus, nec par ratio

Ænigmata chymica.

ratio eſt artis chymicæ, & oraculorum Eccleſiæ parabolarũque Saluatoris, nec defendere is ſe poteſt argumento margaritarum à porcis abſtinendarum cum nullus deuotæ mentis & ſalutis veræ ſitiens repulſus ſit, neque á vaticiniorum antiquorum communione, neque Euangelica luce, ſed pertinaces duntaxat contemptores, quanquam quæ eſſe poteſt comparatio inuentionum humanarum, & myſteriorum cœleſtium æternis ſeculis tacitorum quidem, at nihilominus annis definitis apertiſſima luce, paſſim pro concionibus, manifeſtatorum? Non ſi Deus ſua occultauit olim conſilia idem licebit & chymico, quin, ſi Deus ſua patefecit æterna, quanto magis chymicum oportet aperte docere ſua machinamenta, quæ illis collata recte dixeris ſterquilinia? Qui teſtem operum ſuorum, & ſcientiæ diſcipulum in re peritura humanaque ferre nequit, impoſturarum ſibi conſcius, & falſæ artis creditur, nec aliter agit, quam pauo, qué Plinius tradit inuidia ſuum reſorbere fimum, aut ſcrofa, impuritates partus ſui deglutiens, aut ad vomitum reuertens canis. Procul itaq; nos ſeiungamus ab hominum huiuſmodi inuidia, & rideamus illum Olobrium, & Sterbelium alioſque, qui ſepulchris vna ſecum, aut muris infodiunt libellos etiam ſophiſticos, quaſi rem magnam & nulli hominum reuelãdam, quæ eſt odioſiſſima arrogantia, & execratione digna ſuperbia. Quid quęſo tandem nobis

nobis aliisue profuerit sepultum bonum? Quid commodi habet immersus mari thesaurus? Num tunc tandem admiraturi sumus artes istorum, cum sub alta tellure potò lethęo fluminè in corpora reuertemur? Num tunc ante portas cœli sessuri sunt illi, & auri argentique lapidem cusuri, aut saltem tabulas suæ scientiæ cœli postibus affixuri? Stultitia est hæc quidem; sed tamen specioso argumento defenditur. Cum enim tanti quis sit, quantum possidet, seu nummorum, seu eruditionis, aliorúmue bonorum, excussum se è dominio proprio, autoritatemque amisisse putat, si quid suorum communicat. Sed de acceptis non erat ita insolenter gloriandum, multo minus superbiendũ, Qui n. vni cõmisit suorum bonorũ particulam, etiam alteri potest, aut ẽt recipere, cũ ne vita quidẽ data sit mãcipio, nedum vitæ adminicula. Ego te adhortor, vt si quæ habes chymica, ea suspensa hedera communioni exponas, & admissos discipulos initiatosque fideliter doceas, ne cum talentum suum olim reposcet Deus, infossum telluri, & situ exesum, absque omni fœnore in contumeliam tui & pœnam inueniat. Non autem est, vt quæras cum lucerna Diogeniana, vbi sint, qui te doctore discant. Me ipsum tibi offero ἀκροάτην, nec abiecturus sum pernam. Et de reliquis quidem alias sum auditurus, nunc mihi exponas velim, quæ sit ratio Tingendi per succos, liquidosue colores,

res, ita, vt tota res vndiquaque eos combibat. Videor quidem mihi aliquid eius rei percepisse, sed vereor, ne praue, atque ideo duplo constet veri cognitio. Recitabo tibi mea documenta, vt videas profectum, possisque operam postea tuam in me informando eo melius dirigere, & accommodare. Quas res colorare volumus magisterio, vt euadant excellentiores siue in proprio, siue alieno colore, siquidem tinctura est liquida, vt combibi vndiquaque possit, eæ sunt metalla primum, & nõnulla alia mineralia, postea etiam partes quædam animalium, & ex plantis aliquæ. Oportet autem quaslibet aut raras esse & porosas, vt admittere liquorem tingentem, retinereque queant, aut solubiles in humorem, succum, aut pultem puluerem ue, vt æqualiter cum illo commistæ in coagulatione permaneant. Itaque & nonnunquam, si non sunt rapaces coloris, sitientes cupidæque eius redduntur, aut quodam adminiculo alligantur, aut acredine penetrante procurata in tinctura opera datur constantiæ. Nonnullæ item ita tinctæ statim sunt perfectionis dignitatisque suæ, nonnullæ amplius seruiunt ad porrò tingendum res aliâs. Modi vero huius artificii sunt incoctio, maceratio, nutritio, restinctio immersio, commistio seu confusio, irrigatio, & alii his vicini. Et quia res tincta iterum resiccanda, vel cogenda est, humoris abundantia absumpta, aut vna coacta, vt in fusilibus,

facile

facile apparet colorem per se non esse liquidum, sed duntaxat, vsus commodi gratia. Itaque aut vehiculum eius debet esse separabile, & color concretilis, siue semel tantum hæreat, quantum satis, siue repetenda sit opera, vt in pluribus. (. Non enim semper explet votum vnus labor, vnaque immersio) aut talis naturæ, vt post fusionem coagulari, & solidescere possit, quo in genere potissimum sunt tincturæ minerales, in calore sicco, vel humore per se resolubiles. Instrumenta sunt in aliis cortinæ, in aliis ollæ, catini & huiusmodi, nec semper opus est igni, cum quædam etiam absque eo peragantur. Media alligantia, aut acria sunt, aut tenacia; illius generis est sal, atramentum, alumen &c. huius, gummi, oui albumen, gluten & similia, quanquã interdum color euanidus misceatur hærenti, & sic vna astringatur. Ipsæ tincturæ quoq; aut separatim existũt ex natura, vel arte sumptæ, aut à rebus abstrahuntur per extractiones essentiales. & euenit aliquando, vt vna eademque opera & tincturæ abstractio & coloratio peragantur, aliquando seorsim extractio instituatur, idq; vel cõtinue, vel separatim; cõtinué, vt in purpuræ tinctura, q̃ p̃missa coctione p̃ficitur statimq; immergitur lana: separatim, vt cũ pti⁹ longè alio opere conficim⁹ Martiũ liquorẽ, alio cũ iũgim⁹ æri. Significo aũt tibi, cũ p̃sens institutũ nõnunq̃ mistura vtatur, me nolle cõfusũ hoc caput cũ magisteriis

riis miſtionum, de quibus in arte ſeorſim pręcipitur, & licet coniunctæ ſit coloris ratio, tamen præcepta ibi ſunt non colorandi, ſed miſcendi: hic vero miſtio quidem item eſt, ſed abſque miſtionis principali ſcopo, cum conſilium ſit tingere, & colorem procurare excellentem, quod non poteſt abſque omni miſtione ex hypotheſi peragi. Illud tamen ſtudemus hoc labore, vt tinctura quàm minime ſit corporalis. Neque enim hoc eſt artis. Itaque & impoſturæ coarguuntur illi, qui ſericum tingunt mineralibus terris, vt eo grauius factum pondere ſuo ad ſtateram lucrum adaugeat, nec immerito imperiali autoritate non ita pridem, interceſſum eſt, pœnaque conſtituta fraudibus obuiam itum. Sed vbi miſtio principaliter intenditur, ibi magis expetitur corpus, id quod etiam Philoſophus præceptis illuſtrauit, & in Alchymia, quantum eſt huius artis, ſuo dicitur loco. Student hoc artificio inferiora metalla ſuperioribus ſimilia reddere, ſicut in proiectione, tranſmutatione & aliis. Student & colorare alia mineralia id, quod euidentius dici nequit, quàm per exempla, quorum vnum atque alterum, vt incident, recenſebo. Argentum auri vultu reſplendet hac arte coloratum. Hydrargyro præcipitato tãtundem adiicitur colcotaris, & ſalis, miſturaque facta in ſublime agitur ſepties, renouatis ſubinde ſpeciebus. Sublimati libræ adduntur ſtibii crudi quatuor vnciæ, &

Argentum aureum.

per vas

per vas retortum, lutoque armatum ſpiſſo, oleum puniceum elicitur, quod mercuriale nuncupant. Huius vncia confunditur cum pari quinta ſtibii eſſentia & vnciis duabus olei chalcanthini, in quo drachma auri ſit ſoluta (Eſt autem aurum ita præparandum, vt in eo diffluat). Confuſi liquores cum argenti calce miſcentur, idq; facta aliquot dierum digeſtione tinctum eliquatur. Ingenioſius aget, qui per nutritionem ſeu incerationem opus inſtituet. Non ignorauit huiuſmodi artificium Plinius, cum ſcripſerit, argentũ medicatis aquis in Hiſpaniæ mediterraneis infici, quod Chymicus diceret aquis gradatoriis exaltari graduarique in auri ſpeciem. Putant autem ex Ægypto Libiaq; per Saracenos artem inuectam in Hiſpaniam eſſe, vnde poſtea Geberus iisdẽ in locis inſignis extitit eiusdem cultor propagatorq;. Nonnulli calcem viuam & ſulphur aceto rubro coquunt. Decocto iniiciunt pares colcotaris, ſalis ammonii & æruginis in puluerem redactorum, donec ſoluantur. In hoc porrò ter quaterve ignitam ferri ſcobem reſtinguunt, tandemq; relinquunt, vt extabeſcat. Totum poſtea more ſpirituum acrium per retortam deſtillant & in producta aqua argenti, vel æris candefactas laminas reſtinguunt ſæpius. Putãt autem eas tinctum iri colore auri, quod experientiæ cõmitto. Quod ſi quis credit etiam aurum fore, decipitur perſuaſione puerili. Sicut qui idem ſibi promit-

teret ex aqua colcotaris per resolutionem in fimo adiectis vitellis coctis facta, in qua similiter bracteas lunares extinguunt. Æs dealbatur, si eius laminæ vel puluis in hoc liquore decoquantur restinguanturve: Halonitri, salis ammonii, gemmæi, sodæ, calcis ouorum, aluminis plumosi, calcis tartari, arsenici albi, pares soluantur in aquam deliquio per vesicam in aquam demissam. Poteris easdem res in vrina puerili soluere, & eadem arte æs argentare: vel aceto vini albi salso similiter colorare. Oportet autem, vt huiusmodi colores firmentur oleo tartari lamellis restinctis illito, & postea in cineritio reuerberatis. Satis exemplorum est, nec oportet prolixum esse in his, quæ artificiis aliis felicioribus possunt redimi. Tu vale & viue.

EPISTOLA XLII. DE PIGMENTIS *cretæ, Sacchari, Chrysocollæ & similium;* AD

Ioannem Mosellanum Philos. Medicum & Gymnasiarcham Halæ Sueuorum.

IN Plinio te versatum, Mosellane, admodum esse, ille abstrusissimarum rerum, quarum cognitionem in multis Europæ locis diu es aucupatus consecutusque, amor satis superque comprobat & attestatur. Cum itaque consuetudo inter eruditos obtinuerit, vt si quid scrupuli est, id alter alteri eximere ingenio, quantum potest, connitatur, neque sibi

ſibi graue moleſtumq; putet in obſcuris cõſuli, ad te fero illud, quod de aluminis liquidi examine lib. 36. cap. 15. habet cum ſcribit; liquidum alumen ſyncerum ſi eſt, ſucco mali punici nigreſcit, quod cum de ſtrongyle pumicoſa neget, an hæc minus eſt alumen aut inſyncerum? Quid ſi inquinatio illa minime ſynceri foret, ſed potius aluminis chalcanthô miſti? Cur non atramentoſum alumen dicebat? Certè etiam merum alumen liquidũ poteſt eſſe, nec ratio liquidi à miſtura pendet. De mero vero conſtat, non tingi eo ſuccos. Eſſe item vtrumq;, alumen ſcilic. & chalcanthum, in vna vena coniunctum, indicat ſeparatio, quam Agricola docuit. Neq; eſſentia diſtat liquidum à concreto, niſi forte conſuetudine veterum liquidum non aliud vocatum fuit, quam quod & conſiſtentiam habuit talē, & remiſtum atramento, nec dum ſegregatum extitit. Huiusmodi miſtio fortaſſis etiam intelligenda eſt, cum alibi dicit in argento fodiendo veteribus terminum fuiſſe inuentum alumen: nuper autem ſub eo repertam æris venam non feciſſe finem ſpei. Cur id non potius fuerit chalcanthum, cuius tanta in ære copia eſt, vt ferè ex ſolo videatur factum? Alumen tamen ob miſturam nuncupatum putemus, quemadmodum & Geberi interpres videtur facere, niſi velis permutata vocabula eſſe. Refert idem de chalcitide, quod inueterata trãſeat in Sory, & ſi in fictili ex aceto fimo cir-

Alumen liquidum.

Chalcitis in Sory.

cumlito maceretur quadragenis diebus, colorem croci trahat. Velim ex te ſcire, num cõpoſitio illa introducat colorem croceum aceto per macerationem fimi tandem ruffeſcente, an non referat, aſperitasne aceti, an alius humoris eum procuret, cum ſua ſponte croceſcat Chalcitis? Nonnulli ob hoc colcotar Chalcitin vocant. Id autem eſt chalcanthum calcinatum, ignibuſque rubefactum. Chalcanthum ſanè alii in chalcitin, cui color æris lucidus, abire tradunt ſua ſponte. Sed quando ad Pliniana deſcendimus, iuuat pigmenta nõnulla recenſere, quorum imitatione officinas aurificum pergulasque pictorum locupletare artifex queat, atque interim non mediocriter Philoſophantium commodis prodeſſe, cum non deſint hic quoq;, quæ diligentius explicata velis. Chryſocollam in ærariis argentariisq; metallis potiſſimum ſeu ſponte ſeu opera data corriuatiſq; in venam aquis, effectam tingi, docet herba lutea in hunc modum: Natura eſt, inquit, quæ lino lanæve ad ſuccum bibendum. Tunditur in pila. Deinde tenui cribro ſecernitur. Poſtea molitur; ac deinde tenuius ſic cribratur. Quicquid non tranſmeat, repetitur in pila, dein molitur. Puluis ſemper in catinos digeritur, & ex aceto maceratur, vt omnis duritia ſoluatur, ac rurſus tũditur, dein lauatur in conchis, ſiccaturq;. Tunc tingitur alumine Schiſto, & herba ſupra dicta, pingiturq; ántequã pingat. Refert, quam bibula docilis-

Chryſocollam tingere.

cilisq; sit. Nam nisi rapuit colorem, addunt & "
Schytanum & Turbystum. Ita vocant medi- "
camenta sorbere cogentia. Cum tinxêre pi- "
ctores, Orobitin vocant, eiusdemq; duo ge- "
nera faciunt; luteam, quæ seruatur in lomento "
& liquidã globulis sudore resolutis. Summa "
cõmendationis est, vt colorẽ herbæ segetis lę- "
tè virentis quam similimum reddat. "

Hæc Plinius de Chrysocollæ apparatu, certè admodum laborioso. Quænam quæso est illa herba lutea, quæ illa additamenta, Turbystum & Schytanum: Videor mihi ob rerum imperitiam in media esse Barbaria, nisi fortè non Plinii, aut ætatis illa mirifica locutio est, sed codicis corrupti. De herba quidem diligenter inquisiui: coloris lutei inueni multas; sed luteam primũ dictam nullam, nisi in hoc loco. Quid si nomine potius lutea sit quam colore? Quomodo enim aliâs suum seruaret in tinctura colorem Chrysocolla? Neq; enim is alius fuit, quam viridis, dumq; lutea quædam dicitur, id non ob colorem, sed herbam fieri ait Plinius, quam etiam miscent cæruleo, & Chrysocollam ita imitantur adulterio.

Lutea herba.

Collinutius per Luteam, vel Luteum Vitruuii intelligi glastum, seu Isatidem infectoriã, argumento quod & cæruleum, Chrysocollamq;, & lanas linumq; inficiat, posse putat. Indicat tamen, esse in Bononiensi satiua herbam quandam Gualdam dictam, qua bombycis & serici infectores vtantur, colore luteo,

Collinutius de herba lutea.

caule ſingulari, minimis à radice foliuſculis, ſemine totum caulem occupante, vt in blito, de qua quærit, an non ſit illa lutea? Tabernæmontanus in ſuo Herbario non interrogat, ſed definite affirmat eſſe Catanancen primam Dioſcoridis, quam & Plinius lib.27.c.8. agnoſcit, quæq; Virgilio creditur Lutum dicta, Italis vnge di Gatto. Tingit alba flauo, ſed cærulea viridi. Ego quid ſtatuam firmius, non habeo. Multo minus me extricare ex Turbyſto & Schytano poſſum, præſertim, cũ ſcriptum ſit præmitti alumen, quo colorem lucidiorẽ reddi notum eſt. Solent aliàs huiuſmodi medicinæ eſſe acres & ſalſæ, qualis eſt Alcali ſeu Sodæ cinis, quemque clauellatum ex arborum ramis putrefactisque truncis nominant, quo vtuntur infectores pannorum, vt lanæ glaſtum combibant. Metallorum quoque excoctores & docimaſtæ in eũ finem adiungunt venis vitrorum ſpumam ſalſam, ſalem fuſum, ſalem ammonium factitium, boracẽ, & ſuam quandam Chryſocollam. Sed, neſcio an ſimile quid hic fieri dicendum ſit, cum nõ ſit par ratio colorũ & metallorum. Simplicior quis fors legerit pro Schytano titanum, & Turbyſtum traductũ ex Asbeſto credat. Ego ex te erudiri volo. Cæteri enim autores, qui in Plinium ſunt commentati, non ſunt ad manum.

Tabernæmontanus. Turbyſtum Schytanũ.

Cretam combibere colores, & ſic pictoribus præclarè inſeruire, notum eſt. Plinius mẽtionem facit Purpuriſſi, ſed non ſine obſcu-

Purpuriſsũ.

ritate

ritate historiæ. Vnde & hic necesse habeo ad tuos sensus confugere. Purpurissum inquit, è creta argentaria cum purpuris pariter tingitur, bibitque eum colorem celerius lanis. Præcipuum est primum feruenti aheno rudibus medicamentis inebriatum: proximum egesto eo addita creta in ius idem, & quoties id factum est, leuatur bonitas pro numero dilutiore sanie. Hoc verum purpurissum & re & nomine esse iudico: sed modus est obscurior. Cretam argentariam argentei splendoris candorisq; comminuendam intelligere licet, quomodo & de Chrysócolla, quamuis operosiore ob duritiã, scripsit. Dum ait cum purpuris pariter tingi, num societatẽ, seu lanæ, seu ipsius floris signat? Ergóne creta pariter cum lana iniicienda est? At hoc inartificiosum, nec consentit historiæ, quæ totam cortinam sola creta mutata exhaurit. Nec statim cum flore purpurarum immitti potest. Neq; enim ante legitimam coctionem emergit color iustus, nec nisi separatione peracta tingi solitum est. Sensus itaq; est pari modo, legeq;, qua tingi solet lana pro veste purpurea, etiam cretam infici.

Deinde grandiloquentia eius adimit lucẽ rebus. Neq; enim intelligẽdus est feruor succi & ebullitio, neq; rude medicamentum est, id ꝙ nondũ elaborauit artifex. Quis tã sit rerum imperitus, vt caloris excessu peniturã coloris gratiam velit ammoliri? Cũ purpuræ tingen-

dæ propoſuit artem, lentum ignem probauit, non feruentem. Multo minus rudi colore tinctam expetat quis cretam, cum elaboratiſſimus requiratur. Rude itaque medicamentum eſſe opinor, quod nondum ab alia materia eſt hauſtum, quaſi primum & optima florum parte fœcundum dicas. Inde enim poſtea deterius fit purpuriſſum, quo à primo abeſt longius & conſequenter immiſſa creta conficitur, ſemper facta ſanie dilutiore, magisque aquea, & euanida. Sed cum duplex ſit purpureæ tincturæ ratio, vna ex maioribus conchis, altera ex minoribus, quarum quælibet peculiarem ſortita eſt elaborationem, purpuriſſum præſtantiſſimum iudico factum ex flore maiorum, & harum opus hic intelligi poſſe confido. Cæterum meminit idem autor etiam Indici ſpurii ex creta Selinuſia, & vero Indico, quod eſt ſpuma arundinum, limo adhæreſcente, coloris nigri, cum diluitur, purpuro cærulei: vel eſt purpuræ ſpuma innatans cortinis. Quam tu putas huius adulterii rationem eſſe? Nam & de his inquirere iubet indefeſſus diſcendi feruor. Num miſtura ſimplici per contritionem leuigationemque peracta eſt, an color dilutus liquore in cretam infuſus, & ſorberi coactus? Pro creta eſſe & ſtercora columbina monet, dicitque hæc tingi, quæ vox imbibitionem ſucci magis notat, quam miſturam. Eòdem pertinet & cæruleum factitium viola arida decocta in aqua

Indicum nothum.

ſucco-

ſuccoque per linteum expreſſo in cretam Erythriam, qui modus eſt facilis intellectu, cumque dicit Plinius omne cæruleum tingi, & in ſua herba coctum bibere ſuccum, voluit fortaſſis hoc ipſum. In cæteris ſi hæreo, veniã dabis imbecillitati. Non enim habeo domi ſphingem, & deeſt natator Delius. Vt eo procliuior ſis ad ignoſcendum, demulcebo te cinabariſſo inuidia purpuriſſi ita appellato. Id conficiunt in hunc modum: Cretæ candidiſſimæ maſſa in formam mortarii excauatur. Huic infunditur lucidiſſimus Braſilii ligni artificioſe decocti ſuccus, dum ſorbeatur à ſuperficie. Quod non eſt combibitum, effunditur, & mortarium rapido exponitur ſoli, vt tinctura perareſcat. Raſam poſtea eam penna reponunt, & laborem repetunt eundem, quoad libet. Radendum autem tantum id eſt quod refulget in ſummo, ſeu pollen floridus καὶ ἐνανθής. Gratiſſimo rubore etiam coccum vincere traditur, cretam item citrinam conficiunt bile magnorum piſcium, quanquam pro nutritione imbibitioneq; in hac vtantur contritione & ductu ſuper marmore. In nonnullis coloribus pro creta eſt calx, aut cotium ramentum farinaceum. Ita enim fit cæruleum quoddam. Maturos myrtillos in pelui locatos defode in terra ad duos digitos peluis, diebus 14. donec putreſcant grana. Deinde dimidiam aquæ menſuram in ollam vitro inductam infunde cum calcis viuæ quali quantitate. Poſt

Plin. lib. 33. cap. 13.

Cinabariſſum ſeu Braſiliſſum.

Creta citrina.

Cæruleum.

quietem vnius noctis, factamque colaturam iniice salis ammonii, & æruginis drachmas singulas, totumque confunde cum baccis putrefactis in olla noua .Misce, coque, & despuma. Cum refrixit, separa per colum. Ita succus paratus est, quem postea vel cretæ infundere potes, vel ad tingendum lintea transferre. Calx autem alio consilio additur, quàm creta Hæc enim pro corpore est pigmentis ad picturas adhibendis.Illa vero alligationis gratia cũ ærugine, & sale ammonio adiicitur, & vt color eo fideliius migret in succum. Exempla vides Turbysti & Schytani Pliniani, siue hæc sint rei certæ nomina, siue multis communia ab vsu, aut similitudine conficta. Cotis rasuram in Indico quodam artificioso substernunt. Eius apparatus est huiusmodi. Granorum Ebuli maturorum succum misce aceto acerrimo, pauco alumine, & cotium attritarum læuore. Misturam in olla clausa coque intra clibanum, cauens, ne nimium exarescat, quod assequeris, si sæpius experimentum rapueris. Ita Indicum paratum est. Quomodo pharmacopolæ saccharum tingant, vtanturque Rhabarbaro vel croco ad luteum; floribus cyani; aut baccis sambuci, ad cæruleum santalo rubeo, vel rubea, aut granis tinctorum, cum vini spiritu, ad rubeum: succo anethi, solalaui, rutæue ad viridem: Galla, Myrobalanis, succo corticum Iuglandium ad nigrum, aceto ad-

Indicum factitium.

to adiecto aut vini ſpiritu, & nonnunquam pauco alumine, penè omnibus & lippis notum eſt & tonſoribus. Non itaque eſt, vt pluribus verbis tibi ſim moleſtus. Spectabo benevolentiam tuam, & quantum noſtra ſtudia ames, ſi pro induſtria tua aliquid certius ingeniosiusque excogitaueris. Vale. 23. Ian. 98.

EPIST. XLIII. DE *Hyſgino.*

Ad

Ioannem Moſellanum Phil. Medicumq; inſignem & Gymnaſiarcham Halæ Sueuorum.

TE excuſſis compilatiſque paſſim commentatorum ſcriniis non potuiſſe de Schytano & Turbyſto Plinii quid certi cognoſcere, credo tibi haud inuitus. Nuper quidam ex Calepino referebat id ipſum, quod Plinius generatim dicit, eſſe nimirum Turbyſtum medicamentum cogens colorem ſorbere, quod aliquando etiam pro ipſa accipiatur tinctura. Cętera alta iacent ſepulta tellure, nec turbabitur Reſpublica, etiamſi ignorentur. Rem ipſam, ſeu eandem, ſeu vicariam, nec infectoriæ neſciunt, nec Chymicorum familia. Facit idem autor aliquoties mētionem Hyſgini, & quidem purpuriſſum precioſum inde fieri tradit eodē capite quo de pigmentis „ ſeu coloribus natiuis & factitiis ſcribit. Puteo- „ lanum purpuriſſum (inquit) potius laudatur „ quam Tyrium aut Getulicum, aut Laconicum „ vnde precioſiſſimæ purpuræ. Cauſſa eſt, quod Hyſgino

„ Hyſgino maxime inficitur, rubiamque cogi-
„ tur ſorbere. Occurrit idem lib. 9. cap. 41. vbi
„ ait, quin & terrena miſcuere (tincturæ con-
„ chyliatæ) coccoque tinctum Tyrio tinxere, vt
„ fieret Hyſginum: Et lib. 21. cap. 26. Hyacinthus
„ in Gallia eximie prouenit. Hoc tibi pro cocco
Hyſginum tingitur. Cum non liceat peruenire ad exactam cognitionem Schytani & Turbyſti, age quæſo Hyſgino occupemur, idque quid ſit rerum, inueſtigemus. Conſului interpretes bene multos: Sed vltra Hyſgen non poſſum procedere. Nam dicunt herbam eſſe, vt Nicandri interpres, declaraturus verſum in Theriaca Nicandri de Ariſtolochia, quam dicit ἄνθεα ὑσγίνῳ ἐνερεύθεσθαι: τὰ ἄνθη, inquit, (αὐτοῖς εἴδεσι ἀριστολοχείου) ὡς ὕσγινος βάπτεται, δηλαδὴ ἐρυθρά. ταύτην δέ φησιν Ἀριστοτέλης γυναῖκα εὑρηκέναι: Et mox: τὸ δὲ ὕσγινον φυτόν ἐστι ξανθὸν τῷ χρώματι, καὶ μᾶλλον ἰοβαφεῖν ἐπιτήδειον. ὑσγινοβαφῆ ἂν λέγεται τὰ ὑσγίνῳ βεβαμμένα. Vbi ſcrupulus eſt, & quæſtio, num ξανθὸν καὶ ἐρυθρὸν ſint idem, & quomodo, ſi planta eſt ξανθὴ, quæ vox ſignificat Latinis flauū, poſſit inde tingi Hyſginum, quod eſt rubrum? Apud alios inuenio Hyſgen eſſe herbam infectoriā, coloris coccinei: vnde Hyſgina veſtis purpurea, & Hyacinthina, hoc eſt, rubra. Crediderunt nonnulli eſſe hyacinthum purpureum aut vaccinium, alii glaſtum ſeu Iſatidem. Vitruuius fieri purpureos colores ait, infecta creta rubia radice, & Hyſgino, non minus ac

ex flo-

ex floribus colores alii, vbi Plinium ſecutus videtur. Tot herbariæ rei ſcriptores extant: At horum qui ſunt ad manum, quæ ſit Hyſge aut Hyſginum, explicat nullus. Tacet Theophraſtus cũ Ariſtotele, tacet Dioſcorides interpresque quidam eius. In Matthiolo nõ apparet, nec Tabernęmontano, & aliis nonnullis. Omnes adire non poſſum cum non omnes ſint præſto. Video dubitare Ruellium cum multis. Illud tamen apertum ex Plinio eſt, Hyſgini colorem rubrum fuiſſe, & purpureis coccineisque annumeratum: Sed experiamur parumper diuinando, num ad verum poſſimus peruenire. Refert Plinius veteres Cocco, quod eſt Galatiæ rubens granum ex Ilice naſcens, (vt lib.16.cap.9.& lib.9.cap. 41.) tinctam lanam Tyrio tinxiſſe, atque inde feciſſe hyſginum. Tyrius autem color fiebat, cum pelagio ſatiaretur primum immatura viridique cortina, & mox permutaretur in buccino, vnde color laudis ſummæ ſanguinis concreti aſpectu nigricantis, quo inducto coccinę tincturæ, hyſginum fieri dicit, niſi bis Hyſginum legendum ſit, ſicut alias bis Biſſinum, quaſi dupla rubedine infectum innuere vellet. Coccus itaque tinctura ſua Hyſginum reddidit. Nec abludit locus alter de hyacintho, quem in Gallia pro cocco hyſginum tingere ait, quaſi illud ſit principale & primarium Hyſginum, hoc ſecundarium illiuſque æmulum. Itaque poſtea cum purpuriſſum verum

Hyſginum factum tinctura cocci & hyacinthi.

rum

rum fieret ex purpurarũ flore á creta hausto: alterum ex cocci vel hyacinthi rubiæque tinctura confectum, non immerito existimari potest: Vt sit sententia horum verborum (causa est quod hysgino maxime inficitur, rubiamque cogitur sorbere) hæc; Creta coacta sorbere rubiam, tingitur colore eo, quem hysginum appellant, & præfertur purpurisso Tyrio & cæteris. Ita lib. 22. cap. 2. Sileamus, inquit, Galatiæ, Affricæ, Lusitaniæ granum coccum Imperatoriis dicatum paludamentis: Transalpina Gallia herbis tyrium atque conchylium tingit, aliósque omnes colores, nec quærit in profundis murices, &c. vbi proculdubio ad hyacinthum, de quo præcedente libro scripserat, respicit. Si itaque Tyrium tingitur hyacintho, & idem fit cocco, Tyriæ tincturæ præmisso, hyacinthusque pro cocco adhibitus hysginum præbet, cur hysginum non sit idem, quod coccus, aut saltem tinctura coccinea? Libet & suspicari hysginum esse colorem rubrum è genere purpureorum, non vnius rei sed plurium, vtpote hyacinthi, rubiæ, cocci, phyci, granæ, seu cocci scolecii (vnde vermilium) & huiusmodi, maximéq; appellari hysginum, qui ex herbis esset, non vna certa, sed diuersis, cum purpureus vere &, Tyrius, Tyrianthinus, Tyriamethistus conchyliatus sit ex marinarum cōcharum flore veluti purpuræ, buccini, conchylii, &c. Sic Hysge erit quidem herba rubra ad tingendum

dum apta, ſed non vna certa, modò vnquàm Hyſge vocabulum à vetuſtis ſit vſurpatum. Video enim nec à Nicandro, nec eius interprete poſitum. Itaque nec mirabimur, ſi herbæ talis nullam faciunt mentionem Botanici Sic fortaſſis Plinius explicari rectè poteſt, & lis de hyſgino tolli. Chermeſinum colorem hodie ex Arabico, Chermes, vocant, qui propriè eſt coccineus; quanquam & vicarius ſit ex grana, ſeu cocco ſcolecio, quod aliqui plantæ cuiuſdam (pimpinellæ quam Italicam vocant, ſeu ſanguiſorbam) ſemen eſſe putant, aut partem, aut annatum vermis ſeminarium. Conſtat enim, non quidem in omnibus locis, in Polonia tamen & forte etiam Belgio, quod radicibus eius certo tempore annaſcatur veſicula quædam ſeu nodus, aut granum rubrum quod cito tranſit in vermiculũ elatum: Et ideo à nonnullis creditur ouũ eſſe ſanguineum præſertim cum & vermiculus ipſe volans captus attritusque humiditatem emittat ſanguineam. Probabile eſt Plinium, ſi viueret, hunc hyſginum dicturum. Neſcio etiam, an ille locus de purpuriſſo Puteolano eam ſententiam exhibeat, quam Vitruuius & alii expreſſerunt, quaſi creta tincta hyſgino, vel rubiæ ſucco faciat purpuriſſum. Puteolanum purpuriſſum præferri dicit Tyrio, Getulico, Laconico, quamuis his in locis fiant purpuræ precioſiſſimæ, ideo quia maxime tingatur hyſgino, hoc eſt, hyſginum

Kermeſinũ.

Abrahamus Wernerus Slacceualdæ Medicus referebat in herba quam cancri vocabat, Sole cancrũ attingente, item circa radices rubeos nodulos conſpici qui tamen a me in agris Bohemicis ſæpe inueſtigati, non ſunt inuenti; fors circa Wittebergam frequentiores.

Alia interpretatio Pliniani loci.

num colorem habeat, vtpote lucidiorem Tyrio, factum ex succo rubiæ radicis coacto sorberi à creta: aut potius, vt hic locus respondeat purpuræ Hysgino, de qua lib. 9. cap. 41. quia Tyrium purpurissum, puteolis denuo tingatur succo rubiæ, atque ita euadat pigmētum Hysginum, vt ibi purpura Hysgina, quamuis cocco mutato rubia, vt aliâs hyacintho. Si factus sum Oedipus ex Dauo, certe præter morem meum factus sum. Sum enim aliâs simplicioris ingenii, quam vt nodos eiusmodi soluere queam. Quod autem dixi de discretione Grani vermilii, seu granæ vulgaris, vt pronunciant, & Chermesini, seu cocci, quorum hoc nascitur in Ilice, illud in herbis quibusdam, Brasauolo debetur, qui ita disserit in examine Syrupi de cortice citri, cui subscripserunt nonnulli alii, tametsi Matthiolus, Clusius, Quinqueranus Pliniusque velint coccum Scolecium in Ilice gigni. Est genus cocci (inquit Plinius) in Attica fere & Asia nascens, celerrime in vermiculum se mutans, quod ideo Scolecium vocant, improbantque. Officinæ quoque nostræ nomine grani Chermes, folliculum potius inanem exhibent, quàm coccum; & videtur illud Plinianum esse. Alioquin verum Kermes exsiccatum, faciem repræsentat acini Corinthiacæ passulæ exiccatæ, intusq; admodum rubet, ferè vt tinctura santali trita, gustu astringens, nec vacuum est, sed plenum duransque. Quæ verò

Brasauolus.

Vide Cardanum lib. 9. de subt. vbi recitat tincturam nouam serici ex animali Bibinellæ & alio quodam.

vero de purpurissi puteolani gratia, ob quam prælatum Tyrio simplici est, retuli, non tantũ declarantur Cocco tincto tyrio ex libro 9. cap. 41. sed & lib. 21. cap. 8. Tres flores sunt " principales, quos luxuria in vestibus prouo- " cauit (inquit) vnum animaduerto in cocco, " qui in rosis micat. Gratius nil traditum aspe- " ctu, & in purpuras, tyrias, dibaphasque ac la- " conicas, &c. Locus quidem obscurus est: Videtur tamen innuere elegantissimum vestiũ colorem esse illum hysginum, qui fit cocco inducto Tyrio: quo nomine etiam postea cõmendatur in purpurisso Laconico Sudaui satis in hac palæstra, neque tamen arrogo mihi inuentionẽ certissimæ sententiæ. Quid tu dicturus sis, quam desideratissimè expecto. Vale.

EPISTOLA XLIV. DE INFECTURA *lini, lanarum, vestium, pilorum, pennarum, squamarum, cornuum;*

AD

Iohannem Mosellanum Phil. & Medicum præstantem, Gymnasiarcham Sueuhalensem vigilantem.

NON immeritò, Mosellane, cum Platone quis Poëtarum carmina furori Enthusiastico afflatuique diuino, quemadmodum & ipsi videntur fateri, cum sua oracula Musis Phœboq; & aliis numinibus accepta referunt, asscripserit. Ecce enim noster il-

In Ione.

Orpheus in argonauticis; Homerus in Iliade

 le, quem

&Odyſs. Aratus in Phœnomc. Heſiodus. Ovid. in faſtis, &c.

le, quem ſæpè cum voluptate legimus verſusque eius tanquam oracula Eurypidea memoriæ infiximus, quam eſt vates, quamque ex tripode fundit ænigmata?

Non varios diſcet (inquit) *mentiri lana colores.*
„ *Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti*
„ *Murice, iam croceo mutabit vellera luto.*
„ *Sponte ſua Sandyx paſcentes veſtiet agnos.*

Vaticinatur artem infectoriam abolitum iri, eiusque loco naſcituras in ipſis gregibus lanas ad libitū αὐτοβαφεῖς vt non opus ſit muricis ſucco, luto, Sandyce, ſimilibusque coloribus eas fucare, peregrinoq; producere ad ſuperbiam gentium vultu. Quid, inquies, tu mihi vaticiniorum? plana omnia & aperta audio. Imò vero vatem agit. Ne enim dicam de abſtruſo ſermonis ſenſu, quem vulgatis verbis occultat, & nihil minus in felicitate ponit, quàm colorum mangoniū, ſeu natiuum, ſeu artificiale, quæſo te, an non ſphinx eſt, cum nominat muricem, lutum, Sandycem? Herbas intelligi putat Plinius nominatim citato verſu, ſponte ſua, &c. & fors tacitè perſtringit poëtæ ignorantiam, quaſi Sandycem, colorē ſcil. factitiū ex ſandarahca adulterina (quæ fit ex ceruſſa reuerberata, vocaturq; noſtratibus minium ſecundarium) & æquali rubrica, putauerit herbam eſſe. Seruius croceum lutum καθ' ὑπαλλαγὴν interpreratur pro croco luteo; alii per lutum accipiunt herbam luteam, qua tingi Chryſocollam ſcribit Plinius, quęq; aliàs appella-

Seruii expoſitio.

appellatur catanance apud Dioſcoridē. Quid Sandyx Servio? Herba, ex qua Sandycinus color. Ea ruſticis vatana dicitur. Per muricem quid venit? Num hyacinthus, cui & idem tribuit idem poëta Epitheton:

——— ——Phœbo ſua ſemper apud me Ecl. 3.
Munera ſunt lauri, & ſuaue rubens hyacinthus.

Seruius videtur ſui ipſius oblitus, cum primò croceum rubicundo exponeret & mox croco tribueret colorem luteum, quaſi idem ſint rubicundum & luteum. Nec recipio Sophiſma crocum integrū delibutumq; oleo eſſe rubeum, dilutum vero aquis luteum. Sed leuius tamen eſt delictum, quod in herba hyſgino Græci item confundant ξανθὸν καὶ ἐρυθρὸν, & bilis modo rubra modò lutea vocetur, ſcribatq; Philoſophus halurgum in Iride, qui aliis eſt purpureus, ſæpè apparere ξανθόν. Non deſunt, qui per lutum colorē mineralem qualis eſt ochra & alia terrarum genera citrina intelligunt. Sed quicquid ſint illæ res, nulla nos neceſſitas cogit, vt vel herbas vel mineralia terrasque iſtic loci deſignari dicamus, imo ridiculum foret fingere arietes cæteraſque oues depaſto hyacintho euadere purpureas; lutea herba luteas Sandyce rubras, aut miniatas, quaſi vero non comeſturi ſint gramina greges etiam ſeculo Saturni, eaque varia. Nec caret ſuſpicione erroris ſcribere de herbis agere poëtam cum nec Sandyx, nec murex ſint herbæ, & forte

tasse nec lutum. Colores designantur, qui sint euasuri absque omni cura errantibus in pratis ouibus, & gramine vescentibus. Hi quo subiecto designentur apud poëtas, non refert, modo id taliter sit coloratum, qualem colorem in præsens volumus. Tingi lanæ alioquin purpurarum succo sunt solitæ, sicut & lutea herba (quam Tabernæmontanus lutum vocat) item coloribus metallicis in picturis repræsentari atque vestitu. Vnde sandycis amictus pro plebeio rubro, quo pacto & sericum hodie coloratur mineralibus, & panni lanei inter alia etiam cotium attritarum farina inficiuntur. Mirabilem narrat Plinius tingendi vestes rationem olim in Ægypto vsitatam. Proponam tibi eius verba, quia cum non vacent tenebris, spero ex tuo ingenio lucem. Ita ille: Pingunt & vestes in Ægypto inter pauca mirabili genere, candida vela postquam attriuêre illinentes non coloribus, sed colorem sorbentibus medicamentis. Hoc cum fecêre, non apparet in velis, sed in cortina pingi. In feruentes aquas mersa post momentum extrahuntur picta, mirumque cum sit, vnus in cortina color, ex illo alius atque alius fit in veste accipientis medicaminis qualitate mutatus. Nec postea ablui potest. Ita cortina, non dubiè confusura colores, si pictos acciperet, digerit eos ex viuo, pingitque, dum coquit; Et adustæ vestes firmiores sunt, quam

Aegyptia tingendi ratio.

Lib. 35. c. 11.

quam ſi non vrerentur. Hactenus PLINIVS: Non explicat, quænam ſint illa medicamina, quibus veſtes colorandæ inficiantur: Sorbentia duntaxat nominat quaſi, prout quodque diſpoſitum eſt, ita recipiat & repræſentet colorem ſuum, tanquam ab initio non communem ſuccum, ſed diuerſum hauſiſſet. Perinde eueniret, ſi in ſuccum catanances partim album, partim cæruleum pannum mitteres. Ille tingeretur luteó, hic viridi. Sed ſic non additum foret ſorbens medicamen. Aliud quærit Plinius. Vela primum vult radi, & atteri, vt hirſutiora facta medicamentum ſuſcipiant: Deinde illini ſorptura colores medicamina. Illa vero quæ? Difficile eſt diuinare. Puta tamen de paretonio, terra Melia creta arſenico, adarce, flore ſalis, alcyonio, &c. fortaſſis intellexiſſe. Hæc enim ſorbent colores. Conſentaneum etiam eſt inunctos fuiſſe herbarum ſuccos, eaque medicamina non planè habuiſſe nullum colorem. Sed tantum eum non, quem continebat cortina. Quod autem dicit, non apparere in velis ſed in cortina pingi, quaſi nullus color in velis conſpectus fuiſſet, interpretor de ſcopo, conſilioque tingentium. Pictores etiamſi ſublinant colorata quædam coloribus inducendis, quia finis is non eſt, ſed apparatus quidam, nondum pinxiſſe dicuntur, ſed fundamentum poſuiſſe. Vltimus tandem color verus eſt picturæ. Feruentes a-

quæ non ſunt ſimplices, ſed colores diluti. Ait enim poſtea, vnum in cortina colorem eſſe. Hæc videtur ratio eſſe tincturæ Ægyptiæ. Interim non nego vnam partem veli illitam,& alteram non illitam, vtramque tamen albam, poſtea diuerſimodè coloratam, & ſic varietatem pigmenti initio non apparuiſſe: Item vnam craſsè inductam, alteram ſubtilius:læuius:aſperius:aliam relictam & tamen omnes vnicolore medicamine infectas, poſtea varias euaſiſſe pro receptionis diuerſitate,ſimiliter vno colore. Eſt autem aliquid etiam in aqua feruida & coctionis vſtionisque, vt loquitur PLINIVS, progreſſu. Res ipſa loquitur, diuerſimodè vſta coloribus variari,& auctor libri de coloribus indicat in purpuræ tinctura, vbi concha contuſa (de minoribus loquitur quæ trapetis frangebantur totæ) vniuerſa humiditas fuiſſet eluta, & effuſa in cortinas coctaque, primum nullum omnino colorem conſpicuum fuiſſe, ſed paulatim quemque ipſorum humido magis concocto, & inſitis coloribus ſibi inuicem permiſtis, multas variaſque exortas differentias. Ita cum magnarum purpurarum hæmatidas demiſerunt in ahenum, extiterunt initio colores opacus, niger, aërius; at ſatis elixato flore, floridus halurgus & ſplendidus emerſit. Sed, quod attinet additamenta, ſiue ſorbete cogant, ſiue ſorbeant ipſa coniunctaque

pannis

pannis hæreant, etiam nostris temporibus ea sunt in vsu, vt constat de cinere clauellato, alumine, calce, creta, cotium polline, arsenico, vini fece, seu tartaro, galla, myrobalanis, Zedoaria, spuma Saponis, aliisque quorum quædam adduntur serico, sanguine vermiculorum ad purpuram tingendo. Docet & autor de coloribus artificiales fieri ex floribus (vt hyacinthi, genistæ, chrysanthemi, cyani, cichorii, &c.) radicibus (vt rubia) corticibus (vt alni) lignis (Brasilio, santalo rubeo) foliis (rutæ, fuci marini, &c.) fructibus (myrobalanis, baccis myrtillorum, acinis sambuci, ebuli, spinæ infectoriæ, galla, cocco ilicis) terra (vt Paretonio, melia, ampelitide, ochra, chrysocolla, arsenico, sandaracha, minio, cinabari, & quæ alia in 3. Meteo: pulucrum coloratorum & lapidum pingentium nomine intelliguntur) spuma (vt Indico, alcyonio, &c.) multa atramento (vitriolo Romano & cæteris. Item aliis succis terræ vt sulphure, alumine, &c.) Et animalium succis, (vt purpuræ, buccini conchylii, bestiolæ bibinellæ, sanguine draconis Plinii, hircino, quo pertinent etiam fella:) alia vino, lixiuio, fumo, mari. Hæc ille. Est quidem creta cum calce sorbens medicamentum: sed eius loco adhibentur & cineres ossium, veluti sepiæ, cornu ceruini, quod in clauso vase vstum etiam purpuram nigram repræsentat, similiumque, aut pro

 his

pro his læuores eorundem. Succi arborum & gummi non obtinent postremas, vt est lacca, sanguis Draconis verus, quæque alia magno numero passim ex rerum natura promi solent, & toto orbe conquiri ad luxum & oculorum pabulum. Quo pacto purpura tingatur, malo te ex Plinio cognoscere. Quo modo autem vestes, lanæ, aut lintea inficiuntur, eodem & cornuum scobes, pultes, laminæ, crines, vbi tamen oportet adiicere acre medicamentum, quod penetrationem colori & adhæsionem afferat, quale est lixiuium, aut sal Sodæ, nitrum, & similia. Chartam cæruleam effecturi Mandragoræ libram, aluminis tusi vnciam conterunt, & expresso succo tingunt. Transiit etiam ad lilia, pomaque artificium. Vt enim Plinius autor est, Mense Iulio colliguntur scapi arescentes, liliaque suspenduntur in fumo. Deinde nudantibus se nodulis in fece vini nigri, vel Græci Mense Martio macerantur, vt colorem accipiant, atque ita scrobiculis seruatur heminis fecis circumfusis. Ita fiunt purpurea. Si surculi ante insitionem parte ima sanguini per horas 24. macerentur, rubra dicuntur poma gignere; sed nimis penè multa. Aries ille Virgilianus quo modo velit tingi sua vellera, seu aquarum potu, vnde aiunt & piscibus squamas, & ouibus lanas variari, seu pastu, seu terrarum aspersione aut sanguine bileve sua, aut Solis radiis & cæteris, ipsũ eligere sinamus. Tu vale & vine.

Charta cærulea.

Lilia purpurea. Lib. 21. c. 5.

Poma rubra.

EPIST.

EPIST. XLV. DE CHYMIcorum ſcriptura.

Ad
Gratianum QuodVultDeum Fidenatem virum pium.

TIBI vero vafri videntur chymici, aut inuidi, dum arcana ſua ſignis literiſque ſuæ diſciplinæ familiaribus ab acceſſu profanorum defendunt? Atque eiuſmodi Emblematis & hieroglyphia, tum olim Ægypti ſacerdotes, tum hodie vtuntur gaudentque: nonnulli eoque plus eſt iuris ad eam rem chymicis, quod ab Hermete & illa ſcribendi ratio, & Alchymia prodierit. Ducem artis ſuæ ſequuntur, idque factitant, quod diſciplinæ conſuetudo pridem invexit. Noſti ſcytalen Laconicam, & quæ alia ſubtilibus iuuentis annumerauit Cardanus. Libebat Cæſari bellica conſilia non vulgata aperire amicis ſcriptura. Liceat idem & chymicis. Fateor quidem inſidiarum, & ne hoſtis cognoſceret deliberata metum, Imperatorem illum ad arcanas literas impuliſſe, eſſeque diuerſam ſcientiarum tradendarum cauſam. Sed ſi Hippocrates á Medicina arcet non initiatos: ſi multæ gentes & lingua & literis peculiaribus diuortium à cæteris faciunt, nec eſſe; eſt alios per interpretem commercia cum illis peragere, aut linguam literaſque addiſcere: non iniuria eſt, eum qui cum chymicis conuerſari velit, horum more primis diſciplinæ temporibus præ-

Hipp. In iureiur. παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος, καὶ τῆς λοιπῆς ἀπάσης μαθήσιος μεταδόσιν ποιήσεσθαι υἱοῖσί τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος, καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε καὶ ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ, ἄλλῳ δὲ οὐδενί.


cepto, deinceps pedetentim ad reconditiora intromitti. Cum itaque viderit quis in veſtibulo, aut etiam paginis chymicis ſepulchrum ex quo Sol oritur, vel quod reconditur: Cum leonem viridem rictu aperto ſolẽ deglutientem: cum binas ſoleſque in arbore pro fructu naſcentes: cum pelicanum, baſiliſcum ſuàm caudam mordicus inuadentem coruum nigrum, terram rore cœli madefactam, hominem bicipitem coronatum vna corona: reginam regi iunctam & reliqua, cogitet emblemata artis chymicæ eſſe, quomodo olim Ægyptii hominem horas comedentem pinxerunt pro horoſcopo: apem pro populo regi morigero; anguem circa magnam domum pro Imperatore, Ranam pro impudente: camelum pro ſegni; duas cornices per nuptiis: onòcephalum pro nunquam egreſſo ex patria: Leonis caput pro vigilante: & reliqua quæ recenſet Horapollo. Nec minus animi & ſolertiæ credat eſſe chymicis, quam typographis, quæ ſua Symbola libris apprimunt per eiuſmodi picturas vt qui verbum Dei pro Symbolo gerit, malleum montes quaſſantem repræſentat, qui τὸ σπεῦδε βραδέως illigat anchoræ Delphinum & reliqua paſſim in frontiſpiciis libellorum obuia. Illud probare non poſſum, quod aliqui adeo varient characterib. vt eos ne artifices quidem veterani poſſint intelligere, ſiue id arrogantia ſtudioque fraudum ſuarum occultandarum fiat, ſiue imperitia. Nonnulli confundunt notas,

Characterũ variatio ſubdola.

& eodẽ charactere ſtibiũ, ſulphur, alcali, &c. ſignant, alii eos permutant, & quo quiſque eſt ſtultior, & magicis ſignis addictior, eo eſt in hac re ſuperſtitioſior magiſque varius. Porro, quæ conſtantes ſunt probatęque picturæ, ſiue ab Ægyptiorum hieroglyphia prodierint, ſiue Aſtrologia, ſeu Magicis cabaliſticiſque perſuaſionibus, vſu recepto potiſſimum valent. Itaque Planetarum & ſignorum cœleſtium characteres translati ad res animales, vegetales, mineralesque in mundo inferiore, poſtquam arte ſunt elaboratæ, non adeo ſunt culpandi, quemadmodum nec cæteri, quos probauit conſuetudo, ſed non alio fine, quam, vt deſignent res ſuas, arceantque impoſtorum & alienorum ab arte acceſſus. Tribuere vero eis neſcio quas vires, & cognationes cũ rebus præſertim, ſi inſculpãtur metallis gemmiſue, plane eſt ſuperſtitioſum & magicum. Sed nolo de his eſſe prolixior. Quod ſcire ex me cupis, quænam ſcriptura apud chymicos ſic ingenioſior probatiorque: Et num liceat tribus literis Cardaneis omnia ſcribere; mallem te alium conſuluiſſe me in iſtis vel attentiorem vel peritiorem. Nihil habet artis vel vna litera pro omnibus vti, poteſtque ſibi quilibet varias rationes fingere, veluti ſi literam O, adhibitis punctis, lineolis, hamulis, ita informes, vt ſingulas referat cæteras, præſertim ſic ductis, vt aliquo indicio, conſuetam literam repræſentent: veluti literam M hoc

modo

mō ℞ ; ꝑ ꝓ ; ℨ ꝗ ; ſ ß ; ſ ß ;
& ſic deinceps. Ita tribus primis alphabeti latini elementis omnia reliqua exhibebis puncto ſupra, infra, in medio, ad latera, ſimplice, duplici, triplici poſito. Nihil, inquam, in his eſt artificii præclari, aut ingenii ſingularis. Occurrit aliquando in quibuſdam chymicis etiam tranſpoſitio & permutatio literarum, ita vt locum primæ obtineat nona, & pro B ponatur P & ſic in cæteris. Alii duodecim ſignorum, ſeptem planetarum, & quinque aſpectuum notas vice literarum pingunt. Ordo hic eſt ♓, ☌, ♒, △, ♄, □, ♃, ✶, ♏, ☋, ♎, ☽, ♍, ☿, ♌, ♀, ♋, ☉, ♊, ♂, ♉, ♃, ♈, ♄. Et vt conſtet numerus vicenarius quaternus. w Germanorum aſſumunt, ſed difficilis eſt iſta ſcriptura. Promptior expeditiorque hæc eſt m' (quæ & pinguitur



V conſonans [illegible] (ex Ebræo ꝑ ſe & ſimul X, licet alii caudam protrahant verſus ſiniſtram (w) cum X volunt ſignare) Literæ Z nullam adhuc in hoc genere deprehendi notam, quod rarius occurrat in Chymicis. Poteſt tamen vſurpari re exigente talis (Ej.) Coniungi autem admodum commode poſſunt illæ notæ etiam curſoria ſcriptu-

ſcriptura, vt [illegible] [illegible] quod eſt: Mercurius dulcis. Sed nolo noctuas Athenas. Vale.

EPIST. XLVI. DE HIS QVAE colorantur apricando.

Ad
Plantium Trinummium Stellam
Virum Illuſtrem.

CVM & fama, & reipſa comperiam, non pœnitere te, vir Præclare & Illuſtris, rei literariæ, nec pudere, interdumque ſolere quantum per grauium negotiorum pondera licet, in colloquium cum eruditis deſcendere, & liberalem admodum animum ſummeq; beneuolum illis exemplo magnorum Principum, Regum & Imperatorum in quorum olim poſſeſſione & patrocinio fuerũt artes honeſtæ, exhibere, oſtendentem gratam tibi eſſe Philologorum conuerſationem; adire te verbis meis volui, & aliquid oblectamenti ex Philoſophematis potiſſimum chymicis obiicere. Id ſi promptè accipies manibusq; porrectis comiter apprehendes: non deſperabo de temporum noſtrorum fortuna, nec totas artes ab aulis exulare confitebor. Sed cum non delecteris verborum ambagibus, maliſque te ἄνευ προοιμίων accedi, rem propono ipſam. Credo ad tuas aures oculoſuè perueniſſe iudicium illud de vera falſaque ærugine apud Plinium, ſicut & de Indico generoſo & adulterato, aliiſque huiuſmodi, quo nonnihil etiam

referunt

Æruginis iudicium.

referunt, alii naturalium rerum contemplatores. Tradit is, æruginem ex ære per acetum, vinaceaue confectam adulterari marmore trito, aut pumice, aut gummi, aut atramento: Illa stridore inter dentes prodi, hoc vltimum ignibus, aut papyro galla infecto. Quæ enim ærugo in candefacto ferreo batillo suum retinet colorem, eam censet veram, quæ rubescit, atramento mistam, quæ etiam nigro tingit chartam aqua gallæ maceratam. Pertinet nimirum artificium examinis per ignem ad magisterium colorationis, quod calore seu ignis, seu Solis peragitur cuius nō tantum est exaltare, & aliqua perfectionis nota rès donare, id quod est principale munus, sed & ex more exaltatorum genuinorumque cognoscere defectus & integritates, sicut omne rectum iudex sui est & obliqui. Mirari tamen subit, cur pro adulterata habeat eam, in qua est atramentum, cū hoc sit pars æris constitutiua, & æs pene totum resoluatur in chalcanthum quod etiam potissimum in venis ærariis colligitur, velut in Cypriis, Vngaricis alisque. Deinde quæri potest, quî sibi constet experimentum, cum & ærosa tandem erubescat? Vide, num caussa & vtriusque quæsiti solutio petenda sit ex fixo & non fixo. Crudum enim chalcanthum, cum non sit fixum, fugacius est colore: corporeum vero, quia per ignes excoctorios iam exercitatum est, & firma compage solidatum constantius & substantia

ſtantia & colore dicendũ eſt. Itaque etiamſi impetu caloris tandem erubeſcat, tamen non tam celeriter in batillo vt crudum. De Indico idem autor ex eodem magiſterio iudiciũ petit. Indicum, inquit, In India fit limo adhæreſcente arundinum ſpumæ: alterum eius genus in purpurariis officinis innatat cortinis, eſtque purpuræ ſpuma. Qui adulterant, vero tingunt ſtercora columbina, aut cretam. Sed verum probatur carbone. Quod enim ſyncerum eſt flammã reddit excellentis purpuræ, & dum fumat [illegible]dorem maris olet. Nimirum hoc alterum [illegible]mplum alterque modus iudicii ex hoc loco eſt priore duplici exiſtente. Cum enim color in ipſo corpore ſpectatur, aut manere debet naturalis, aut in certum mutari, & in quem eſt mutatio, ex eo quandoque eadem ſpeces, quandoque diuerſa iudicatur. Vt aurum candefactum, ſi ſyncerum eſt, ſuum retinet colorem: ſin ære argentoue multo miſtum nigreſcit: Et hoc peragitur nonnunquam adiectis medicamentis, veluti ſulphure, ſalium paſta, & ſimilibus, Ita Minium olim ſyncerum à fucato diſtinguebant conſtantia coloris in pala aurea ferreaue candefacta. Fucatum enim nigreſcebat. Alter modus non tam in corpore, quam flãma reſultante conſideratur, & potiſſimum congruit combuſtilibus. Docet experientia, ſpiritus reſolutos ſecum vehere tincturæ partem. Itaque cum æs perficitur coctura, exiſtunt

Indici iudicium.

ſtunt inde halitus in flamma virides, punicei lutei, ob æruginem, hydrargyrum, & ſulphur. Cum cinabaris paratur, indicium perfectæ capitur ex puniceo ſpiritu emicante, quem etiam vidi erumpentem in auro vitæ ignibus figendo, ſtibioque & ſimilibus. Sunt quidem etiam alia per ignes experimenta, veluti cum Plinius de cæruleo ſcribit, id flagrare debere carbonibus, ſed ni ex colore iudicium exiſtat, ad aliam referuntur claſſem. Vin' quoque de exaltatorio miniſterio aliquid? Metuo quidem, ne beneuolentiam perdam prolixitate: vtendum enim fortè apud te eſt Philoſophia, ſicut condimentis ciborum, quæ nimia perdunt ſaporis gratiam: Veruntamen, cum non deſint, qui etiam affatim condita amant, ſuauiterque illis afficiuntur, fingam te eſſe ex eorum genere & non quidem ad ſurditatem vſq; adigã palatũ, ſed tamen ſale Philoſophico aliquanto vberius perfricabo. Non deſunt cauſarum naturalium inueſtigatores, qui etiam illa vulgaria de linteis, velleribusque & pilis dealbandis apricando, ingenio illuſtrarunt ſuo, dicentes, quomodo abſterſæ, rarefactæque humore ſordes cum eo ipſo in ſpiritum attenuatæ diſcedant puraque lintea & huiuſmodi relinquant, præſertim ſi humor non ſit calcoſus, atramentoſus, aut alia miſtura vitium maculaſque introducens & ipſæ plagæ extendantur ſuper palos, lignave, vt aer ſubtendat inter terram & plagas. Sed

talia

talia apud te ſunt proclamatæ tritæque notitiæ. Ceram dealbant paulo ingenioſius, & eſt eius vnus modus apud Plinium, his deſcriptus verbis: Ventilatur ſub diuo (inquit) ſæpius cera fulua. Deinde feruet in aqua marina ex alto petita addito nitro. Inde ligulis eligunt florem, id eſt, candidiſſimæ quæque transfunduntur in vas, quod exiguum marinæ habeat frigidæ, & rurſus marina decoquunt ſeparatim. Dehinc vas ipſum refrigerant. Et hæc, cum ter fecere, iuncea crate ſub diuo ſiccant, Sole Lunaque. Hoc enim candorem facit, ſi ſic ſiccatur. Et ne liquefaciant, protegunt tenui linteo. Candidiſſima vero fit poſt inſolationem etiamnum recocta. Hæc ille; Sed non ita dimittenda. Cur enim ex alto petit aquam marinam, cum aerem exterſoriamque requiri res ipſa loquatur & additamentum nitri declaret? An altum non eſt profundum, ſed remotum à littore? In profundo mare dulce eſſe, vt & iuxta littora, vbi amnes magni influunt, tradit Scaliger ſuo quodam experimento, quanquam, quâ regulâ ſalſæ examinantur fontium aquæ, ea contrarium euincat. Salſior enim potes ad fundum concedit, dulci innatante. An per vim ſalſedo ex imo egeritur? Flumina ſubeunt magis quam innatant: Deinde credendum eſt, in imo maris non paruas eſſe fluuiorum fontiumq; erupturas, quo modo Danubii partem, & mare Caſpium, &

Cera alba. Lib.21. c.14.

Scal. exercit. 51.

lacum Asphaltiten aiunt alicubi clam in maria emitti, quod si est, in summum trudi salsas partes est verisimile, ne quid dicam de motu maris suo, siue is ab inclinatione terrarum est, siue Lunæ virtute.

Hactenus itaq; si profunditatem maris intellexeris, dulcem volet Plinius, quod improbo; si in altitudinem in latum, salsam, quod probo. Marcus Cato vinum coum facturus, iubet sumere aquam ex alto marinam, mari tranquillo cum ventus non erit die 70. ante vindemiam, quo aqua dulcis nō perueniat. Apertis nimirum verbis excludit dulcem, salsamq; ex eo loco maris petere iubet, ad quē non perueniat dulcis. Nunc ergo ex profundo procul à littore? Aiunt enim dulces aquas distribui per summum mare, & innatare, maximè tranquillo, & iuxta littora sunt scatebræ & influxus dulcium, sed mitto hæc. Quod ait linteo tegi, ne liquescat cera, aliquam rationē habet. Radii enim auersi tanta violentia in ceram agere non possunt, vt ostendunt etiam vmbracula, quę frontibus opponimus. Sed ne inquinetur æreo puluere, potior videtur esse causa. Itaq; & Venetiæ admodum aptæ sunt ad puritatem dealbationis, nō pertingente ad tecta earū puluerulento turbine. Cætera sunt aperta, estq; hoc magisterium mistū quodammodo. Non enim simplex est dealbatio per apricationem, sed cū lotione. Nonnulli ceræ mundæ in olla noua affundunt dimidiū aquæ

claræ,

claræ, & coquunt, dum aquæ innatet. Immergunt postea tabulam vitream frigida imbutam, ita, vt minus media parte demittatur, ceramq; adhærentem extrahunt, idq; ordine repetũt, quoad exhauserint totam. Eas lamellas apricando sæpeq; vertendo ad albediné iustã perducunt. Hæc ratio profuerit à mari dissitis locis. Puto tamen rectius adiici salẽ, aut muriã aquæ substitui, quo aliquid debeatur etiã detersioni, cũ in pingui alias tenaciter hæreant inquinamenta. Qui cerussam colore suo exaltatã cupiunt, artificio plebeio linteorum per madefactiones & insolationes vtuntur. Agaricũ detracta cuticula super tectis in cratib. soli exponũt, itaq; candefaciũt. Cur queso istud? An nõ virtus diminuitur, satiusq; foret crudo vti? Ita nimirũ indicabat pharmacopola quidã Sed dealbationi coniunctã quandã ἐπανόρθωσιν censendũ est, vt non tam color placeat, quam venenatorũ spirituum difflatio. Nigrũ .n virulentũ creditur. Tandem quærere subit, cur albedo duntaxat per apricationem spectetur, & non etiã alii colores veluti nigredo, flauities, rubedo, & similes? An nigredo imperfectio & quasi priuatio est, albedo vero forma & Entelechia? Itaq; licet Æthiopes eò magis sibi placeant, quo sunt nigriores, tamẽ id non ex natura rerũ est, sed iudicio corrupto. Sunt enim qui suis delectantur maculis, & quo prolixior struma in collo ludit, eò putantur honoratiores, Candorem vero ipsa natura

Cerussa dealbanda.

Agaricum.

commendari etiam ſydera oſtendunt, & in Phyſicis demonſtratur ipſum eſſe cum maxima puritate, reliquis ex infectura prodeuntibus. Ita imperfectionis eſt argentum nigrum; lucidum vero & album perfectionis. Itaque non immeritò hunc colorem præfert Plinius colori auri, quod non antecelleret argento, ni alias haberet dotes. Sed tamen ſuum cuique pulchrum, & ſunt perfectionum gradus nonnulli. Tu ignoſce prolixitati & vale.

EPISTOLA XLVII. DE EXALTATIOne coloris per cæmentum, reuerberium ſimplex aut halitum ignis;

AD

Lucium Fontejum Philoſophum & Theologum præclarum.

PENE mihi euenit à te, quod duobus illis ad regiam aulam mendicis, alteri à Deo adiutum, alteri à rege, beatos prædicanti, narrant. Venit enim ad me Montanus noſter, attulitque à te ſibi ſcriptas admodum põderoſas & grauitate, varietateq; rerum mira refertas literas, cum meę, quas ad me dederas, viderentur ferè inanes. Nihil enim habebant, præter arguta quædam verborum lenocinia & elegantias, quas, cum ille apprimè conſectetur diligatq;, putabam ipſi debitas. Itaque permutatione facta prægnantes reb. quanquã incomptas, ab eo recuperaui, erratũ credens in ſcriptio-

In ſcriptione. Et certè videbantur meo ingenio aptiores. Ne quid enim diſſimulem, fateor tibi, me ex eo populo eſſe, de quo Horatius:

Interdum ſpecioſa locis morataq; rectè
Fabula nullius veneris, ſine pondere & arte
Valdius oblectat populum, meliusq; moratur
Quàm verſus inopes rerum, nugæq; canoræ.

Oblectant detinentq; & me tuæ inuenuſtę cũ ſemper ſoleas, quod verbis impendis, reb. detrahere, nec vnq̃ ſcribas grauius, quam cum neglectius. In primis autem placuit mihi illa ſententia, oportere Theologum paſtorẽ gregis ſancti futurum, non alia vti fiſtula, nec ſono alio, quam quem ex ore paſtorũ principis acceperit: Itaq; & lapidem lydium hunc eſſe, & veras oues ſic benè paſci, & obedire. Lupos vero tanquam incantamento arceri, vt, qui non queant ferre iſtum ſonum inſtar ſerpentum, carminum vim auerſantium, ne dementẽtur & pereant. Deinde exoſculatus ſum hoc quoq;, ouem genuinã audita paſtoris legitima voce obſequi ſimplici animo, quanquam nec intelligat, nec videat editæ edendæve rationem. Multa certè in Philoſophia extant mirabilia, quorum, cum nulla appareat nobis cauſa, effecta tamen admiramur, & per naturam ipſi quoq; ſtupenda procuramus, ignorantes interim modum, aut ſaltẽ de eo dubitantes, quomodo de magnete notum eſt. Tot mundi annis tam neceſſarii eſt vſus, vt abſq; eo minus benè videatur conſtituta eſſe

 vita

vita nostra. Ipsi per eum mysteria peragimus & populo veluti præstigias obiicimus. Sed quis vnquam intellexit, aut explicauit caussam attracti ferri, aut lineæ, quam sequitur, mundanæ? Familiaritatem proprietatemque naturę dicunt omnes, declarat speciatim nemo, & ne quidem est id ab homine postulandum. Quo deterior est eorum audacia, quæ in diuinis tam putant acutum cernere, vt omnes eorum loculos, angulos, rationes, caussasque habeant in explorato, cum tamen non rarò explicatio tam dissentiat à sono primi pastoris, vt mercenarium intelligas, aut furem, non pastorem. Quanto melior conditio est puerorum, quibus eò est promtior expeditiorq; ad salutem via, quò minus possunt in mysteriis cælestib. Philosophari? Hæc, inquam, me insigniter in literis tuis Montano quidē redditis, mihi autē, vt opinor, debitis, delectamur. Studebo vicissim tibi aliquid oblectamēti ex meo tamen horto, & vinetis parare, non tantum, vt operam istam compensem, sed etiā ad nouam te prouocem, quanquam, quid ego ad Dionysium? Sed tu boni consules etiam leuidensia, maiorisque æstimabis amicitiam. Quo pacto in coloribus, quibus nosti aliquid diuini inesse, quandoquidem tantopere his delectamur, qui sunt pulchriores, Chymia soleat elaborare, sedulo inuestigaui, & ob hoc sæpè cum peritis colloqui sum conatus. Non leue ad eorum præstantiam mihi vi-

hi videntur afferre momentum tum tincturarum modi, tum ignium artificiose accommodatorum vires. Horũ autem vel actio quæritur solitaria, veluti, cum reuerberio simplici caloreq; seu nudo, seu mediante vase, ignem patientium colorem exaltamus: vel fumorum inficientium operatio simul: vel tandem additamentorum efficacia. Tripliciter itaq; sese hoc cõsilio tractandum præbet Vulcanus, reuerberio solo, reuerberio cum cæmento, vel coloritio, & fumo. Ignis quidem, quia calidus, calefacit, quia siccus siccat, quia spirituosus, penetrat, soluit, liquat: Et calore sicco, spirituoso, flammeoq; fundit nonnulla, alia comburit, alia tingit, siue producendo colorem ex potentia in actum, siue alluuionem halituosam introducendo; vt sic coniunctis facultatibus mirificorum operum sit causa, sed, si additamenta mineralium accesserint, atq; etiam pabuli natura, & halitus ei fuerint commisti (Talis enim ignis in specie est, quale pabulum cuius dispositas partes quidem in ignẽ vertit, attamen non quemuis, sed respondentẽ principio) effectum habet admirabiliorem. Adde iam & patientium διαθέσεις, quantũ sit in Vulcano, magis elucescet. Sed nos parua duntaxat in præsens sequamur. Hoc artificio fit miniũ è cærussa: minium dico illud, quod Agricola Sandycem vocat, & sandaracham ex Vitruuio, quanquã Plinius sandaracham adulterinã appellet aut cerussam vstã, & Sandycem cõponat ex illa

Simplices ignis actiones.

Compositæ, quæ sunt etiam totius naturæ.

Macrob. lib. 7. Saturn. c. 16.

Minium plumbariũ.

ex illa Sandaracha, & æqua rubricæ parte, vtriſque vnà toſtis. Minium autem illi eſt aliud. Verum loquamur cum vulgo. Ex cæruſſa minium hoc (id eſt, ſandaracham notham) Plinius facit toſtione fornacis, vſque dum flammeum trahat colorem. Agricola patinam cauam prunis imponit, inque earum cæruſſam coniicit friatam, & agitat nodiculis, donec ruffeſcat inſtar ſandarachæ, & vt dixi, vocat Sandycem. Libet hic offam obiicere contentioſis ingeniis. Cæruſſam deſcripſerat Plinius lib. 34. cap. vlt. in hunc modum. Cæruſſa fit ex alio modo (nam ibi præmittit vnum per plumbi ramenta ſuper aceto ſuſpenſa, donec defluant) addito in vrceos aceto plumbo obturatos per dies decem, deraſoq; ceu ſitu, ac rurſus deiecto donec deficiat materia. Quod deraſum eſt, teritur & cribratur, & coquitur in patinis miſceturque rudiculis, donec ruffeſcat, & ſimile ſandarachæ fiat. Dein lauatur dulci aqua, donec nubeculæ omnes eluantur: Siccatur ſimiliter poſtea & in paſtillos diuiditur. Vides continuo orationis ductu cæruſſam ab initio deſcribi vſque ad finem, vnde æſtimatur perfectio ſubſtantiæ, & nominis. Sic itaque Plinio erit cæruſſa ruffa, & non alba. Rurſus lib. 35. cap. 6. cæruſſam annumerat candidis coloribus, additque fuiſſe & terram per ſe in Theodoti fundo inuentam Smyrnæ, cum ſuo tempore omnis fiat ex aceto & plumbo. Num itaque Plinius ſecum

Cæruſſa Plinii.

Cæruſſa natiua quam & Kentmãnus in ſua capſula poſuitque dicens in agro Vicentino naſci.

cum pugnat? Sane iudicio ipsius cerussa eadem manet siue alba sit, siue ad rubedinem perducatur. Itaque in posteriore capite diuidit processum, in priore continuauit. Id inde patet, quia mox subiicit vstam cerussam casu repertam esse, incendio pyræ cerussa in orcis cremata. Non vsta ergo alba est, vsta vero rubra, & vocatur purpura, quæ est optima, vt Asiatica, licet vox purpuræ & bestiolam marinam aliàs & vestem & colorē in statuis ex ære Cyprio & plumbo designet. Vstā aliam ex Sile marmoroso cremato aceoque restincto conficit. Vnde & hoc liquet, non omnem cerussam fieri ex plumbo. Sed, neque hoc prætereundum est, si ista est vsta cerussa, quomodo distat ab adulterina sandaracha, quam docet ex cerussa parari coctione fornacis ad flammeum? Num nihil interest inter vlla duo nisi tantum color qui ibi est ruffus, hic flammeus? At supra dixerat cerussam coquendam esse, donec ruffescat facie sandarachæ. Nō possum me expedire ex his tricis, nisi forte transposuit Plinius silis marmorosi vstionem & cerussæ coctionem. Videtur enim illud potius esse sandaracha notha. Sed relinquo iudicium peritioribus. Alii artifices cerussam cum sale communi præparato cæmentant in igni vitrariorum spacio octidui, & tandem eluunt aqua. Plinii minium est duplex arenarium scilicet per se coloratum; & secundarium, quod tradit fieri ex vsto lapide venis ar-

Purpura metallica.

De sile vide lib. 33. cap. 12. vbi triplex describit, Atticum, marmorosum & Scythicum.

Minium Plinii.

gentariis plumbariisque permisto, non ex illo, vnde est argentum viuum, hoc est, cadmia natiua metallica. Negat illum lapidem rubescere, nisi in fornacibus, vbi exustus postea tundatur in farinam. Est hic lis aliqua. Nam cum lib.33.cap.8.hydrargyrum ex minio secundario trito in æreis mortariis pistillisq; ex aceto conficiat, neget autem secundarium minium fieri, nisi vstione, ante quam non est minium, sed lapis matallicus (Ein Leerer Zechstein auf dem Silber vnnd Bleybergwerck) quomodo potest hydrargyrus ex minio illo fieri per istum modum? Certe duntaxat separatio confusi est. Itaque hydrargyrus latitauit in eo quod etiam patet ex secunda eiusdem prolectatione p sublimationē seu destillationē. At si in eo lapide fuit, cur nō periit ignibus, cū miniū fieret? An itaq; miniū dixit pro lapide minii? Ita enim prius exsorbebitur hydrargyrus. & deinde caput mortuum reuerberatione transibit in Minium. Libet etiam suspicari Plinium habuisse duplex minium secundariū, aut confudisse cinabarim natiuam fossilem cum illo lapide plumbario, ex quo nostri Ochram faciunt plumbariam, & tandem minij quandam speciem, nisi malis cærussam vstam dicere, aut sandycem cum Agricola. Cinabaris natiua, quæ lapidum specie foditur, eodem modo teri potest, & præparari, quo Plinius suas Arenas, seu chrysammon, aut minium ex argentariis primariū, quanq̃ cum arenas

vsserit

vſſerit Callias, non obſeruauit exeuntem hydrargyrum, nec Plinius hunc vſum explicat. Ex hac porro cinabari ita parata per ſolam trituram læuigationemque, vt Agricola habet, non eſt abſurdum fieri hydrargyrum ex ſententia Plinii. Num ergo duplex peccatum in hoc autore eſt, primum quod argentum viuum ab hydrargyro diſtinxit, cum non differant fortaſſis, niſi externis: ſecundum, quod hydrargyrum ex minio ſecundario fecit, cum debuerit ex cinabari foſſili natiua, aut ſaltem ex altero minio primario? Intelligimus eum ſuum argentum viuum ex cadmia argentoſa elicere. Cur enim negaret poſtea ex illo lapide fieri minium ſecundarium? Cur diceret argentum excoqui ex eodem? Non fit ex cinabari metallica argentum, Sed ex cadmia. Itaque non eſt idem lapis, qui minium, & argentum viuum præbet, Plinio vel ipſo negante apertis verbis. Has difficultates credo etiam Agricolam torſiſſe, qui ideo potius quomodo minium fiat noſtro tempore explicat, quam quomodo Plinii. Differunt certe. Nam primarium minium Plinii eſt ex chryſammo, vel lapide miniarii metalli Bethicæ: Agricolæ ex cinabari natiua, quæ fundit argentum viuum, ſeu verà hydrargyri. Plinii miniũ ſecundarium fit ignibus ex lapide argentario plumbarioue, & hygrargyrum ſudat: Agricolæ ſecundarium conficitur item ex lapide plumbario, & arena plumbaria nihil aut parum

rum argenti cõtinentibus: vel ex lapide plumbario argenti & plumbi fœcundo, nec halat argentum viuum. Minium adulterinum factitant quidam ex calce viua aceto restincta, & pulmenti forma in fimo calido per mensem detenta. Calcinant & marcasitam cum melle, vt sit pro minio. Ærugo quoque & chalcanthum sic colorantur. Paracelsus Arsenicum exaltat ad rubeum colorem per reuerberium in arundine seu fistula ferrea spacio aliquot hebdomadum. Vocat corallinum vitreum pro mistura metallica. Sed nihil aliud est, quam sandaracha artificiosa. Naturalis per se rubescit. Alii in fictili patina super prunis agitant semper, donec rubeat. Cęmento erubescit & sulphur. Citrini enim puluis adiecto oui albo in globulos fingitur, & vbi peraruit, vicissim cum calce viua ollæ imponitur, horisque quatuor igni leni, olla loricata vritur, Ochram plumbariam Agricola parat ex plumbo nigro in ampulla vitrea in clibano reuerberato ad colorem ochræ. Plinius factitiam habet ex vsta rubrica fabrili in ollis nouis luto circumlitis, quæ eo melior est, quo magis arsit in caminis, eadem arte atramentum conciliatur ex vini fece, ebore combusto, vinaceis, &c. apud Plinium: vnde Tryginum, Elephanticum, &c. Tandem ea disciplina etiam aurum invasit & argentum. Vtrumque enim cæmentatoriis pulueribus & pasta coloritii ad rubini colorem exaltatur

Minium adulterinum.

Plin. lib. 34. cap. ult.

Sulphur rubeum.

Ochra plũbaria.

Lib. 35 cap. 6.

Atramentũ Tryginum.

tur

tur, quanquam argentum etiam per se quidam vrant, alii prius calcinatum & in lazurium redactum. Aliàs saltem color auri illustratur, si cum vitriolo Romano, halonitro, & alumine reuerberetur, postea que feruens in vrinam œnopotæ iniiciatur. Quo vero rubescit ad summum, id regale cæmentum vocant. Descriptionem alibi publicaui. Plinius nouit Argentum etiam halitu tingi. Alii suas delicias habent in rosis. Rubras enim mutant in albas sulphuris halitu albas in rubras, vini rubri, dum coquitur, vapore. Absolui, quæ nunc ad te volebam. Si assecutus sum scopum, tibique aliquid voluptatis ex historia peperi, gratum est. Vbi lubet & occasio est, rescribe. Vale. 25. Ian. 98. Rotemb.

Auri color illustris.

Rosarũ color mutabilis.

EPIST. XLIIX. DE COLORAtione per liquores acres.

Ad
Theoleptum Hydrolytum veri studiosum.

PARCE vero Paracelsi manibus, & tibi de Harpyarum ex cineribus ipsius natarum vnguibus caue. Risi affatim cum tuas illas tam lepidas legi parabolas. Videri tibi ais Paracelsum fuisse Atelii pictoris similem. Quid autem hic hominis? Is teste Plinio Romæ celebris quidem pictor fuit paulo ante Diuum Augustum: sed insigni flagitio corrupit artem semper alicuius amore fœminæ flagrans, & ob id

Paracelsus innouans vetera.

Lib. 35. cap. 10.

ob id Deas pingens, ſed dilectarum imagine. Itaque in pictura eius ſcorta numerabantur. At quid hoc ad Paracelſum? Amore rerum nouandarum comitatus, inquis, ſemper finxit, propoſuitque pro vero id, ꝙ lubitum eſt, cum interim nihil niſi impoſturas diceret, & ſcelera metallorum vultum verorum inducens adulteriis per graduantes aquas, & cæmenta reliquaque fucandi magiſteria. Sed tu non animaduertis intereſſe inter Atellium & Paracelſum. Ille enim Deas veras mutauit in vultus & ora ſcortorum: hic ſcortis affinxit vultus genuinorum, niſi fortaſſis, vtraque in arte eum fuiſſe celſum eminentemque, dicas. Si me in conſilium adhibuiſſes, camarinam iſtam non nouiſſes. Neſcis enim te pene infamaſſe magiſteriorum chymicorum partem non ignobilem, quandoquidem artifices affirmant, ſibi ius eſſe è potentia in actum, ſeu è centro in corticem protrahere colores, atq; ita nobilitatem rerum foris oſtendere, id, ꝙ tum aliis aſſequuntur rationibus tum liquorum acrium, mordentium, ſoluentiumque & graduantiū præſidio. Vin' te conuinci? Aurem accōmoda & mentē. Nō nego huiuſmodi liquorū vſu nonnunquam plura peragi magiſteria. Nā & in pulueres ſoluuntur quædam calcinantur & huiuſmodi alia patiuntur. Coloris exaltatio illis eſt coniuncta, neq; tamen in omnibꝰ, ſed his ſaltem, vbi finis colorem ex opere vtilē requirit. Si aqua forti calcinaueris

coral-

coralllia, perdideris colorem, non exaltaueris, quanquam mutatio fiat. Eadem ratio est in gemmis sua natura excellenter tinctis, eadem in serico & aliis. Hic itaque locum non habet hoc magisterium. Cum vero hydrargyrum præcipitatum ad corallinam rubedinem libet adducere, quanquam eodem labore figatur simul, aut etiam turpethum separata parte volatili euadat: tamen magisterium hoc vna peragitur Ita argentum, cum in Lazurium mutatur, calcinatur quidem & in florem calcemue abit alio genere magisterii: sed cum quærimus præcipue tincturam, est huius loci. Describerem tibi praxes ipsas, nisi scirem satis eas esse aliis in locis declaratas. Illud tamen non prætereundum est, aquas huiusmodi acres non raro secum vehere tincturas introductitias, nec semper ex potentia colorem exuscitare. Exempli loco sit cinabaris, quam auream argenteamue facere potes in hunc modum: Aqua caustica ex sale petreo, & chalcantho facta soluatur argentum. Solutione imbibatur cinabaris tritæ vncia. (Intellige vero factitiam) Resiccetur, iterum nutriatur, vt ante donec lacte hoc quater sit pota, & semper arefacta. Aquam destilla per Alembicum, Quod elicitum est, redde capiti mortuo, iterumq; abstrahe. Sic cinabarim in fundo inuenies vno eodemque opere & tinctã, & fixã fluentẽq; instar ceræ. Si pro illa solutione accipias regiã auri soluti, idem fiet, sed auri colore, & constau-

Cinabaris solaris vel lunaris ad tingendum rubeo & albo.

conſtantia: Vſus huius non tantum in tingendis metallis ad ſpeciem aliquam honeſtam, ornamento domeſticæ ſupellectilis, (non ad fraudem) ſed & ad medicinam, quam iuſtius dixeris panaceam, quam quæ hactenus eſt vendita iniquiſſime, quanquam ſua natura ne illa quidem ſit omnino talis. In aliis ſtibium non eſt in poſtremis. Id enim dealbare aut rubefacere eodem potes ingenio. De lacte virgineo audiuiſti? Vario quidem id fit ingenio, ſed tamen potiſſimæ debentur huic magiſterio, quandoquidem acetum acre neceſſe eſt lithargyro admoueri, vt in lacteam albedinem; & conſiſtentiam cum aceto abeat. Sed operæ precium eſt formulas recenſere. Lithargyrum tritum coquitur aceto vini ad ignem paruum. Coctura deſtillatur per lacinias, aut colatur ad puram albedinem. Hæc miſcetur cum aqua ex vitrorum ſpuma eodem modo comparata & tunc primum lacteſcit, ante perſpicuum acetum, eſtque magni vſus in hypopiis, cancroſa facie, gutta roſea & ſimilibus. Ioannes Anglicus paulo aliter parat, ita nimirum: Lithargyri puluerem macera, aut coque aceto forti. Poſtquam reſedit, deſtilla per laciniam, vel cola ad purum: Solue halonitrum aqua calente, & traiice per filtrum: Vtrumque liquorem coniunge. Fiet albus ſuccus inſtar lactis. Loco halonitri licet alumen plumoſum, vel ſalem communem adhibere. Eſt autem hic labor principaliter

Stibium.

Lac virginis

liter extractio tincturæ essentialis, & huc non alio consilio relatus, nisi, vt exemplum tingendi per aquas acres singulare habeas. Cum enim lacinia aut filtro acetum à lithargyro separas, relinquitur quidem alba fex in fundo, ita vt totum corpus lithargyri hac arte sit tinctum aceto: Sed nihilominus subtilissima pars in aceto occultatur, & tunc demum manifesta euadit, cum definitur altera solutioné salsa.

Nam hic idem euenit, quod in crocea tinctura stibii, vel aqua forti, in qua solutum est argentum & hydrargyrus, quæ initio tota est pura & perspicua, sed affusa aqua salsa secedit essentia. Si scirem, te nolle foras eliminare arcanum, & ni vererer, ne literæ ad indignorum peruenirent manus, dicerem tibi, istam essentiam esse Mercurium ex plumbo extractum, cuius vim vsumq; habet. Quod scis, nescias. Non opus fortassis est pluribus te obtundere descriptionibus. Sed tamen, cum vsus diesq; semp aliquid obiiciant, quod ante nō est obseruatum; conducunt aliquo modo, & inseruiunt necessitati nostræ plures præparationes. In illis nō vacat arte huiusmodi quædam: Lithargyrum auri pondere selibræ, coque ex aceti libris trib. ad medias. Separa per filtrum ad purum serua. Sit in promtu & hæc aqua: Aluminis crudi semuncia, salis gemmæ tres drachmæ, caphuræ drachma, aquæ rosaceæ tres vnciæ, Mistæ reponātur in vitro alio;

Cum vti voles, illius vnciam confundes cum hui⁹ ſesquitribus. Cõmodabit lonthis faciei, vibicibus & ſimilib. præſertim bile præſente. Itaq; & ignes ſacros abigit reſtinguitq; & ſcabiem ſanat, nõ tamen omiſſis reliquis. Cęterũ vocem lactis virginei etiã aliis nonnullis accõmodant, nempe Mercurio Philoſophorũ, quo nutritur ipſorũ infans, ſeu terra: Ineptius tribuitur tincturæ ſtibii per alembicũ deſtillatæ, quanq̃ etiam adhibeatur acetũ. Eſt & talis quædam cõpoſitio: Chalcanthi Romani, aluminis calcinati binæ libræ, marcaſitæ auri libra: Deſtillentur in aquã fortem, in cuius libra vna ſolue ſalis ammonii ſextantem: Deinde hydrargyri ſublimati vnciã, idq; per partes, ſi nõ ſimul totus fatiſcit: Quod .n. relinquitur effuſo liquore exiccandũ eſt, & mox alia aqua perfundendum, donec planè liqueſcat. Solutio tota in fimum ad putreſcendum per dimidium menſem ponatur, vt feces in fundũ cõcedant. Poſtea per alembicũ igne lento deſtilletur. Quod exit, dicitur lac virginis, aqua viua, lac volucrũ, &c. vt ineptire ſolent & abſurdè loqui. Dicitur laminas penetrare, & in aëre cõcreſcere. Adhibent ad calcẽ Solis vel Lunæ incerandã pro tinctura metallica. Fides tua facit, vt tibi iterũ ſecretum artis huius concredã. Spero in occultis habiturum. Hydrargyrum ex minera, qui in nullo fuit opere, purgà ad ſummum, vt ab omni ſorde liberetur, quod fit deſtillando exprimendo per corium & oxalme

Aqua viua, acetum acerrimum.

Aliud ſecretum de hydrargyrio.

xalme lauando, donec puri cęli instar nitescat. Adde ad partes quinq; , duas solis repurgati, & aliquoties per stibium fusi, inque bracteas subtilissimas malleo extensi iterumque aqua tartari eluti & arefacti: Commisce more aurifabrorum in catinis calefactis, vt sit μάλαγμα, quod traiice per corium operamque da, vt aurum simul cum hydrargyro permeet, idq; ars requirit. Sic erit lac virginis mysticum, quod postea duodecuplo hydrargyri purgati augetur per partes, donec caput corui existat. Illud lac quidẽ est magisterii misturarum: sed volui tibi id vnà cum reliquis repræsentare, ne quid desiderares. Notabis si illud malagma soluatur aqua regia: solutio digeratur, destilletur ad olei crassitiem repositoq; humore iterum digeratur & destilletur, donec rubicũdissima oleositas maneat in vitro, effectam esse aquã vitæ quam & permanentem, & incombustilem, & oleum philosophorum nominãt, nec alio iure huc pertinet, nisi, quod eximium acquirit colorem ex repetitis destillationibus & digestionibus. Vtrum autem sit illa mystica, de qua alias loquuntur Philosophi, dicere nõ possum. Est tamen in ea aliquod operę preciũ. Qui scabie pertinaciore vexantur, solatium ex eodẽ penu accipere possunt, si hydrargyrũ aqua forti soluant, solutionem vero aqua vitiũ, aut lapathi, aut betularum, aut fontium medicatorum iniecto sale misceant agitentque, vt in lacteã substantiam abeat. De argento in

Aqua vitæ permanens, incombustilis, &c.

aurum graduando,& auro ipſo per aquas acutas exaltando,non opus eſt verbis.Recurrit ea res crebrò in confabulationibus Chymicis, quib.re frequentem intereſſe nõ ignoro. Sat apparet ex dictis, qua iniuriâ affeceris Philoſophiam chymicam,adulteriis Atellii eã comparando. Sed tamen ſi impoſtores Paracelſicos notare voluiſti, qui nõ alio conſilio ſpuria ſua artificia obtrudunt imperitis, quàm vt emungant eos argento, & artem ſibi rapiant, cuius ne γρῦ quidem rectè intelligunt, laudo accommodationem. Neque enim ſunt aliis Encomiis digni. Vale,& de vera Chymia benè ſpera.

EPISTOLA XLIX. DE COLORAtionis per abſolutionem magiſterio;

A D

Iunium Heraclium Tricoſtum virum màgnanimum.

PATET humanitas tua, vir magnanime, dum Protogenis caſulam nõ aſpernaris. Non puduit Alexandrũ neq; Diogenis Dolii, neq; Pergulæ Apellis, cũ ad illum cum ſatellitio Philoſophiæ cognoſcendæ cauſa veniſſet, ad hũc vero etiã animi & picturæ gratia, vtrobiq; nõ dubitans ſeſe ab acroaterio Ariſtotelico ſubducere,& de profeſſione homuncionũ iſtorum inquirere.Publica terrarum poſſeſſio eſt,qui literas didicit:In cõmune conſulere & prodeſſe omnib.cupit,interim ſibi præter parietes tugurii nudos relinquens nihil, vt de pictorib. vetuſtis narrat Plinius. Meã rationẽ

eſſe

esse paulo aliã, nescio quis tibi suggesserit. Putas. n. non adeo exinanita loculamenta mea & testulas, quin aliquid purpurissi hæserit, q̃ in animi tui oblectamentum possis vertere. Ego quidẽ non ausim quicq̃ tibi polliceri: non possum tamen in his, quæ video grata fore, nõ aliquid experiri. Pauones te vidisse narras albos, quos, dixerit dominus arte Iacobæa ex pictis procreatos, ita, vt ouis incumbenti fœminæ obiectum sit velum album, vnde colorẽ imaginatione conceptum in pullos transtulerit. Tanti esse grauitatem, autoritatemq; historię puto, vt nõ diffidendum sit eius veritati. Et video summi ingenii & peritiæ virum Scaligerũ id ipsum asseruisse, cum scribat: solus ni[illegible] um aspectus affert matricum phantasiæ speciem coloris huius, vt vel parturiendo, vel incubando fœtus edant concolores. Miror tamẽ modum & vim imaginis traductæ. Non enim par ratio est viuum in ventre gestantium, quibus cõmunio cũ conceptu [illegible]rtuq; interuenit beneficio vasorum & materiæ, nutrimentiq;, in quo spiritus & calor hærent. Ouum vero ab aue diuisum est, nec videtur ex ea tẽpore incubatus quicq̃ capere præter actuantem calorẽ, quem præstiterit etiã fimus, aut arena, vel caminus sinusq; puellaris calens. Num putandũ sit, si fœmina iuxta pectus inter mãmmas ouũ foueat, interimq; sibi firmo cogitatu imprimat virorẽ, quem ideo etiã præ oculis semper habeat, pullos inde prodituros virentes pennis?

Pauones albi.

nis? Memini tentatum idé fuisse in gallinis, sed absque successu. Fors pauoni mobilior natura est, & admiratio ob rei insolentiam fixior, nec tãtum calor se insinuat in oua, sed & spiritus, qui, qua ratione est per phantasiam immutatus, ita afficit materiam, disponitq; ad generationé plumæ cãdidæ. In niuosis coruos, vrsos, perdices, aquilas, vulpes, & alias bestias ex terrestrium & auium genere ab imaginatione magis, quam frigore volunt esse albas, & probabiliter disserunt. Non habeo fideliora, nisi fors vtraq; concurrit caussa in dispositis. Hæ sunt meæ reliquiæ. Si tibi videntur purpurissum, patiar id sane, sed ne tamen puteolanum, au[illegible] Tyrium credatur, à canusio esse dices. Demittendusauté cum auctario Trygini es, ne difficilem, aut illiberalé accessisse prædicêre.

Albedo.

Prouenit albedo maximè in lucidis purisq;, siue luce inclusa, & puritate cõnata, siue per raritatem tenuitatemq; materiæ foris admissa, vt in scobe cornu, [illegible]b. & quorundá aliorum bracteis tenuissimis co[illegible]picimus. Eandem etiã ars inducit separatione: Itaq; asbestinæ mappæ, vt ait Plinius, sordidatæ exustæ ignib. splẽduerunt magis, quam aquis. Eundẽ colorem beneficio solis & irrigationis in nõnullis assequuntur. In vulgarib. etiam ablutione, maximè per lixiuium, & saponé, postea aquam dulcem. Tibi porro considerãdum relinquo, qua ratione idem sanguis, materia seminea, & nutrimentũ à varicolorib. pauonibus segregatũ,

Lib. 19. c. 1.

mutare

mutare potentiã motus, & specie purgatiore prouenire possit. Chymici nõnihil habent ex hac Philosophia etiam in sua arte, quod præceptis instruxerunt, quanquã exempla magisterii colorũ per ablutionem etiã aptari queant capiti de repurgatione, aut colore superficiei exaltãdo, aliisq;. Maximè verò imitati sunt modum per lixiuia humoresq; acres, & postea dulcẽ stillatitiã, nec pœnitere eos huius artificii debet, cum videant Pliniũ, Dioscoridẽ aliosq; Philosophos nõ dubitasse in monumẽtis suis aliquid de eo relinquere. Ita enim Plinius Lomentũ ex cæruleo lauando terendoq; parat, vt in vsum pictorũ cæruleo euadat candidius. Garzias docet, Indos caphuram sordidãtam in panno lineo aquæ calidæ cum Sapone, & succo limonũ immittere, elutamq; ꝓbè in vmbra resiccare, vnde euadat multò cãdidior, ꝙ ipsum alii sublimatione assequũtur sententiã Christ. Georgii de Honestis in cõmentariis ad Mesuen. Cerã quoq; aiunt coctione in aqua clara donec nigrescat, & postea sępè mutata, ad albedinẽ ꝓduci. Oleum Bulcasis aqua miscet calente, & in vase circa fundũ vno foramine peruio agitat, emissamq; aquã permutat noua, donec inalbuerit oleũ. Sulphur Chymici quidã coquunt lixiuio calcis ter mutato, atq; inde cãdefieri tradũt, ꝙ cũ ego experirer, vidi quidem albere, sed cum nihilominus citrinæ particulæ emicarẽt, putaui calcis farinaceã essentiã pollini sulphuris permistã efficere albe-

Ablutiones Chymicæ, quæ tamen aliud sunt, quam ablutio Lotonis.

Lomentũ.

Caphura.

Cera.

Oleum albare.

Sulphur.

dinem eamq; obiicere conſpectui: & fors non ſat tritæ illæ fuerunt, proceditq; artificium in tenuitate, non item in craſſitie. Elegantius eſt auri ſcobem liquore tartari exaltare: Et hydrargyrum vndiquaque oxalmæ eluere per contritionem in mortario ligneo. Sed cum de his alibi diſputetur, ne corollarium excedat ipſam mercem, deſino plura dicere & te valere iubeo.

EPISTOLA L. DE INAVRANDA SVperficie & auri colore foris illuſtrando; AD Georgium Rhumbamium Phil. & Med. Vratislauienſem.

INTERMISSVM diu literarum officium officere amicitiæ, eamque obſcurare, atq; ita minus officioſum eſſe pridem experientiæ monitis indicauerunt ſapientes. Quid ergo agimus Rhumbami? An nos pœnitet noſtri? Non patiar ſitum contrahere familiaritatem ſemel bonis auſpiciis initam, & cum nuper duas ad te per Doldium noſtrum curauerim, adiiciam nunc tertias, teq; ad reſpondendum protraham vel inuitum. Sed ne nihil, quod te occupatum habeat, afferam, & cum Homero vacuo foras quatiar, floſculum Chymicum arte ita tinctum, vt aureus videri poſſit, tibi hac lege dono, vt quanto es ingenio, tincturæ eius rationem, quam nō puto eſſe vulgarem, ſed Chymico artificio dignam, explices. Ita ad viuum accedit, ita vultum mentitur peregrinum

num : vt inobſeruabili differentia non factus ſed ex terra natus credi poſſit. Gloriatur alicubi ille curtorum refector Taliacotius, ſe tam dextre reſtituiſſe auriculam monacho, vt plane naturæ opus admirandum, non artis videretur. Non minor eſt chymicorum induſtria, nec foliis ornanda breuioribus, vt de officina chymica intetpretandū ſit illud Virgilianum ænigma:

(*Dic quibus in terris inſcripti nomina regum*
Naſcantur flores:)

Potius, quàm de Vulcania natura. Sed ne in vno morer, contemplemur & alia. Varia euenit ſeu ignium fumorumque in incendiis, vel aurificum tabernis, & cum aquas auratas conficimus in pharmacopolio, ſeu inquinamentorum contactus, & ſepulturæ iniuria, vt aurum factum ſordeſcat, & præſertim, ſi commiſtum ſit æri argentoque, maculas trahat, aut etiam totū nigredine, aut ferrugine inficiatur, vel palleſcat, aut albi ſit coloris Illud natiuo vultui reſtituere præclare, non eſt cuiuſuis, & ſtudioſe à plebeis artificibus occultatur. Sed chymicus, hominum communioni natus, ex mineruali ſuo promit ſubſidia, iamque chalcanthi & aluminis partes ſingulas cum duabus ſalis miſcet inſpergitque auro ſordidato, hinc prunis admouet, donec cæruleæ appareant nubeculæ, & tandem vrina, vel cereuiſia reſtinguit, ſique opus eſt, laborem iſtū ter repetit, adhibita ſemper exterſio-

Auro reparare colorem.

ne per ſetaceum. Iam aqua tartari, & ſalis ammonii macerat, extergetque: Iam æruginis tres, chalcanthi duas ſalis ammonii vnam cum aceto contemperat, vt fiat quod coloritium vocant. Auream monetam inquinatam inuoluit inducitque illa pulte, & catino candenti, iniectam verſat, donec omnia candeſiant, & perareſcant æqualiter, quo facto in vrinam effundit fricans extergensque ſetaceo quam optime, deinde ſecundò quoque peragit idem. Obſeruant nonnulli diſcrimen inter nummos pallidos, albenteſque & alios, illiſque reſtituendis lenius vſurpant coloritium, quale eſt, quod primo loco recenſui, his vero acrius, veluti quod loco tertio, quanquam augeri ſoleat ſalis ammonii pondus, & adiici halonitrum in hunc modum: Salis ammonii, æruginis ſingulæ ſemunciæ; halonitri chalcanthi ſinguli ſicilici contemperentur cum aceto, vel vrina, ad formam pultis, qua illitos nummos aureos colore vitiatos reuerbera in cæmento intra fluxum, & poſtea reſtingue vino, repurgaque ſetaceo ex filis æreis vel orichalci Nonnulli admiſcent farinam laterum de more cæmenti. Alii ſalem ammonium, æruginem & tartari calcem vel ſimpliciter tartarum crudum aceto iungunt, & vna coquunt aurum quoad color euadat iuſtus, qui labor etiam in auratis poculis inquinatis fuſcatiſue, aut æreo halitu afflatis locum habet. Didicerunt ita annulos aureos, & torques

Moneta aurea inquinata.

Aurata pocula lucida reddere.

ques cæteraque suo restituere nitori saltem aceto, vel vrina contemperantes æruginem, & salem ammonium: offam illitam anathematis istis prunis admouent, & postea vrina abluunt. Qui superciliose in arte versantur, vocabulis vtuntur admirandis, & á vulgi captu, vt videntur, valde remotis. Promittunt enim è centro massæ ad superficiem trahere aurũ posse, vt res inaurata, aut aurea appareat. Sed puluerem coloritii vulgaris ex paribus halonitri, salis ammonii, & æruginis inspergunt massæ calefactæ, & sic student obtinere quod dicunt. Verum, ne nimium indulgentes nobis plebeia quoque complicemus, redeamus ad solertiora artis inaurandi. Non est operosa gloria scire, quod quiuis aurificum tyro. Hoc etiam magistris multis incognitum est. Quare ne putes vile. Non autem loquor de ferruminatione illa Pliniana per hydrargyrum, aut argentum viuum, de qua sunt sua præcepta. Infectionem extremæ superficiei per medicamenta designo. Eam in auro ad quoduis metallum aptam persequuntur his documentis. Pone auri bractearum tenuissimarum didrachmum, halonitri sescunciam, salis ammonii semunciam, tartari quadrantem è libra romana: colliquefiant in catino super prunis, & probe commisceantur, vt aurum vndiquaque peruagetur. Effusis in ollam vitratam metallum inaurandum immitte, atque ita detine per dimidium mensem.

Aurum è centro pertrahere.

Inaurare colorando.

Post-

Poſtea exemptũ impone in aquam frigidam die dimidio. Iterũ admoue prunis, vt ſatis ferueat, aut incaleſcat. Vbi refrixit, expoli cælo aurificum, aut ferramento, vt ſplendeat inſtar ſpeculi, & exæqua lupi dente. Hoc artificium præſtantia ſui antecellit illos vulgatos fucos, quibus ſtãnũ & ſimilia inducũtur, vt aurũ emẽtiãtur, hos dico, quorũ vnus capit olei lini deſpumati librã, & tantũdẽ reſinę puræ cũ quarta parte aloes Epaticæ, & ſemuncia ſanguinis Draconis, quæ commiſta coquuntur in olla vitrata, tecta perforato operculo, donec in fila ducantur, & conſiſtant in vngue, vel vitro plano. Inde traiiciuntur per colũ & ſtanno illinuntur, qualis color fit etiam ex aloe Epatica, ſuccino Falerno, felle Lucii, & oleo lini in ſartagine ad ſpiſſum coctis, & poſtea per triduum inhumatis: quidam tamen fel omittunt: vel ex ſuccino ſolo & lini oleo, quem vernicem arcularii appellant. Alius lapidem calaminarem aureum, cum melle deſpumato decoquit, inducitque Orichalco, & cum refrixit, læuigat puluere cretæ mollis & abluit. Tertius crocum optimum aceto forti & vrina contritum inungit metallis, & igni calefacit. Cæteros omitto. Non caret ingenio cera quædam, cuius affrictu linea relinquitur aurea, res certe vtilis toreuticæ & librariæ. Ceræ puræ eliquatæ ſextanti inſperge chryſocollæ natiuæ ſex drachmas, item ſquamarum æris, & rubricæ fabrilis ſingulas ſemuncias

Fuci aurei ad album plumbum.

Vernix.

Cera ad ducendas aureas lineas.

uncias, quibus omnibus immiſce auri in bracteas dilatati ſicilicum, & finge bacillos, quos calefactæ rei induces, aut ſi candefieri poteſt candenti. Relinquitur linea aurea, vel ſi in planum duxeris, etiam ſuperficies. Non tantum aũt plumbum candidum & orichalcum illis mangoniis fucare, aut, vt fas eſt loqui philoſophum ſine honeſto, ornare annituntur, ſed & æs cum argento, id quod neſcio, quomodo conſentiat Plinio, qui dixerit id non eſſe excellentius reddere, ſed potius degraduare. Veruntamen donemus aliquid pingendi ſtudio quod videmus etiam naturam in ſuis floribus ſedulo obſeruaſſe. Faciunt ad hoc inſtitutum tale quoddam pigmentum maſtiches, aloes Epaticæ ſingulæ ſemunciæ coquantur in olei lini deſpumati quadrante, olla duplici ita coaptata, vt ſuperior inuerſa in orificium ferrumine quodam iũncta ſit inferiori, fundoque pertundatur ad immittendam è ligno ſpatham, qua ſubinde agitetur miſtura. Adiiciunt nonnulli alumen, vt color illuſtrior fiat, & ſeſe inſinuet altius. Quidam auripigmentum, aloen, fel lucii & oleum ſimiliter conficiunt: quæ res videtur ex veterum inſtituto pendere, & auripigmento conuenire. Ridendi ſunt, qui argentum in ſucco, vel decocto membranarum cępæ reſtinguunt, atque ita inauraſſe perſuadent ruſticis. Facili halitu, aut madore ille fucus perit. Docuit Cardanus etiam inaurare coria, quod noſtrati-

Æs pingere.

Coria inaurare.

ſtratibus hominibus videtur plebeium artificium & indignum tanti Philoſophi profeſſione. Illi enim ſpumam argenti oui candido glutinant coriis elaboratis, & poſtea vernicem ex ſuccino Falerno & oleo lini, vel ſella inducunt. Sed tamen non eſt leue, quod Cardanus habet. Oleum lini, auripigmentum (vel arſenicum citrinum) picem & crocum, vel liliorum ſtamina contemperātita, vt oleum tripla proportione excedat auripigmentum & picem, croco habente inſtar ſeptuageſimæ ſecundæ portionis. Dum coquuntur, additur tantum aloes, quantum picis, & cauetur Empyreuma. Qui inaurare precioſius & nobilius volunt argenteas bracteas præmittunt, cæteri ſtanneas, vtraſque agglutinatas corio. Sed non poſſum facere, quin te problemate quodam ad mutuas literas prouocem. Æs coronarium docuit Plinius ex Cyprio eſſe, tenuarique in laminas, & taurorum felle tinctum, ſpeciem auri in coronis hiſtrionum (nunc noſtrates ruſtici hoc ornatu ſuperbiunt) præbere, & in vncias additis auri ſcrupulis ſenis prætenui pyropi bractea igneſcere. Horū verborū mentē nō ſatis aſſequor. Poſſunt eſſe operę diuiſæ, poſſunt & coniunctę. Quid tu ſentis? Auri bracteæ ſūtne miſcēdæ felli & poſtea inducendæ, an prius fel illinendū inde aurum imponendum, an æri confundendum aurum eſt? Quid ſi veriſimilius foret, fellis vnciā contemperare foliorum

auri

auri didrachmum, & tenuiter inducere, posteaque læuigare, vnde vultus splendidus pyropi? Sed te iudicem formarum constitui tanquam alterum Alexandrum. Vide, vt ex æquo & bono pronuncies. Vale.

EPIST. LI. DE COLORIBVS argenteis Inducendis.

Ad Christophorum Rhumbamium Phil. & Med. Vratislauianum.

INIQVE de nostris studiis æstimant, qui nihil à nobis poscunt, præter grandia illa & sublimia, quæ portentose præ se ferunt οἱ ἀεροβατοῦντες, καὶ μετεωροσκόποι. Laudo Silenos Socraticos, illosque, qui Manium Curium Imperatorem Romanorum in hospitio ad focum Rapum torrentem, aut Heraclitum in casa fumaria caloris gratia sedentem adire, aut ruri serentem Serranū & Quintium cincinnatum ad imperia ab aratro in vrbem, non fastidientes sordes rusticas, & manus callo induratas, non dubitarunt accersere. Vt nulla res naturæ est, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur, quanquam videatur nobis vilis & abiecta: Ita est in artium constitutionibus ex natura extructis, in quibus etiam minima suam habent experientiam, præcepta, vsum, & dignitatem. Obiiciebat ille Scherbio nostro indignā esse Medico Scabiei curam. Imo vero responsum est, si sanare il-

Plato in symposio. Plin. lib. 19. cap. 5. & 18. cap. 3. Arist. de part. animal. 1. c. 5.

re illam Medicus nesciat, Medicum vix esse. Itaque quanquam non attingant hæc nostra sublimitatem philosophantium superciliosè, neque tamen nihil maiestatis habent, nec artis gloria sunt indigna, aut in neglectis relinquenda, quomodo videmus Plinium aliosq; veteres, & inter recentes hos, qui de secretis rerum commentarios conscripserunt etiam plebeia non præterisse. Consecremus in auro raphanum, betam in argento, in plumbo rapum more Delphico, atque iterum de artificiis tinctoriis, quantum permittit otium, potissimum argenti colorem foris exaltantes & nonnulla alia eodem splendore ad similitudinē aliquam extollentes, differamus. Nūmos atratos & officina Vulcania inquinatum argētum, quo pacto per tartarum excoquant scopis extergeant, radant, nitorique restituant suo magistri monetales, non opus est meditatione abstrusa, aut verbis operosis. Planum est artificium. Ita enim describitur: catino ex terra Ipsensi (quale est Plinio lutum Tasconium) monetam impone, affusoque oleo tartari (liquorem intellige ex calce) in quo solutū sit parū salis ammonii (in penuria huius Sal vrinæ vel vulgatus satis asper substituitur) coque aliquandiu, & pulchre dealbabitur. Sunt, qui coquunt, sed cæmentant cum puluere ex sale communi, & tartaro crudo duplo, postea que abluunt, & extergent. Placuerit adiecta vrina ex illis rebus duabus lixiuium

Nummi nigrati ex argento.

uium feciſſe, & nummos atratos in eo coxiſſe. Ita ſulphurea alluuio abſtergitur. Eſt, qui puluerem conficit ex tartaro vitriolo, & alumine, eique affrictam monetam albedine ſplendidam efficit, quanquam aliqui argentum, ex quo elucet facies ærea, eliquatum in aquam, ſeu lixiuium calcis infundant, & ſic tectorio inducto fuſcedinem occultent, quo mangonio nonnunquam Cachecticorum vultus commendatiores reddimus, ſed tamen abſque eliquatione. Neque enim, quo pacto aurum purificatur à ſtibio, eo & corpora humana. Mizaldus ſalem ammonium, alumen rochæ, alumen plumoſum; ſalem gemmæ, Tartarum & atramentum Romanum eodem conſilio fineque commiſcet, & aqua ſolutis incoquit argentum. Æs & orichalcum malo inſtituto nonnulli inargentant. Sed fraus deprehenſa non immeritò ſuo penſatur ſupplicio. Philoſophis ea res voluptatem propter ſcientiam, & naturam rerum parit. Non enim quælibet quorumuis alborum miſtura id aſſequetur, ſed experientia artis monſtratorum certa, veluti cum aqua ſoluti argenti nutritur inceraturque tartari puluis, & ad ſiccum poſtea coagulatur: huius affrictu æs & aurichalcum induit vultum argenti. Monetam ærugine & ſitu occupatam iubent aliqui aceto & creta: aliqui ſtibio ſaliua madefacto perfricare: Ego malim aquam calcis exaſpera-

Æs foris albare.

Moneta æruginoſa.

tam sale tartari, & ammonio, sique exuperet & in conspectum prodeat æris fulc do, occultauerim eum antè expositis artibu quamquam nonnulli plumbum candidum liquefactum initio in album ouorum; postea iterum fusum in lac caprinum immittant, idque tertio iterent, & tandem triplò eius vnam partem argenti viui immisceant quod illinunt æri, & igni siccant. Sin vas quoddam est, veluti calix, id madefactum liquore aluminis resiccant, iterumque & tertiò eâdem operâ repetitâ; tandem, quam dixi pastam, in puluerem comminutam affricant. Sin minus placet absque argento inargentare, licet nobis eo magisterio vti, quod superiore epistola tibi ostendi, vbi tamen loco bractearum auri, argenteæ erunt substituendæ; aut hac methodo procedendum: calcis Lunæ & salis ammonii singulas semuncias contere cum vncia salis præparati, & obline vas inargentandum interuentu albuminis, vel vrinæ; & candefactum albescet. De huiusmodi artificiis minor est suspicio falsi, quam de illis, in quibus ne mica quidem argenti est, & tamen argenteus iuratur color, quale & hoc fuerit: Talci & hydrargyri partes duæ, arsenici albi tres misceantur cum pingui ex aruina excocto. Vnge ærea; Vncta inclusaque vasi recenti sepeli in terra. Insol trimestri. Exempta coque ex tartaro, ablutaqu

Inargentare.

lutaque aqua feruente expurga ſcopis ſetaceis. Quis nam quæſo has inuenit artes? Quæ illecebra hominem ad iſtas induxit? Tanti viſa eſt argentea maieſtas. Fulgere quæſiuimus cum minimo diſpendio. Artifices quoque in illis rebus elaborantes alio fine, affinitate coloris inducti, crediderunt, commune quid eſſe in ſimilibus mineralibus. Ita repertas tincturas iſtas libet exiſtimare. Nos gaudemus repertis, & naturarum familiaritatem admiramur. Sed & credibile eſt, auri argentique fame, & malis moribus omnia huiuſmodi eſſe excogitata. Cum enim inſantiabili cupiditate metallorum iſtorum copiam ſitirent, nec aſſequi poſſent naturæ induſtriam, forſan ad hæc eſt peruentum. Placuit miſtura magnetidis cum ære, quod argentum mentiretur; placuit Orichalci Babylonii ſpecies ab auro indiſcreta vultu: Elaboratum ſuper tranſmutatione eſt; dumque alius hoc, alius illud machinaretur, adulteria iſta extiterunt. Sed non patiamur inter infamia eſſe, atque oblectemur contemplatione. Inuenta ratio eſt, qua ſpurio ſatu editi, legitimi partus honore ex Imperatorum clementia ornari poſſint. Cur id non liceat in ſuo regno Philoſophis? Multa prauo reperta ſtudio, poſtea locum inter honorata ſunt adepta. Sed ne te ſine additamento dimittam in cauſſa Martis, arbiter es conſtituen-

Lib. 34. c. 15. dus. Plinivs ait aceto, & alumine illitum ferrum fieri æri ſimile. Putat Mars, hoc ſibi honori fore, quia in æs nobilius tranſeat. Sed aduerſarii non ferunt. Negant enim tranſmutationem eſſe, & vultum nobiliorem accedere. Eſt enim illa rubedo lepræ & morpheæ ſuſpecta: Et iuſtius videtur ferrum gloriari albedine ſua expolita ſplendenteque, & tamen æris vultus ad aurum proxima via eſt. Quid hic iuris? Tu pro tua ſolertia videbis, quid in hac lite ſit decernendum. Vale 26. Iau. 98. Rotemb. ad Tub.

EPISTOLA LII. DE COLORIBUS librariorum, figulorum, cornuum, pennarum & ſimilium ſuperficialium;

AD

D. Chriſtophorum Cleodendrum Philos. & Med. Vratislauienſem.

INTER picturæ genera olim fuiſſe Encauſticum ex Plinio ſatis apparet. Quæ quæſo ratio iſtius artis? Ignoſce percontanti, Cleodendre. Ad te enim in cauſſa obſcura; tamquam ad tripodem Apollinis, accedendum mihi eſt. Lyſippus Æginæ picturæ ſuæ inſcripſit Encauſin. Hoc videor mihi intelligere. Quia enim Encau-

Plin. lib. 35. cap. 11.

ſticâ erat facta, Encauſis dicta eſt. Sed quid ἐγκαίειν? Ceris pingere, inquit, ac picturam inurere. Id olim fuit κηρογραφία: Vt enim, inquit Vitruuius, lignorum præciſiones in fronte cera cærulea depinxerunt, inurentes picturam pictorum cauteriis, ſeu veruculis, vt appellat Plinius. Hinc Encauſtum pro opere & materia ad hanc picturam inuſta. Ita video definiri illam, & coniugatis explicari. Ne quid deſit eſſentiæ artis, Plinius adiecit diſtributionem. In Encauſtice pin- " gendi, ait, duo fuiſſe antiquitus genera con- " ſtat. Cera, & in Ebore, ceſtro, id eſt, veru- " culo, donec claſſes pingi cepêre. Hoc ter- " tium acceſſit, reſolutis igni ceris penicillo " vtendi, quæ pictura in nauibus, nec Sole, " nec ſale, ventiſque corrumpitur. Hæc ille. "

Quid requiris amplius, dices, data definitione, & diſtributione artis, quibus duobus tota rei continetur natura? Mihi vero definitio obſcurior eſt definito. Quomodo ceris inurebatur pictura? Num cauterio excauabantur ligna, Ebur & ſimilia, & ceris pictis, hoc eſt, multi coloribus infercie bantur lacunæ? Num ſtylo ceræ coloratæ inſcribebantur? An cera pro fundamento erat, ſiue lacunis infuſa & aſperitatibus, vt ſtabilis eſſet, ſiue inducta plano, & poſtea ſeorſim picturæ affigebantur loco prius per cauterium ſoluto, qua arte glutinatæ ſeu imagines, ſeu colores fuerunt. Quis ho-

rum trium modorũ probabilior? Ebur cestro pingere, puto nihil aliud esse, quã cauterio, vel veruculo exculpere, & postea colores ingerere. Tertia ratio liquefecit ceras variorũ colorum, easq; penicillo tamquã humidũ pigmẽtum induxit. Sed Chymici artẽ auxerunt transtuleruntq; etiam ad metalla, vitra, & argillas.

Chymicorũ Encaustica.

Itaque horum ingenio iam habet non pictor tantum, quo glorietur (Varios enim ei præbet colores) Sed & statuarius, & aurifex plastesque & figulorum societas tanto olim in precio, vt à Numa septimum figulorum collegium sit institutum, ipsaque penè pictores, statuariosque post se reliquerit. Toreutæ, & cælatores metallorum marmorumque acceperunt ab illis aquas, & pastas causticas, quas nosti fundamenti vestigiis nudatis imprimi, & ad pingendum admitti. Hæc picturæ designatio est, & vera Encausis. Postea illustratur coloribus vt requirit antitypus. Eos miscent Terebinthina, additaque pauca mastiche super prunis soluunt, vt fiant instar cornu pellucidi, & tunc penicillo haustos illinunt ad plenum. Si quid extat, id exęquatur rasura cultelli, & madefacta manu abstergitur. Inde prunis admouetur, vbi solidescit vitri instar. Ingeniosa certè pingendi ratio, quanquam sit & altera, qua cum aquis vel pasta caustica statim color imprimitur. Hæc vna est Chymicorum Encaustica in duas diuisa familias. Altera perficitur

ficitur Encaumate, quod Smaltum vocant, & inseruit omnibus, quorum opera ignes ferunt. Ita aurum suum annulosque pingunt aurifices, ita vitrarii vitra, plastæ opera figulina, statuarii statuas. Ne excutiatur facilè color, solent aliqui præmittere exculptas cælo ciuitates, quibus tamen non opus habent plastæ. Nostrates figuli rudius in opere versantes gratulantur sibi inuentum variorum colorum vitrescentium, idque studiose celant, vt sint penè ipso Harpocrate taciturniores. Tantum est etiam in luto supercilium. Comperti tamen sunt luteum colorem seu flauum conficere ex lithargyri asse, arenæ asse & besse, ferri squamæ semuncia, quidam lithargyro substituunt plumbi calcem. Viridē architectantur ad arenā, & lithargyrum, adiecta vncia æris calcinati, vel vetusti: Argēteum inspersa magnetide: ferrugineum quadruplo æris. Nam eodē aucto, vel diminuto licet ferrugineum nigrum, & viridem, quin etiam purpureum procurare. Cæruleus oritur è lazurio, vel vena plumbi cinerei vsta (quod appellant Safferfarb/) Albus cerussa; ruber minio: purpureus nascitur è flauo magis vsto. Hos colores in læuorem redactos semel vstis vasis inspergunt, addito, quo hæreant, oui albo, vel vrinâ, & postea iterum vrunt. Sed, qui sumtuosius operantur, preciosiora ex metallis aliisque mineralibus, & Smalto vocato pigmenta petunt, quomodo & vitrarii. Hoc

Alia Encausis Chymica.

Figulorum colores.

fonte ſcaturiit oculi vſucapio, qua in locum perditi ſubſtituitur mutuatitius ex vitraria. Vitrum enim cryſtallinum miſtum Smalto aliiſque coloribus, in globum cogunt humorum varietate & diſpoſitione ita diſtinctum, vt aſpectu externo pro vero ſe gerat. Quomodo aliâs vitrarii Zaphera, vt aiunt cæruleo, Manganenſi terra purpureo, vel, vt Cardanus, cæruleo, & aliis tingant, apud ſuos autores inuenitur. Sed mitto Encauſticen. Debet & literaria diſciplina aliquid chymiæ, dum inde capit, quomodo chartas pingere literiſque variis exornare poſſit. Non loquor de auro argentoque muricis, quæ vt parentur alibi exponitur: ſed, qua ratione cuiuslibet metalli color induci facilimè poſſit. Iubentur librarii cryſtalli pollinem aqua gummata, aut oui cãdido temperare, & deſcribere, quas volunt, literas, quibus reſiccatis affricandum metallum eſt donec hæreat color, cui æqualitatem, & nitorem conciliant ductu aprugni dentis. Non omiſſi ſunt colores ſcriptorii & temperamentum atramenti ex galla, baccis liguſtri, lacryma Arabica, aqua incoctis colatis, & atramento miſtis. Præteriit eos nec Plinius, nec alii, eſtque ſuperuacaneum referre id, quod multis familiariter eſt notum. Quid facilius, quam cinabari, vel minio ex aqua gummata ſcribere rubro; aut praſilii tinctura excocta, & aluminata: aut ſcobe ligni macerata liquore tartari? Vulgus cæruleum, pur-

Oculus mutuatitius.

Literis inducere colores metallicos.

purinam

purinam, aurum & reliqua læuigata exactè ad ſcribendum ſcitè componit: Acetum item in vaſe Orichalceo dimittit, donec æruginem ſorbuerit. Inde adiicit albumen & pari modo lac virginis euocat ad vſum eundem. Sed tamen non quæuis compoſitio cuius nota eſt: veluti rubeum tale: Scobis praſilianæ ſeſcuncia, ſanguinis draconis, gummi Arabum ternæ drachmæ, croci ſcrupulus, ſacchari cryſtallini vncia, aluminis crudi ſemuncia, coquantur ex aqua pluuia. Inuenerunt porro non tantum pingendi artificia & coloribus ſcribendi, ſed & delendi rurſum, id, quod cõſequi ſe poſſe ſperant fumo ſulphuris, chalcanthi, ſalis ammonii & ſimilibus. Cardanus alumen & halonitri chalcanthiq; ſpiritus producit. Certe euanidæ fiunt ſalium acrium miſtura ſcripturæ librariæ. Mentionem facit ille cuiuſdam, qui typographicos colores ea arte temperauerit, vt expreſſæ literæ initio quidem pulcherrimæ, poſt ſemeſtre ex toto è chartis euaneſcerent magna fraude, imò ſi dolo malo fecit, ſcelere maximo. Putat, id effectum chalcantho in ſpiritum redacto, & humidæ tenacique materiæ miſtum, quod humida & tenuia celerrimè euaneſcant, vt aqua ardens. Sed fallitur. Chalcanthi enim ſpiritus non tingit atro. Non itaque factum inde eſſet atramentum. Ille temperator parum gnarus fuit miſturarum temperandarum, ſi ſimplicitate & imperitia peccaſſe di-

Rubeum ſcriptoriũ.

Delere literas.

Typi librarii cur aliquando euaneſcant.

Correctio ſententiæ Cardani.

cendus eſt, aut verſutia calliditateque nulli ſecundus, quanquam hoc non habeat locum in Typographo, nõ omnia exemplaria ſubito diſtrahente. Cum enim medicamenta acria, quibus procuratur atramentum, excedunt proportionem gallarum aut fuliginis, &c. adiecto in primis ſale ammonio, color quidem egregius fit ſed qui poſtea exoleſcat ætate, & ſui ipſius aſperitate conſumatur. Id expertus ſum, cum meo damno. Nam, vt prohiberem ab atramento ſcriptorio ſitum & nihilominus præclarum haberem, auxi chalcanthum, & ſalem vulgarẽ copioſiorem inieci. Pulchre inde nigreſcebat ſcriptura. Solet enim Sal, vt & alumen colorem illuſtrare. Sed poſt menſem literæ penè in totum euanuerant, vt cogerer eas reficere. Itaque ſi ſales acres adduntur, vel copioſius eſt chalcanthum, alligans autem medicina iuſto minor, euenit, quod dictum eſt. Color ex aqua forti á manibus tollitur aceto deſtillato, illæque eximie dealbantur aceto, in quo paſta ex mica panis & oui candido macerata per diem fuerit. Eſt alia diſputatio ſuperiori ſimilis. Refert Plinius inter Apellis opera vnum neminem potuiſſe imitari, quod abſolutas picturas atramento illiniret ita tenui, vt idipſum repercuſſu claritates oculorũ excitaret, cuſtodiretq; à puluere & ſordibus, & ad manũ intuẽti demũ appareret. Munimentum nimirum id ſimul, & ornamentum, commendatioque operum fuit. Sed,

Colorem aquæ fortis abluere.

Manus dealbare.

Inimitabile Apellis artificium.

Sed quo atramento, quomodo temperato id est assecutus? Cardanus negat atramentum colore, hoc est, colorem atrum fuisse, sed atramentum vsu, id est, chalcanthum, putatque vernice nostro idem euenire. Sed cogitandum est, si chalcanthum id fuit aqua solutum, potius vitiari debuisse picturam, quàm illustrari, & commendari. Nam vim habet erosoriam, sique adhibentur succi plãtarum, eos simul inquinat, nec omni colori conuenit. Cum item facile mutetur aeris iniuria, non satis defendere potuit picturas. Adde, quod Plinius lib.34.cap.12. chalcanthum appellet, nec nominet atramentum, nisi cum iam actu color est ad tingenda coria. Cur item tacuit ibi hunc vsum, non præteritis cæteris? Debuit generatim saltem attigisse. Quid vero etiam aliud intelligi potuit in sermone de picturis, quàm color? Verum si statuas atrum fuisse, nisi exposueris subtilitatis, & tenuitatis maxime dilutæ modum, haud facile inueneris astipulatorem. Num ergo mineralibus ille coloribus pinxit omnia, & atramentum, seu chalcanthum Cyprium, postquam tincturam suam ab insolatione, vel calore mutauit in albedinem, contemperauit albuminum discussu expressuque spongiæ facta aqua, addita mastiche, aut Terebinthina purissima. Atque verendum, ne hic quoque obrepat fuscedo. Fortasse Plinius putauit atramentum fuisse, aut etiam Apelles ipse artem ita occultauit,

tauit, & inimitabilem reliquit, cum adhibuerit vernicem ex mastiche, Terebinthina, & oleo, quæ etiam penè vitrescit. Tuam eliciam sententiam & ex collisione cum mea, studebo ad verum peruenire, pergo ad cætera. Ossa quomodo inficiantur, notum est, nempe prasilii decocto ex lixiuio ad rubedinem. Ad virorem ita: salis ammonii, æruginis, æquales aceto acri immisce & ossa immerge diebus quatuordecim. Ad nigredinem: aquæ pluuiæ infunde lithargyri quadrantem, & calcis viuæ sextantem. Decoque in hoc cornua vel ossa. Pro aqua pluuia licet accipere cereuisiam tenuem. Pennas & pilos aureo tingunt aqua regia solutionis auri: cæruleo, aqua solutionis argenti: nigro, aqua solutionis argenti & hydrargyri simul impositorum: Viridi, ære vsto. Si lignum in feruens butyrum dimidio horæ demittas, nigrescet: calce viua vrina diluta Emplastrum erubescit, non tamen pariter omne. Sed non possum commemorare singula. Plura adiiciam, vbi acumine ingenii tui quæstiones propositas videro explicatas. Vale.

Ossa inficere.

Pennę infectæ.

Lignum nigrum.

EPIST. LIII. NVM CHYMICI *sit per lumina colores rerum mutare.*

Ad

Lampyrium Fulgentium Scotum Virum Clarum.

IN cõsectariis ex vsu artis Chymicæ, Physicæq; in operibus, rebusq; vtriusque mutuo adhibi-

adhibitis, est id, de quo nuper ad me scripsisti. Referunt nonnulli ad Magiam naturalem, quo pertinet & lucubratio, lususque nocturnus, aleæ absque igni, aut stellarum radiis. Cõfidebat Cardanus posse facere splendentem liquorem ex nitedulis, cum pulmo marinus illitus lignis noctu, vt fax, resplẽdeat. Sed à Scaligero videtur, quod viuis assit luminis potestas, non defunctis, sicut purpuris flos integer est viuentibus tantum. Indagandum tamen est, cum ille nitor spiritusque scintillans in peculiari humore sit; an non si ad spirituosam naturam exaltetur, reditura sit pristina affectio, & luminis effusio? Splendet & carbũculus aduentitio, vt videtur per noctis tenebras Syderum lumine, & multa alia in tenebris, veluti putredines lignorum, & fungorum, millepedum, oculorum, similiumque viscidæ phlegmaticæ aut etiam argenteæ, & pingues albedines, vel læuores candidi, vt de pennis albæ gallinæ furfuribus equi pexi, & similibus narrat Scaliger; quæ omnia, si terantur, aliterue disponantur, nihil fulgoris emittunt & rursus depurata restitutaq; priori conditioni, recuperant nitendi actum in sublustri loco. Crines Heroinæ Scaligerianæ, licet non albi, tamen splenduerunt nocte & pexi quasi ignes euomuerunt, ob tincturam pinguem attenuatam, & læuem. Nonnulli pisces, Nasos dictos, vel Thymallos in olla vitrata & cera occlusa fimi calore per duos men-

Lib. 9. de cicindela & cocoyo Scal: exer. 194. sect. 1. & 3.

menſes putrefaciunt, & in liquorem diffluere extabeſcereque ſinunt. Eum iniectum lampadi vitreæ ex Veneto puro, teguntſpeculo plano dilucido, ſplendoremque luſuris alea ſufficientem præbere cogunt. Pinguedinibus piſcium, & ſquamis, corneæque oculorum ineſſe quid fulgidi, quis ignorat? An non aiunt Halecum greges ita aërem illuſtrare? Non puto quicquam abſurdi eſſe in ſententia Cardani, modo in arte non defeciſſet. Spiritus ſplendentis iacturam reſtitui poſſe negaueris, cum tamen huius beneficio lampyrides, vt oculi, fulgeant, nec quiuis ſit aptus ad idem lumen. Sed cum non luceat is, quatenus viuit, ſed qua actuat lucentem partem, ſeu humorem, poſſe analogum refundi, non dubitauerim. Purpureum autem rebus colorem accedere, ſi oleum cinabari, vel minio contemperatum Ellychnio adiicias, is non credit, qui non vidit, accenſo vini ſpiritu, & ſulphure in ſtupa circumſtantes fœdum pallere, vt mortuis ſimiles videantur, aut virginib. ſuo fœdatis morbo, quiq; viridi arquatu laborare dicuntur. Lumen inargentans conclaue, ex ſucco lacertæ viridis è cauda abſciſſa deſtillante, adiecto oleo, Ellychnioque, conciliant. Monent autem caudam viuæ adimendam & involutam linteo in vitro Soli exponendam, dum albus exeat humor, quo exudare ceſſante, forcipe correptam caudam mouent, & guttas in linteum excutiunt Tandem

Cardanus: Fieri poſſe non dubito: E quibus, & quomodo adhuc mihi incertum eſt.

Lumen argentans.

dem id complicatum oleo affuso lychno accommodant. An vero pari arte quis possit efficere, vt hominibus videantur capita deesse, aut asini aures annatæ, & reliqua, nondum cõpertum habeo. Reiiciunt eam alii ad Zoroastrem, Tyridatem, Osthanem, similesque ex Magia incantatoria, de quibus Plinius lib. 30. cap. 1. & 2. vbi de magicis cænis Neroni exhibitis, nec putant seu Chymicæ seu Physicæ conuenire. Sed te meam mentem intellexisse credo. Itaque non addo plura. Vale.

EPIST. LIIII. DE MAGIsterio Odoris.

Ad

Olympium Virginium Moschatum virum probum.

PRIDEM desideraui ad te, Virgini, literarum aliquid dare, postquã eximium tuum ingenium, & multo vsu confirmatam rerum experientiam ex fama, atque ore multorum cognoui. Non enim fore putabam, quiñ ad te accessu euaderem melior, & sapientis doctrinę copia ex conuersatione ponderosior Sed distulit fortunæ iniquitas cupiditatem meam, donec nunc tandem afflulsu benigniore spem voti consequendi exhibuit, Ne vero vacuus apud te compaream de odorum

dorum magisterio proponam dubitatio-nes meas. Tu felicibus auspiciis oblatam cum beneuolo colloquio amicitiam, pro tua humanitate nō repudiabis. In odoribus exaltandis elaborare Chymiæ Magistri duob. omnino videntur modis. Aut enim eundem in rē eadem spectant, aut diuersum. Quibus istud propositum est, diligenter inuestigant, num quædam adhuc sint adminicula, & fundamenta, ex quibus seu abolitus, seu debilitatus recreari possit. Si nihil est præsidii manifestum est, oleum & operam hic perire, atque ideo nonnulli cadauer potius arbitrantur esse id, quod sic est odore priuatum, quàm rem integram, & neutiquam quicquam curæ in eam ponunt. Vbi vero spes resuscitandæ vitæ est (loquamur enim quodammodo cum istis, saluo conductu horum, qui rigorem Peripatinequeunt plane exuere) operi sese accingunt, & graduationi, vti appellant, animum adiiciunt. Hęc perficitur primum additamento virtute fortioris, eiusque ad essentiam redacti. Sicut enim fermentum suam vim masse infert, totamque sibi cōformem reddit specie, efficacia vero etiam auctiorem, adeò, vt inde in immensum se porrò extendere possit, & propagare: ita fit in odoramentis ad gradum ampliorem provehendis. Præparanda tamen illa res prius est, vt sit idonea ad suscipiendam nobilitatem, aut patiendum á tam præclaro agente. Postea non minus præstante ar-

te ar-

te artificio odor procuratur insignis, quando sublatis repagulis spiritus in actu excitatur, vt iam liberè possit, quacunque via est, euagari, sicut fit, cum concretum inodorumque succum arte essentiarum in oleum spirituosum conuertimus, vt in succino & similibus. Id nonnunquam assequimur magisterio volatilitatis, & calefactionis, attenuationisq; & resiccationis humido nimio supprimente, & coagulante halitus odoratos. Odor enim in essentia spirituosa, calida, & sicca viget maximè. Itaque cum ignaui spiritus hærent crassitie, aut detenti frigore terreo, vel aqueo immobiles iacent, relaxandi attenuandique sunt: Cum suffocantur humore & cruditate: coctio per calorem iusta eos tum maturabit, tum vegetos reddet. Valet enim & hic per cõtraria auxilium, & restitutio, videmusque etiam naturali coctione absumto humore nimio sublataque cruditate, & attenuatis partibus ad igneam aëreamve naturam spiritus gigni odoratiores, copiosioresq;, quæ ratio Orienti, & Arabiæ, cæteris paribus, creditur aromata magis, quam aliis terris producere. Est & cum non attenuamus crassa, sed duntaxat sepultam in corporum pertinacium tumulo animam euellimus, cumq; spiritu separatam producimus in lucem. Manifestum est, si modo natura primæua voluit rem odoratã esse, maximè tunc viuescere odores. Quarto tandem modo commisti fœtentes spiritus seu

tolluntur,ſeu maiore actu introducto opprimuntur, vt tandem maieſtas illa odoris diuini appareat. Incredibile eſt, quantopere glorientur his artificiis Chymici, præſertim extractoriis, quibus eſſentiæ à ſordibus fœtoreq; corporeo liberantur, & porro circulando exaltantur. Noſti, quæ Vlſtadius, & Lullius de quintæ vini naturæ fragrãtia etiã ad hyperbolen vſq; in ſcriptis reliquerint, nec negari poteſt, ſummã vim eſſe extractæ ſolerter, & per circulationem vberius exaltatæ eſſentiæ. Euadit enim hinc admodum ſpirituoſa, & penetrans, adeo, vt ſæpenumero vna olei ſpiritusq; ſuccini, vel ſimilium gutta totum conclaue impleat odoris excellentia; quod à quantis maſſis corporis expectare poſſis? Eſt aliquid in vaporatione, ſeu ſuffitu; ſed eſſentiæ vis exuperat. Spica noſtra non ignaue olfactum mouet, ſed olei aquæve eiuſdem vel gutta idem præſtat efficacius. Si vſum ſpectes, exuperantia odorum interdum ingrata eſt. Itaque non quidem principali chymiæ intento, veruntamen imitatione quadam eius diluuntur humoris copia; aut pars ſpirituum diſſipatur, aut figitur in frigido cogente. Sed nolo tibi manifeſtis eſſe moleſtus. Cum alium rei odorem, qui non eſt ei ſecundum naturam, ita conciliamus, vt inde aliquam nobilitatis maioris ſiue conſtanter, ſiue ad vſum præſentem adipiſcatur notam: id quoque non vna aſſequuntur induſtria, & ex ſu-

perioribus

perioribus quædam etiam hic locum habent. Si enim inodora est res, vt aurum, gemma, &c societate essentiarum fragrantissimarum, vt Moschi, Zibethæ & quæcunque alia à circumstantiis, quas attendere oportet finis boni gratia, designatur, & exigitur, eam reddimus odore gratam, iucundamque, siue vna maneat illa essentia, siue relicta qualitate, postliminio separetur. Sin olet quidem, at malè, aut grauiter, aut non ad præsentem vsum; facile est videre, malis sublatis per segregationem fœtentis (siue corpus id sit, siue spiritus., quorum hic vel ad aërem euanescere sinitur, vel ignibus difflatur, vel artificio macerationis & destillationis, &c. abducitur, corpus verò, quod relinquitur, denuo apparatur: fœtens vero in totum auffertur) introducendos esse bonos: gradum excellentiorem domandum remissione, quæ fit seu diminuto, fixove spiritu, seu contemperato aliquo figente, aut qualitate vim illius emendante: Et tandem etiam mutandum conuenientiore illum, qui non congruit, instituto: Et si posteriores modi non sunt exaltationes καθ' αὑτὸ, sed κατὰ συμβεβηκός: Et medius etiam in priore classe inuenit locum, quandoquidem huc duntaxat refertur, quatenus castigatur alieno accersito. Aliquando consultius est fœtentia ita præparare, vt planè fiant inodora, veluti, cum ad salium rediguntur naturã, quomodo item exal-

tari vſus duntaxat gratiâ dicuntur. Propriè e-nim magiſterium odoris non tollit odorem in totum, ſed exaltat. Debent certè etiam Medici tam in prophylaxi, quàm Therapeuſi aliquid huiuſmodi artificiis, vt iucundè medicinam adhibere poſſint, & in aliquibus etiam tutò. Ecce audaciam. Quicquid in buccam venit tanquam delirus coram te primo aditu effutiui, cum memor deberem eſſe in veſtibulo amicitiæ taciturnitatis. Sed tu compenſatam multiloquio diuturnitatem cupiditatis meæ putato. Feci enim, vt, qui diu pertulerunt ſitim, factaque copia potus, affatim ingurgitant. Non quidem hoc ſemper cedit benè: interdum tamen etiam proficit temeritas. Si lucratus fuero amicitiam tuam, non me pudebit temerarii auſi ſuſpicionem incurriſſe. Vale.

EPISTOLA LV. QVAESTIONES DE *odoris magiſterio;*

Olympius Virginius Moſchatus Andreæ Libauio. S.

NE dubita Libaui. Gratus aduenisti hoſpes, cuius acceſſu ſubſellia amicorum auctiora facta lætor. Promitte tibi de me omnia beneuola, quæcunque conſilio, opera, re, fide potero. Mirifice vero me delectarunt, quæ de odoribus diligenter perſcripſiſti. Illud tamen non ſatis aſſequor, cur magiſteriis, quæ integrorum exaltationi conſecraſti ela-

bora-

borationem essentialem ad odorum dignitatem obtinendam immiſcueris. Deinde videris mihi non procul abeſſe à Paracelſitarum errore, quo omne fœtens nō eſſentiæ rei, ſed corpori venenato aſſcribunt, atque ita negant, vllam per ſe fœtere. Impingis etiam in eorum iudicia, qui irrident Peripati δύναμιν καὶ ἐνέργειαν, nihil in actum ex potentia duci arbitrantes, ſed ſeparando duntaxat obſtans exhiberi cum prius non minus ἐνεργείᾳ eſſet quam cætera. Hæc & ſimilia ſpero me proximis ex te cogniturum. Vale.

EPISTOLA LVI. RESPONSORIA ad præcedentia;

Olympio Virginio Moſchato Andreas Libauius S.

RECEPISSE me in numerum familiarium tuorum, nec excluſiſſe, habeo gratiam. Colam iſtam amicitiam ſtrennè, nec committam, vt aliquâ culpâ meâ is mihi pereat, cuius virtutem admirantur amici, metuunt hoſtes. Id quoque in aliqua beneficii parte puto, quod inter curas de Republ. ſummas admiſeris commentatiunculis Chymiæ leuidenſes. Vt ſtudia tibi mea eſſent nota, balbutire aliquid apud te inſtitueram, vtpote, quem videre poſtulato Socratis velle, non poteram ex fama ignorare. Placuiſſe vero iſtam balbutiem, comitatis & beneuolentiæ eſt, quam tibi ineſſe præclaram, miſſæ conteſtantur. Vellem tantæ meæ eſſent copiæ,

quantas tu fortasse arbitrare. Meditor, commentor, scribo, sed in vmbratico σκιομαχόμενος solus. Lux est, quam controuersiis suis tanquam ex silice ad ferrum excutiunt amici. Experiri & tu voluisti scintillas, & fomentum affers non incommodum, nempe studia tua & consilium cum fide, quibus exceptum igniculum viuacem fore spero. In humida enim & lubrica amicitia, infidoque & fraudulento fomite hærere strictūræ nequeunt. Scripsi Philosophos Chymicos odorum extollere dignitatē, tum aliis modis, tum separatione essentiali, & nonnunquam etiam societate mysterii absoluti. Hoc tibi videtur aduersari conditioni magisteriorum, que reb. totis conciliant aliquam excellentis virtutis sublimitatem. Fateor odorum rationem cōmunem esse vtriq; proposito, magisteriis nimirum & essentiis; magisterio tamen per se & primum competere, essentiali elaborationi consequenter. Hic enim simpliciter ipsa spectatur species extracta siue odorib. instructa sit aliquibus, siue nullis; ibi vero nominatim exprimenda est, & inter fines operis proponenda tum alia dignitas, tum etiā odor, qui, si alio modo cōciliari nō potest, nisi per separationem, viam hanc quandam ex essentiis cōmodatò acceptam, & huc traductam dicimus, non vero propriā & genuinam magisteriorū curiā. Quod si essentia liberata est, accipit quidem vnum prærogatiuæ gradum: sed vlterius

exaltan-

exaltanda est circulationibus, & cæteris artificiis, & tunc vicem integri sustinet, seseque perinde habet, ac si naturale extractum, velut Caphuram, aut Moschum, aliaque exoletæ virtutis exaltare instituereς. Ita puto primam quæstionem solui posse. Quid Paracelsitæ statuant, non refert. Veritas rerum etiam absque illis elucescit, cui, si consentiunt, nihilo plus auctoritatis conciliant, quam si planus quidam cum cæteris dicat niuem albam esse: Sin dissentiunt, nihil afferunt damni. Vt HORATIVS, Nullius addict⁹ iurare in verba magistri; quò ipsum rapit tempestas, defertur atque etiam in Aristippi furtim præcepta relabitur, sed tamen non se rebus, sed res sibi summittere conatur, ita in Paracelso & similibus quis versari potest. Quod si quem Philosophiæ deditum, delectat veritatem Peripati experiri, & iudicare de potentiæ actusque documentis, is rerum euidentia cogetur asserere, quædam segregari quidem, sed tamen maiorem actus sui efficaciã acquirere, & sic quodammodo etiã augescere potentiâ & virtute, quæ antea in ipsis quasi erat cohibita & sepulta. Ita acetum iam factum, acorem quidem actu habet, sed is acutior est separata parte plegmatica: nux Moschata olet quidem iucundè: sed suauius euidentiusq; eius oleum. Quædam vero negari non possunt, ex potentia planè educi, cum ante actum haberent

Ex potentia educi quædam.

Cc 4 nul-

nullum: veluti cum dulce vinum acescit, & massa recens adiecto fermento, vel sola maceratione ad calorem leuem;tota fermenti naturam induit. Quis nescit cibos, quos comedimus,odore placere? At quam fœdum olent,si inclusa ollæ putrescant? Nullum actum habuerant fœtoris. In potentia erat totus. Respondeant etiam illi, qui putant, se ex vino corrupto posse elicere essentiam quintam,cuius odor adeo exaltetur circulatione, vt nihil supra. Vbi ille odor erat in vino,aut vini essentia ante circulationem? Vocare autem id sepultum,quod alii in potentia constitutum, est verbis,non rebus discrepare. An vero omnis fœtor sit corporis,vt appellant Chymici, non essentiæ, dicant illi Paracelsici, qui stercora fœtentia, quamdiu odorem hunc eiaculantur,viuere dicunt. Vita non est absque spiritu balsami, & essentia. Sed, qui Asam fœtidam, Sagapenum,Valerianam,castorium,& huiusmodi,seu fœtida (vt iudicant aliqui) seu graueolentia extrahunt, studiose odores conseruant, vtpote, quibus in matricis suffocatione,Epilepsia, aliisque morbis vtimur commodè. Est cuiusque odor natiuus cum suo spiritu,& calore. Tollet spiritum,qui odorem dissipando separandove destruet, & efficiet, vt iudicetur cadauer,non essentia, quod proprii odoris efficacia est destitutum,vt,si extractum musci non oleret. Falluntur, qui venenum corporeæ superfluitati, quam Chymici

reiici-

reiiciunt, in elaboranda essentia duntaxat ascribunt. Demonstratum hoc est alibi, satisq; conuincitur extracto hyucæ, porri, stibii, floribus, & similibus. Videor satisfecisse expectationi tuæ. Sin minus? Veniam dabis exili copiæ. In cæteris, vbi plus valuero, respondebo votis tuis vberius. Vale.

EPIST. LVII. ODORVM EX societate communio;

AD

Martinum Weinrichium Philosophum Breslauiensem præclarum.

ITA sane iudico, Martine. Non est artificium Chymicum excessus odorum doseos exilirate ad vsum commodos efficere. Industria & prudentia medica est. Fœtidos non oẽs è re tollendos esse, sed, si sit absque veneno, aut alia graui noxa suum cuique relinquendum, vt inest natura, modo saluam essentiam velimus, res ipsa loquitur. In vsu vero iterum consulet necessitati præsenti Medicus, & misturis, quod nocet, reprimet. De accessoriis nullum est dubium, si vsum rei salutarem, aut præstantiam essentiæ violauerint, quomodo Empyreumata ignium & aquarum fortium expugnamus. Sin aliquid emolumenti afferant, aut etiam nihil obstent, hos obiter irrepentes aliquando negligimus, illos nonnunquam etiam studiose conciliamus. Vt auiculæ Iuniperum oleant sapiantque, veruculis torrentur Iuniperinis. Putat Carda-

Auicula iuniperum sapere.

Aromatum compendiũ

nus aromatum compendium fieri in re familiari, si intra amygdalas decorticatas detenta, odorem saporemque cogantur in eas transfundere, quibus ablatis & ad vsum pro aromatis adhibitis, eodem modo alterentur nouæ. Sed laudarem magisterium, nisi deficerent aromatum vires, & ad omnem necessitatem tam congruerent amygdalæ, quàm aromata ipsa. Cur non etiam vel olea eorum vel aquæ illis ipsis aspersæ in vsum similem venirent? Alibi oleum & aquas præferri, alibi res ipsas, experientia docuit. Rosatos fructus, vt amygdalas, semina cucurbitina, & similia comparant nonnulli non tantum rosis contusis, & intermistis fructibus, sed & aqua infusionis rosarum calente affusa. Similis est oleorum odoratorum industria, apud Syluium, Manardum, & alios. Accedit autem destillatio.

Roso odore fructus perfudere.

Rosacea alterata.

Apud Bulcasim aqua rosata aromatibus alteratur, vt fiat caryophyllata, moschata, camphorata, crocea, & sic deinceps. Libris duabus rosaceæ miscet is quatuor scrupula Moschi triti. Digerit in cucurbita vitrea & destillat. Vsus ad robur corporis & spirituum; item ad pannos regum imbuendos, quod item artificium est odoris procurandi. Sic crocea fit. Croci boni semuncia eidem aquę quãtitati adiecta. In caryophyllata vnciam caryophyllorum macerat in sesquilibra rosacea. In camphorata vncia caphuræ libræ vni immittitur, nec alio modo fit santalata. Quomodo

modo aëris fœtor suffitu, fragrantiaque aquarũ, oleorũ, & similium fundentiũ spiritus admodum odoratos, corrigatur, vulgo est notum. Id ex te cognoscere velim, num, iudices, valetudini consultum esset, si fœtidam aurã fumis odoratis intermistis reprimamus Putant nonnulli fœtidos halitus alterari, amittereque seu odorem seu vim eius. Alii vehiculum gratum additum credunt, vt fiat perinde ac si venenum ingratum, aut pharmacũ cũ melle præbeas. Itaq; & in peste non admodum commendant delicatiora odoramẽta. Qui non elidi actus, nec potentias tolli alteratione aduersantis sibi persuasum habẽt, sed occultari duntaxat, & nihilomiuus inesse actu, quomodo stellarum lumen efficacioris præsentia non eliditur, sed tantum ne oculum moueat prohibetur, non possunt probare suffituum institutum. Foret itaque aër prius euentandus, aut ignibus compescendus, postea odoramentis alterandus, sicut faciunt, qui ædes pestilentes expiant aëris ventorumque libero transcursu, postea ignibus & suffimentis. Veruntamen experientia constat, nihil noxæ esse â vulgari quoque correctione, præsertim incenso & flagrante suffimento. Iugulat enim spiritus fortior imbecillem, & sicut ignis mutat in sui naturam res ardentes, relinquitque cineres, in quibus neutiquam deprehendas veterem odorem, & saporem: aut sicut vstulatum cinamomum, & ignitus magnes,

An recte aurea fœtens fumis odoratis corrigatur.

gnes perdidit vim suam: ita euenit etiam in illa vaporatione. Hoc autem etiam Physicorum axiomata docuerunt. Dicunt enim alteratum transire in naturam alterantis, &c, vt calor frigus, ita odorem vnum elidere alterum excessu. Videndũ tamen, vt oppositiones obseruentur. Non enim virulento aeri male olēti rosaceam fragrantiam opposuisse consultum est, sed fœtori, & spiritus naturæ simul obuiandum, vt & crasis crasin disturbet. Tempore itaque pestis non suffimus Thure, sed Iuniperi, angelicæ, & similium halitibus, qui simul habent vim alexipharmacam. De correctione animæ fœtentis, quæ ex cloaca oris, pulmonum, ventriculi nonnullorum egressa astantes longe lateque, tanquam Basilisci obtutu arcet, non Chymicus, sed Medicus est solicitus. Illud tamen potest vsu Chymicorum medicaminũ egregie, & euidentius præstare, sicut nõ repudianda à coquo est industria illa, qua, sicubi allium vsurpandum est, efficitur, ne eructet postea, & molestiam creet. Reprimunt enim aceto, aut spiritum duntaxat affrictu translatum vsurpant, vt indicauit Cardanus. Magisterium fit, quando essentia, in rem repurgatam, & ad suscipiendam vim dispositam transfert societate virtutem. Hæc ad te nunc, vt occurrerunt, volui. Tuum erit lapide lydio veritatis affricare, aut etiam ignibus Chymicis sinceritatem comprobare. Vale.

Allii graueolentiam in cibis reprimere.

EPIST.

EPIST. LIIX. DE SAPO-rum natura.

AD

Valerium Glycium Gloſſometram virum Induſtrium.

PARVM humanè, mi Valeri, facerem, ſi tibi vultum beneuolentia & amore pleniſſimum afferenti moroſe occurrerem, & puriſſimum amicitiæ ſpeculum, virulento auſteritatis halitu, nõ facile poſtea delendis notis veneficarum, faſcinantiumque inſtar, inquinarem. Deus meliora. Non ita ſacra feci gratiis. Amandi ſunt amici, & non indignandum, quanquam interpellationibus ſuis & acceſſu videantur nobis moleſti eſſe, & temporum, vt dici ſolet, fures. Quæſtiones autem tuæ docent, non ſegniter in Philoſophia & Medicina Chymiciſque te verſatum eſſe, Perquam enim argute de illis diſſeris, vt haud ſciam, quidnam á me expectare poſſis abſolutius. Peruulgatum eſt in ſcholis axioma, Naturam dulcibus ali, atque ideo repudiatis amaris, appetere duntaxat illa, licet adiiciamus nonnunquam condimenti gratia etiam cæterorum ſaporum nonnullos. Conſequens ex his eſt, & ſanguinem, & carnes animalium, quin, quæ in plantis ſunt partes, guſtui noſtro debere eſſe dulces. Ad hominem enim referunt, qui de iſtis diſputant. Secus autem euenire, non in morboſis & cacochymis tantum, ſed & ſanis, naturaliterque ſe habentibus

Alimentum dulce.

bus quis ignorat? Quota quæque plantarum eſt, quæ non habeat aliquid amari, aut acidi, aut cæterorum, præter dulce? Narrat Plinius cum reliquis Botanicis alicubi naſci plantas ſalſas, vt Alcali, quam circa Brunopolim ſibi inuentam in Saxonia nuper referebat Doldius noſter. Ad Pelen inſulam & Clazomenas amariſſimos gigni piſces. Ad ſcopulum Siciliæ, ac Leptin Africæ, Euboeam, & Dyrrachium ita ſalſos, vt poſſint ſalſamenta exiſtimari: Circa Cephaleniam & Deli petras in portu eiuſdem Inſulæ dulces. Hæc quomodo accidere poſſunt, ſi nutriuntur omnia dulci? Nec obiter fieri, & errato naturæ excrementa retinentis miſcentiſque cum ſucco familiari dicere licet. Sunt enim iſta in perpetuis. Nullum vero violentum diuturnum. Quocirca inuenti ſunt, qui iſtam enunciationem non ad guſtum intelligerent, quandoquidem etiam hominum nonnulli plane faſtidiunt dulcia, maluntque acida, vel ſalſa, aut aliter inſeruientia palato & linguæ, in quibus tamen imperium exercet guſtus, ſed ad familiaritatem naturæ ex Hippocratis illo, quo ſcribitur plantarum quælibet ſibi ex terra familiare gratumque trahere nutrimentum, quod non γεύσει γλυκὺ, ἀλλὰ φύσει appelles. Abſurdum certe eſſet datum animalibus guſtatum alimenti cauſa, alio ſucco præterquam dulci, quem requirat ratio nutritionis: & appetitus

partium,

partium, gaudere, decipereque expectationes, & desideria membrorum. Sed hanc contemplationem relinquamus Medicis, & ad vicinam nos conuertamus, Chymicos inter alia etiam in Saporibus, siue per se, siue obiter, dum essentias concinnant, exaltandis elaborare & nonnunquam illos ipsos, qui in re sunt, generosiores reddere, nonnunquam alios introducere, aliquando vero etiam inseruire appetitui, & efficere, vt medicamentum iucundè adhiberi possit, tibi constare puto. Sed cum non deceat Philosophum in sua scientia oscitanter versari, nec artificem temerè in ea arte, cuius fundamenta ex natura rerum dependent, quicquam machinari, velim mihi expedias magisterii exaltandorum saporum principia, quandoquidem te pro tua peritia, & amore tam posse id, quàm velle confido. Video Philosophorum Decreta Saporum naturam ponere in humido per siccum nutritiuum percolato, quemadmodum odores in sicco sapido spirituoso. Conciliari enim solent sapores odoribus, & ex mutua harmonia, proportioneque explicari. Illud humidum aut crudum & inconcoctum est, aut concoctum, & proinde etiam vel abundantius iusto, vel deficiens, vel ad mediocritatem seu sui saporis legem redactum. Inde manifestum est sapores hebetes esse, vel euidentes potentia actu, posseque imitatione naturalis coctionis etiam in arte eorum varietà-

Natura saporum.

tem institui. Euenit quoque commistio plurium. Nam natura, dum attrahit nutrimentum, non semper sincero frui potest. Cum igitur diuersimodè dispositi humores sunt præsto, sic quoque varietati ansa præbetur. Inde Aristoteles dulcem, & amarum tanquam extremos fecit & eorum mistione contemperauit cæteros. Deprehendimus autem gradus varios tum in coctione, tum permistione succorum. Nonnunquam acies, soria quædam affectio interuenit, & saporem mutat, veluti, si non prouecta coctione μόλυνσις eueniat, si perustio ab excessu caloris: si putrefactio quarũdam partium & similia. In mineralibus per quascunque terras aqua transmittitur, vt dicunt Physici, earum sapores ab ea assumuntur, quomodo salsus euadit, quando per cineres calcemque meat; acidus cum per terras acidas, & sic in reliquis, Sed, putant aliqui hoc duntaxat permistione fieri. Sunt enim quidam naturæ succi, aut terreæ concretiones, seu essentiæ terris inclusæ, quas solui in humido contingit Cum itaque aqua transit, rapit eas secum & extrahit ex matrice. Sed postea iterum separari possunt, vt appareat in Chalcantho, halonitro, alumine & similibus, quæ non facta sunt ab ignis affectione, sed sunt opera naturæ in mineris terræ primæua; quomodo & in problematis scriptum est, ex seminibus rerum oriri odores, & sapores, tanquam fonte quodam: Aliqua

tin-

tingit prætereuectus, insinuatusque spiritus: veluti, si acidi halitus terras peruadunt, aut aquas, relinquunt in eis sua vestigia, siue alterent, siue coagulent adhæreantque & postea, abluti in aquas transeunt. Si fermentum acidum paucum, magnæ massæ commisceas, tota fit acida, tum quod alteretur à simili, tum quod dispositio potentiæ in actum procedat, quandoquidem, sicut vinum sua natura acescit exhalante anima, ita & massa in digestione calida relicta, quam fermentationem aut putrefactionem nominant. Quædam separatione aliter sapiunt, & si quæ alia in naturalibus saporum mutatorum, aut genitorum sunt documenta. Si ad vsum respicias, non tantum eædem valent mutandorum rationes, sed & inuenias, qui insipida malint, qui medicamētarios sapores translatos in alimentarios; qui gradus retusos, qui contrà auctos. Et tantum studii vulgo in his ponitur, vt non solum culina & pharmacopoeia magnam sibi vendicet partem, sed & hortorum cura. Hic enim industrii coloni amygdalas & mala granata corrigunt, seu transplantatione, seu stercoratione (vt, cum granatorum radicibus adiicitur fimus porcinus, & affunditur aqua frigida dulcis) seu succi emissione (vt cum clauis configitur amygdalus, siniturque gummi diu destillare) siue alteratione medullæ, & si quæ sunt alia artificia, in quibus est & vicinitas fœmellæ, marisque in nonnullis: in aliis

Sapores mutare hortorum cura.

aliarum plantarum ſocietas : aliis telluris, ſoliſque mutatio , calcis cineriſve aſperſio & cætera. Ex quibus omnibus poſtea illa Philoſophorum axiomata extitêre : Τὸ πικρὸν εἰς πῦρ ἐμβληθὲν γλυκαίνεται : Vt ait Ariſtoteles in 2. de plantis : Et : δένδρα ὅσα γεννῶνται ἐν ὕδασι ὀξώδεσι ποιοῦσι καρπὸν γλυκὺν, quod Sol & acor trahant frigus, & ſiccitatem tamquā & proprias qualitates : Vnde relinquatur intus dulcedo, modo non aberrauit hic Philoſophica contemplatio, & verius eſt alterum hoc: quo plus concoctus fuerit fructus, eò magis acor diſſoluitur, ad legitimum nempe vſque terminum : Item : coctio corrigit ſapores : Et: ἐν τοῖς ὑδαρεστέροις διαφέρουσιν ὥστε τὰ μὲν ἔγχυλα τὰ δὲ ἄχυλα, καὶ δύσχυλα καὶ εὔοσμα, τὰ δὲ ἄοσμα γίνονται· αἴτιον τὸ ὅτι μὲν ἄπεπτον, τὸ δὲ πεπεμμένον. Ita eſt in materia varietas. Quædam enim rara, quædam ſpiſſa, alia diluta. In terris, metis, metalliſque ſapores, odoreſque negant eſſe, ob ſiccitatem humore inſolubili, nec percolato per ſiccum nutritiuam, &c. Verum, hæc abrumpo, quod ex te ſperem declarationem copioſiorem, nihil gratius æſtimaturus, quam ſi adieceris eadem opera, quidnam Chymici de iſtis ſtatuant, & in quibus imitentur naturam. Vale & ad ſatiandam cupiditatem meam cum primis accingere. 30. Ian. 98. Rotemb. ad Tubarim.

EPIST-

EPISTOLA LIX. DE SAPORUM *Alchymia.*

Valerius Glycyus Glossomena Andreæ Libauio S.

NON est consentaneum, naturam initiò instituisse id, quod in sui detrimentum cessurum erat. Cibus autem suauis existens, vt inquit Philosophus, & siccus & humidus sæpè morbosus est, & cum nimis nutritiuum sit dulce, & supernatet, ne inde lædatur, condimenta admittit natura ex salso & acido, interim per se ipsa ope caloris attrahens, quod leuius est, & concoctius, quale est dulce. Non itaque immeritò scripsit Aristoteles cum Galeno & aliis, dulce nutritiuum esse, & per se appeti, cæteros vero sapores huius gratia addi. Si iam additamenta vnà cum nutritiuo ferantur ad membra, adhæsione stabilita alterare possunt, tandemque introducta vitæ huius consuetudine euenit, vt citra morbum sapiant amarum, aut salsum. Hanc puto esse sententiam eorum, qui dulci patrocinantur. Itaq; capella amaras salices affectatur, nō quia amaro per se nutritur, sed quia hoc gaudet condimento, cuius societate dulce fastidiosum eò facilius admittitur, sed postea hoc retento, illud segregatur, sicuti ostendunt carnes caprinæ. Non autem negandum est interdum dulce vocari id, quod gratum est; interdum, quod non habet manifestum saporem ex amaris, veluti aqua dulcis, quæ non est

Defensio alimenti dulcis

ſalſa acida, amara, &c. licet guſtu ſit inſipida: Quæ vero ex Philoſophis attuliſti de origine ſaporum, ea video non omnino probari à Chymicis, qui rebus ſapores ſuos à natura putant inditos, tametſi variis poſtea obnoxii ſint mutationibus. Itaque abſynthium non ideo erit amarum, quod aqueum eius percolatum ſit per ſiccum ſapidum, & nutritiuum à calore vberius aduſtum, ſed quod ſemen & primitiua natura à conditore rerum fuerit talis, ſeu talis eſſentia per ſe exiſtens & ſe hac nota ſentiendam præbens. Sed, vt tu mihi obſecutus, & mei gratià philoſophatus es, ita oportet me viciſſim tuo nomine laborare, quanquam malim à te erudiri, quam mea loquacitate fortaſſis legentibus faſtidium parere. Sapores Chymici, dum eſſentias inſtituũt, in externis habent, nec, ſi pereant, admodum curant. Credunt enim eos exiſtere ſemineo quidem motu; ſed tamen in conſpiratione eſſentiæ cum ſuo cortice elementari: vnde eueniat, vt ſpecies mutentur, aliusq; ſapor ſit eſſentiæ ſolius, alius cum corpore ſociatæ, alius tandem corporis. Quod ſi tamen elaborandũ nominatim in hoc eſt, quanquam is finis, qui ab vſu ſumitur, & non à naturæ proprietate, multis aliis modis externis arti poſſit acquiri: Eſt enim, cũ miſcentur ſapores grati: Eſt, cum diluitur parua eſſentiæ quantitas copioſo humore, & ſi quæ ſunt his ſimilia: ſolent tamen nominatim adhibere circulationes, fermentationes,

tationes, maturationes, solutiones, coagulationes, & si quæ aliæ operæ magis alterant per calorem, aut frigus humoremve, & siccitatem, tanquam potestates seruiles, & hæc in depuratis, aut extractis. Quod si integra res est, labor magis spectat ad magisterium, & præter illa artificia, possunt etiam adhiberi mista alterantia, vt in fermentando; vel repurgationes, separationes, maceratio, destillatio certi liquoris crebra, in quo digesta res sit ea, quam vel suo sapore exaltatam volumus, vel alieno, siue hic ex potentia in actum digerendo euocetur absque additamento, siue ab alio transplantetur. Alicubi & dispiratio sapores corrigit, mutatque halitu exuperantiam acredinis secum aufferente. Omninò siue ex necessitate, siue arbitrio agendum est, sapores Chymicus vel exaltat, vel mutat, & obiter etiam corrigit deprauatos aliis operibus, separat aduentitios, natiuos restituit, argumenta iudicii de natura inde capit, & si quæ sunt alia plura. Exemplis res doceri familiaribus potest. Lupinos enim etiam plebs maceratione ad dulcedinem quandam deducit: rapas nimium acres torret: raphanum coquit & diuaporat, idemque aliquando in seminibus tentat. Narrant enim dulces nasci rapas, si semen ante sationem lacte amygdalino per triduum maceratum fuerit, quo ingenio multorum sapores mutari possunt. Cereuisiarii acescentem

Lupini.

Dulces rapæ ex satu.

Cereuisia acescens.

cereuisiam emendant adiecto cinere fagino, mensuris nimirum vicenis quaternis, manipulos octonos : alii ligni pinei segmenta iniiciunt. Olim referente Plinio, aquas nitrosas & amaras polenta addita mitigabant, vt intra duas horas bibi possent quod ipsum etiam assecuti sunt traiectu per cretam Rhodiam, & argillam. Scaliger coctionem & secessum probat, quomodo & aqua Nili potabilis reddita est. Propius ad artificia chymica accedunt, qui separationibus in marina, & similibus vtuntur. Quidam artifices oleum vitrioli acidum in dulce conuertunt per spiritum vini super eo digestum, & sæpius abstractum : alii separant diuersas partes & sulphuream dulcem seorsim elaborant: nonnulli infundunt acido quartam partem scobis ferreæ climatæ, & super cineres calidos ponunt per horam : Loco scobis laminas politas sumere licet, easque in eo relinquere donec ferrum æratum sit, & postea mutare, donec non amplius cupreus color emergat. Ita enim acredo extracta est. Est, qui perfundit id oleum aquæ pluuiæ octuplo, & coquit in lebete, donec ferè absumta sit aqua, & postea adiecta noua iterum coquendo, ad olei consistentiam deducit. Residuum destillat vsque ad oleum, quod seponit calcem albam ab oleo separandam. Fit & separatione liquor dulcis ex flore essentiali vitrioli, quam dulcedinem vitrioli vocant.

Aquarum correctio.

Ex acido vitrioli oleo dulce.

Dulcedo vitrioli.

Præpa-

Præparant aliqui Chalcanthum ante destillationem, per macerationem in fimo cum aqua simplici stillatitia, donec in superficie existat corium, quo apparente, vas transferunt in locum frigidum, ad coagulandum. Coagulatum calido sicco leni in puluerem album vel citrinum redigunt.

Huic denuo affundunt aquam, aguntque, vt ante interpositis semper colaturis, donec aciditate obliterata dulcedo sentiatur. Posthæc calcinant in geranio clauso, & destillant, id quod perinde est, ac si colcotar elutum diligenter esset, posteaque destillatum, de qua re inter olea vitrioli agitur. Vides itaque in aliquibus maceratione saporem mutari, aliquibus destillatione, tostione, reuerberatione, & similibus. De Empyreumate & acredine à calcinatis per liquores acres vel reuerbeuatis vstisque aufferendo, noui, à te ipso præceptum esse. Non itaque eges mea informatione. Caue tibi à Michelio, qui tuis operationibus nuper dicam scripsit. A me nihil expectes præter bona verba, & animum candidum. Quærere libet, quando omnia sibi pollicentur chymici, an non efficere possint, vt aloë non sit amara, & tamen nil capiat in substantia viribusque detrimenti? Salutaris res est Carduus benedicti, Gentiana, centaurium minus, Elleborus nostrâs & similia. At nauseam multis pariunt amarore. Hic intendendi sunt inge-

An amaror tolli possit amaris.

nii nerui. Vin' tibi meam ſententiam dicam? In aquam, ſalemque redigantur, ex quibus cliſſus paratus non erit ingratus, ſed tamen nolim tibi de totis viribus eſſentiæ cauere. Quædam enim videntur naturæ fine amara facta, à quibus ſi amaritiem ſuſtuleris, formam proprietatemque eſſentialem deſtruxeris. Non omnia ſunt in lingua. Illi tui Galenici conſulendi erunt, qui penè nihil niſi ſaccharo abunde delibutum promunt. Mei Chymici ſi volent, ex vino abſynthite præbebant amara ſatis commodè, quanquam non abſit eis facultas etiam eſſentiæ ſaccharatæ & mellitæ. Hoc quoque dicas velim, cur PLINIVS ſcripſerit, pluuiâ omnem ſalem dulceſcere, & ſuauiorem rores facere? An non hoc eſt ſalem deſtruere potius, quam exaltare? An non ſal dulcis ſi ſit, ſal non eſt? Fatuum vocari memini & cadauer ſalis. Profectò iſta inſulſe prolata à Plinio ſunt, cui, vt ſalem reſtituas, opera tibi eſt danda. Sed ſalibus ignoſce, & optima quæque de me tibi pollicere. Vale.

Aloe, ſi non ſit amara, nō eſt aloe.

EPIST.

EPIST. LX. DE MAGI-sterio soni.

AD
Hippolitum Typham de Sa-
xo cauo.

QVID ni magni æstimes illum tuum? Licet tibi per me indulgere animo tuo, illumque in cœlum tollere, quem amas. Qui se bonis literis restaurandis non minus obiter, quam ex industria natum (vt ipse de se ipso) profitetur. Qui Plinium, Rondeletium & alios cæteroquin magnos viros adeo pręse contemnit, vt Grammaticos odioso vacabulo & nonnunquam etiam abiectius inhonorificentiusq; nebulones nominet. Qui suam faciem in Chysolitho, Hyacintho aliisque gemmis sculpendam curat: qui nihil non scire sese, etiam æternitatis arcana, persuasum habet, & quæ alia pleno ore sibi tribuit, certe erit iudicio suo maximi æstimandus. Sed tamen permitte mihi, vt sapientiam amem, stultitiam irrideam, meo scilicet sensu, qui non est capax tantæ sublimitatis, nec assequitur, quid sit obiter nasci, & tamen etiam ex industria. Sed & hoc æternitatis arcana attingit, quod ait, plerasque nobiliorum artium ferme latere, tum ob rerum proprietates ignotas adhuc: tum quia subtiliori inuentione indigent. Hem virum. Hic ergo rhodos fuisset, hic saltitasset, & sui nascendi consilium comprobasset. Sed quænam latent, &

Artes nobiliores num lateant.

Artes latere creditæ.

indigent inuentione? Vitri tenacis faciendi ratio: Thesaurorum inuentio: stridorem æri
» dandi, aufferendi à plumbo albo: effodiendi
» vndiquaque vtiles res. Transmutandi colo-
» res: perfecta ratio permutandi corruptum vi-
» num in acetum, quæ tamen inuenta sit ætate
» sua, sua etiam perierit: dignoscendi rerũ pro-
» prias vires: ars proferendæ in longum vitæ,
» materiam facere, quæ machinarũ ignearũ vi
» resistat: volandi inuentum: Tytidatis magia,
» quæ ea doceat facere, quæ fieri non possunt.
» Ecce vero nobiles illas artes, quæ adhuc inuentore egent, Et tamen quædam inuentæ perierunt. Sanè non recte sese ille gloriatur natum ad instaurandum bonas artes, qui inuentas nec tueri potest, nec instaurare perditas. Verum ille homo, quisquis fuit, iniquè de naturæ beneficẽtia est conquestus, & artes ex sua ignorantia æstimauit, præteriens eas, quas rectius postulasset, si vllæ restant, quibus nos natura donare debuit & nondum donauit. Metallicis certe grande operæ precium fecisset, si docuisset perfectam rationem plũbi candidi ab argento sine alterius detrimento separandi: Totam naturæ doctrinam magna liberasset obscuritate, si trãsmutationem mineralium in aurum, & argentum absoluisset. Si etiam ostendisset, quo pacto ex aqua vinum & ex arenis panes cõficerentur hominibus sustentandis apti, Deus haberi meruisset. Quid, quod Sisyphium illum in docendo

labo-

laborem sustulisset inuenta ratione repente ex indocto maloq; faciendi doctum bonumque, & id constanter? Quantum profuisset imperio, si monstrasset, quomodo vti aquis ambulando possent, vt terra homines? Nunc quàm desipit, cum nobiliores artes enumeraturus, scelera fere producit præteritis vere preciosis, & in ignobilioribus relinquit, quas habemus diuinas? Vitrum tenax facere, non restabat inueniendum. Inuentum est pridem si Plinio credimus, & sunt præceptorum vestigia in Alchymia, Thesauros inuenire Hispani milites quàm possunt expedite? Diuinare dicas. Nec est inter artes istud, sed potius inertia, multo minus artium nobiliorum. Si locum defossorum scis, operosum est fodere, non ingeniosum. Metallici tamen non absque industria indagant venarum latibula. Si ille bonus vir effecisset montes perspicuos, non opus erat talem artem desiderare. Et erat facilius in mare demersas opes investigare. Tali arte se celebrem reddere potuerat, & decebat instauratorem natum. Sed ô magnam artem & nobilem, effodere vndiquaque res vtiles. Tot stadiis hactenus perfossa terra est, & nondum inuentum sit fodiendi artificium? Ad manes fere est peruentum & excauata natura etiam cum montium ruina, & nondum possint homines fodere? Turbam gemmarum, metallorum, & cæterorum mineralium fodiendo assecuti sumus,

mus, & requirimus artis inuentionem? Cur vero desiderat colorum transmutationem? Quid facilius? Aut quid tandem inde boni lucratura erat vita humana? Vult etiam artem corrumpendi vinum corruptum. At rectius consuluisset nobis arte restituendi data, aut saltem Germaniæ nostræ plurimum inseruiisset, docens, quomodo naturale acetum transmutari posset in Falernum. Acetum facere vel ex aqua pomorum, satis acre possunt rusticæ. Parum peritus Chymicæ disciplinæ est, qui ignorat modum aceti ex corrupto vini faciendi, modò adhuc potentiam acescendi habeat. Facilius est porrò ire, quàm retrocedere, seu á priuatione ad habitum non est regressus, At at hoc ad illã processus est. Chymia, quam perfectè docuisse videri vult, (sed stolide) compendio ad istam rem vtitur. Extrahit enim spiritus & reliquum facile in acetum vertit. Sed ille non iniuria queritur, nondum inuenta esse multa, quia artem dignoscendi rerum vires proprias nobis deesse queritur. Si hoc verò est, non miramur dicentem, nullam artem esse inuentam. Atqui naturæ id munus, non artis. Illa nos instruxit duplici noscendi potestate, sensu & intellectu. His vtendum est strenue cum in medio sint res ipsæ. Sed vitæ prorogandæ ars deest. Atqui eam profitentur Medici, plenisque buccis deprædicant Chymici: Omnium maximè iustissimèque sibi vendicant Theologi, in quo-

Acetum facere ex vino malo.

Ars prorogandæ vitæ.

quorum præceptis est; Honora patrem & matrem, vt sis longæuus: Item Dominus est longitudo dierum tuorum: Pietas ad omnia vtilis, habens promissionem præsentis & futuræ vitæ, quanquam secularem, quo quisq; fuit magis pius, eò minus exoptauit in hoc rerum statu, quomodo Philosophi & Poëtę fama ingenii, quàm corpore viuere maluerunt. Requirit & materiam resistentem ictibus fulmineis. O hominē imperitum. Natura opposuit maria, & terras, & acroceraunia, etiam impetui validissimo, modo sit aliquid, (quod tamen impie expetitur in adminiculis Physicis, cum eius gratia Theologica suppetant remedia) quod puniturum scelera Deum queat sua firmitate corpulenta auertere. Procul à Ioue & à fulmine dixerunt veteres, & cuniculos subterraneos irrepserunt. Nullum tormentum expugnabit muros alto vallo ex terra pręmunitos. De muro aheneo & ferreo multa sunt etiam in prouerbiis. Ecce habuit materiam. Etiam vnde retundunt globorum impetus. Itaque, qua parte nauis est in mari, non facile perrumpitur. Semiramis muros extruebat ex latere cocto, & cæmento bituminoso glutinato arundinum mollugine, quos si foris munias sepibus fortibus terra crassa factis, & corbibus, experientia testatur, inviolabiles ad ictus etiam arietum validissimorum durare: sed tamen non absque propugnatoribus Spartanis, quorum corpora & clypei erant,

rant pro mœnibus. Visæ in mari naues Venetorum sunt, in quibus tormentorum globi nihil possent. Materiæ satis est ad arcendos impetus istarum machinarum, modo præbeat sumptus & ingenium coaptandi. Si solicitus fuisset de arte, quæ auri violentiam a muris prohiberet, & perfidiam extirparet, rectius collocasset curam. Cur vero volare concupiuit? Quid vtilitatis homini sit, si per aërem instar auium vltro citroque ludibundus moueatur? Imo quid postulauit id, quod auibus tàm est facile, quàm naturale? Non est causa, cur potius volare voluerit quàm ire sine pedibus, aut quadrupedem currere, aut natare instar piscium. Satis volatici animi sunt homines. Si docuisset artem iungendi montes, ne opus esset iter facturis per valles repere, & mare sternendi ponte, ne committenda vita ligneę nauiculæ foret, sapuisset. Impie artem eius requiris, quod non aliter voluit esse creator naturæ Deus, vt valles sine montibus, hominem capite cœlum attingentem, & introspicientem in ima terræ per mōtes, intelligentemque cogitationes. Æque delirum est optare artem volandi in genere hominum, & velle aues in acroaterio Aristotelis Philosophiam discere. Verum enimuero vanitatem & stultitiam hominis intelligis, cũ requisiuit artem Tyridatis magi, qua fiant illa, quæ non possunt fieri, h. e. humanis rebus voluit maximam inferre temeritatem, & insa-

Homines volare optans.

insanissimi sceleris reum facere totum genus nostrum, postulando, vt elaborent in his homines, ad quæ nō possunt peruenire, vt staturæ tuæ vlnam adiicere cogitando. Ecce tuum amasium. An non belliculus tibi videtur? In Chymiam certe impegit, cum negat artem inuentam, quæ æri det stridorem, & auferat à plumbo candido, quod tūc opinione eiusdem futurum esset argentum. Credo ignorasse eum quidnam sit id, quod cupit. Si sciuit, nesciuit tamen illam artem pridem in Chymicorum magisteriis esse. Nam á tot seculis iam profitentur Chymici, transmutationem metallorum imperfectorum totaliter. Necesse est vna esse etiam stridoris sublationem. Geberus ostendit, quo pacto sigillatim plumbum candidum sit elaborandum, ne inter fundendū strideat. Iudica iam ex his, quanti sit ille, qui ausus est gloriari, se omnes artes perfecté tradidisse, & inter eas ét Chymiam, qui tamen nesciuit hanc artis particulam. Est & stultū votum in ære stridore donando. Si derogat stridor perfectioni plumbi candidi, quorsum expetitur in ęre? An non & hoc perfectorum dignitatem meretur? Cur infra plumbum candidum abiicitur, cum perfici æquè possit, & fors etiam maiore iure de auri affinitate gloriari possit, cum non Gebero tantum, sed & hodie persuasum sit multis in aurum abire id coctione diuturna virtute solis in culminibus ædium? Cæterum, cum

Dementissimum Cardani votum facere ea qui fieri nō possunt.

Cardanus imperitus Chymicus.

cum huc dicendo peruenerim, non moleste feres, si adiecero aliquid de soni magisterio Chymico. Id intelligendum est tunc fieri, cum vnius cuiuspiam potestate sonandi instructi sonitum clariorem, magisque tinnientem, aut reboantem, pro vt est soni species, reddimus. Id quod absq; Chymia quoque Musici Chordis intentis, remissis, crassioribus, tenuioribus, item organorum pneumaticorum ad harmonias fabri fistularum figuratione, amplitudine, angustia & cæteris, campanarii forma tintinnabulorum, & aliis cauis in metallis & lignis etiam asserum, & tabulatum siccitate, duritie & mediocri tenuitate assequuntnr alii. Chymici vero ipsam materiam student ad sonos aptiorem reddere, veluti in metallis, cum requiratur ad sonum continuitas partium, & nihilominus raritas quædam resistens, quæ aërem & admittere, & elidere collidereque per vim facto impulsu, possit, efficiunt, vt id non nimis sit molle, nec nimis compactum. Itaque humiditatem tollunt & siccitatem iustam introducunt, qua ratione effici potest sonorum plumbum, vna opera simul illata siccitate conueniente, & porositate quadam in terra, nihilominus solidè cohærentibus partibus, & sibi mutuo sonum tradentibus aëris reuerberatione, & impulsu multiplici etiam ad latera. Ita concinnatum corpus si postea attenuatum in laminas, & reductum in concauum, conformatum-

maturumque ſit debitè, ſonum exhibebit pro modo præparationis. In ferro æreq; ductili, ex quo Muſicæ chordæ fiunt, ſpectatur ſimul tenacitas cum ſoliditate, ſeu continuitate pertinaciore. Quæ enim ſunt friabilia, vel facilè diſſiliunt, & rimas agunt non poſſunt aptè duci, & retinere ſonandi facultatem. Ita figulis, vt ollæ ſint ſonoræ, cura eſt, ſolidas præſtare, & ſatis exiccatas cum pororum conueniente diſpoſitione iuſtaque forma, & tenuitate, vnde etiam ſpectantur bonæ. Sed non ſolum hoc propoſitum Chymiæ eſt, verum etiam non rarò contrarium. Nam, ſiue rei naturam ſpectes, ſiue vſum, aliquando potentia ſtrependi aut etiam cum ſtrepitu exiliendi, rebus eſt adimenda, vt aliqua nota accedant ad præſtabilius, aut vſus ſint eius, quèm in præſens putamus fore rebus noſtris idoneum. Documenta huius artificii etiam ſunt in vulgari experientia. Notum eſt candelas, & ellychnia ſtrepere, & exilire, ſi quid aquei humoris pinguedini eſt intermiſtum. Itaque, vt quam placidiſſimè ardeant, tollitur aquoſitas, & tum ellychnii materia probè [illegible] adhibetur, tum pinguedo repurgatur. Id autem etiam experiuntur tum coci, cum pingui feruenti incidit aqueum quid, tum picis excoctores, & metallici, quibus adeo cauenda eſt humiditas illa, vt ſtudioſiſſimè omnia ſint extergenda, ne quid in feruens metallum illabatur, niſi velint cum periculo ſuo officinæque & iactura metalli

Ee ope-

operari. Eadem res attinet etiam chymicum, qui sæpè experitur tonitrua vasorum & materiæ, nisi arceat frigidam. Tyronum chymicorum exerceri ingenium, excitarique attentio, & prudentia solet olei sulphurei cum sale petræo apparatu. Discunt enim suo malo, quamquam etiam vasorum iactura cautius in arte versari, & fixo non crudo halinitro vti, aut naturam eius solicito manuum ministerio compescere, ne horribili sonitu perruptis vinculis spiritus in altum subuolet. In destillatione oleorum succini, gagatis, sulphuris, similiumque nitrosos spiritus vehentium ascensoria per Alembicum, præsertim rectificatoria, circumspecta ignium moderatione opus est, ne fremant mugiantque spiritus & cum impetu subsultent, vel vasa frangentes, vel synceritatem olei impuriatum mistura vitiantes. Patet itaque non humiditatis tantum rationem habendam esse, sed & spirituum frigoris ignisque & huiusmodi aliorum, vt subsultus, mugitusque & detrimenta inhibeantur, præuertanturque. Impatienter ferunt fabri, si prunæ crepant exiliantque & studium artis interturbent. Remedio est perfusio aquæ, & perarefactio. Tunc enim ignem tolerant. Hæc exempla sunt enchirematica. In aliis inuenias etiam vltimi scopi & summæ intentionis opera, veluti, cum ad auri imitationem argentū & reliqua tinnientia metalla redduntur surda.

Mutum

Mutum enim aurum eſt nec ſonorum ſi eſt purum putumque, idque ob ſolidam & compactam ſpiſſitudinem ſubſtantiæ, quæ etiam cauſſa eſt ponderis poſt argentum viuum maximi. Quæ itaque metalla volumus, auri dignitate donare, poſt alias operas prærogatiuasque denſanda ſunt medicina mercuriali, quæ in omnes irrepat meatus, & aëre excluſo ſtipet ſolidetque compagem. Denſat & mallei incuſſio, ſed non ad votum auri, quamquam in ferri conflatura marculi lignei, & pondera ferrata non parum proficiant. Præterea humiditas aliquid ad rem ſubſidii habet. Nam ex contrario cognoſcitur contrarium. Quæ peruia ſunt, intus exiſtentibus meatibus decente modo diſpoſitis ſonora ſunt tinniuntque impulſu, ſi ſimul ſint arida, vt ſuperiores ſint penes aërem. Quæ humorem combiberunt, non amplius adeo clangunt, quod licet colligere ex aſſeribus humidis & ſiccis. Sic plumbum non tantum ſurdum mercuriali compage iudicatur, ſed & humiditate; ferrum autem & æs ſonorum raritate ſiccitateque. Qui ergo metallum ſonans hac facultate ſpoliare concupiſcit, humiditate ſiccitatem mutare ſtudet, & raritatem ſoliditate ſpiſſa. Ad hoc conſilium deducit artificem etiam auri natura quæ nec humida nimis eſt, nec ſicca, ſi cum mollibus & duris metallis conferas ſimul: nam in horum

medio conſiſtit. Sin cum duris tantum, molle inuenitur & humidum, idque ob præſtantiſſimi Mercurii potentiam, qui tenaciſſima humiditate id ab ignium violentia defendit, & dilatationis, tractabilitatisque facultatem ſuppeditat. Quocirca, qui hydrargyrum ita figere nouit, vt retenta humiditate mediocri. In igni conſiſtat; is remedium aſſequitur, quo conciliare cæteris auri dignitatem in pondere & conſtantia poſſit. Sic magiſterium ſoni in re metallica non parui eſt momenti. Extendit autem ſeſe etiam ad cætera. Quanto cum tumultu puluis pyrius tormentorum globos explodat, vulgo notum eſt. Scripſi alibi, quo artificio queat ſurdus reddi ad feras (non homines) ex inopinato incautaſque opprimendas. Vin' noſſe, qui ſal ammonius ſit operibus fuſoriis congruus? Inſperge eius momentum prunis. Si crepitat, inſanitque, ſalis alieni habet multum, nec iudicatur operi proficuus probatur ſi fumigat, & tacita difflatione conſumitur. Ita criticum eſt aurum ſupra ſtatutum monetæ modum tinniens repudiare, quod ære argentove nimio ſit permiſtum. Argentum ſurdum, plumbi aut alterius confuſi ſit reum, aut abſoluitur aliqua auri prærogatiua, ſi conſentiat iudicium cæmenti, & cineritii. Ad delicias quoque & oblectamenta vitæ conferre hoc documentum poteſt. Ita enim ille Virgilianus

Salis ammonii cenſura.

lianus flammas Iouis & ſonitus olympi imitabatur, ſibi voluptatem maieſtatemque, aliis terrorem creans. Si ſalem petræum, hydrargyrum, & ſulphur viuum commiſta æreo ferreove globo abſque reſpiraculo includas, prunis impoſitus exilict, inſanietque diſcurrendo & intonando. Aliis volupe eſt Clematin Daphnoiden, lumbricos terræ & aizoum maius commiſcere, inque ignem coniectis tonitru excitare. Pueriles luſus argentum viuum fiſtulæ incluſum camino, imponunt ignariſque metum incutiunt. Huiusmodi aliqui ad magiam referunt, ſuntque Phyſicæ contemplationis, & in vſu rerum naturalium ſuum inueniunt locum. Tantum placuit tecum de hoc magiſterio conferre ſermonis. Plura ſubminiſtrabit experientia. Vale. prid. Calend. Feb. Anni ab inſtaurata ſalute 1598. Rotemburgi ad Tubarim.

EPISTOLA LXI. DE ANTIdyſentericis ex Chymia nonnullis.

Excellenti Philos. & Medico Iohanni Heurnio in Acad. Lugduni Batau. Profeſſori,

ANDREAS LIBAVIVS S.

STVDIOSE admodum, & officioſe, quæ D. Camerario patri, ſummo illi Philoſopho & Medico de me mandaueras, ipſe eſt executus. Nam, & ſalute à te plurima me impertiuit, & tuis verbis ad Philoſophemata noſtra accuratius pertexenda inſtigauit. V-

trumque tam non ſum aduerſatus, vt etiam in aliqua laudis parte poſuerim tantæ auctoritatis doctrinæque viro non diſplicuiſſe. Vidi tuum erga me animum tamquam pictura repræſentatum in illa admonitione compellationeque tam amica. Sed plenius affectum erga ſtudia, in quibus me frequentem eſſe noſti, etiam aliunde perſpexi. Quanti enim ſunt illa, quæ cum ſumma ingenii tui & admiratione, & laude non ita pridem publico commiſiſti? Rari admodum ſunt noſtro ſeculo Philoſophi, qui inter amplexus muſarum chymicarum inueniri conſpiciq; non erubeſcant. Tibi volupe fuit, etiam in publico proponere amoris huius documenta inſignia, & quo artis abſtruſiſſimæ rariores ſunt cultores admirandi, eò cõtentius in ea verſari.

Lætor certè ego, te mihi non tantum ſocium venire auxilio, ſed & propugnatorem cognoſci. Proceſſiſti & feliciter & tempeſtiue in aciem, cum me Veteranus ille Paracelſitarum Michelius ab antiquo Paracelſi ſerpente, auctore nimirum ſapientiæ paracelſicæ vt iſte alicubi ſcribere non dubitauit, afflatus inuaderet totis viribus, & artificum ſummorum conſpiratione docuiſti, Alchymiam μεταςχηματιςικὴν non eſſe extra metalla. Eat ille & materiam artis in ſterquilinio quærat ſuo. Nos cum Raimundo, Thoma de Aquino, Iohanne de rupe ſciſſa, Arnoldo de villa noua, & cæteris ſolidis na-

dis naturæ inniti fundamentis nunquam pœnitebit. Ita te mihi propugnatorem καὶ σύμμαχον sum nactus. Eiusdem vero studii ampliatorem etiam ex amicorum literis. Relatum vero mihi est, te periculosam dysenteriam malignamque, qualis & ante annum & nunc Augusto mense populariter in vicinia sæuiit, nec dum remisit, facili admodum, at ex intimis Chymiæ thesauris prolato medicamento tam demulsam reddere, vt feritate mox posita placidiorem se tractabilioremq; oue exhibeat. Quæ illa tua noua Gorgen? Radicibus halicacabi soporantur Aspides, inquit Plinius, Scorpio torpescit visa radice syluestris hyacinthi, & moritur, vel etiam obrigescit Thelyphoni vel aconiti tactu, adeo, vt stupeat pallescens, & vinci se fateatur: Docuit nimirum Deus etiam venena in vsus humanæ salutis vertere (præclarè enim Plinius: quod si quis illa fortè ab homine excogitari potuisse credit, ingratè Deorum intelligit munera) nullo experiendi fine, vt cogerentur etiam venena prodesse. In Chymicis miracula sese ostentant etiam maiora, quemadmodum constat his, qui hydrargyrum viuum sublimato mirificè occidunt, & aquis mercurialibus oculi momento solidum aurum in tabem liquoremque diducunt, & alia plurima prodigiose tantumque non magnificè quasi per spiritus aduocatos, perficiunt. Non mirum est, si te quoque Chymia il-

Plin. lib. 21. c. 31. 26.

Plin. lib. 27. c. 2 & lib. 25. c. 9.

Plin. lib. 25. c. 4. & lib. 25. 27. c. 2.

la abſtruſa & nunquam ſatis commendata aduerſus immanes illos humanæ ſalutis hoſtes inſtruxit, amatorem nempe cultoremque ſuum non inſtrenuum. Crederis autem iſtud effectum reddere præſidio & ſapienti vſu aquæ cuiusdam mercurialis, quæ, cum poſſit eſſe multiplex multiplicique apparatu varia, vereor, ne imperitos titulo ſui fallat, & ad pernicioſa quædam pharmaca temerè vſurpanda alliciat. Plinio mercuriale vnguentum ad eandem rem non erat ignotum. Itaque & noſtri Santalino occidunt nonnihil hydrargyri, & epatis regioni miſturã apponunt, alii vmbilico. Noui, qui malagma aureum ad eosdem vocauerit vſus, præſertim æſtu & cauſone dominante. Alius plumbum candidum immiſcuit, ſed vſu incautiore Syaliſmum cõcitauit, fugaci illo ſpiritu præcordiis admoto reſolutoque per calorem in ipſa membra irrepente. Quid quod argenti viui venam, quam minium natiuum nũcupant, aut quam in argentariis repertam cadmiã, eadẽ vomica prægnantẽ, manu fouendã præcipiunt? Multum in laudanis opiatis, Philoniiſque aliàs eſt ſupercilii. Eſt, qui ex hydrargyro ſublimato, & tartaro laborioſiſſimo conatu eſſentiam ſubtiliſſimam & in aëre coaleſcentem comparat, quo pacto noui etiam ſalem gorgoniũ Zuingeri, & aquam viuam Chymiſtarum concinnari. In his quoque plurimum eſt ſpei. Fors & argumento Pliniano huc traduxerit quis

Veſica-

Veſicariæ radicem, aut ſolani ſyluatici, & huiuſmodi. Sed, qui pedum viam in talibus nondum viderunt, illis meo iudicio conſultius eſt vti eſſentia coralliorum rubeorum, Croco martis, vel liquore, Sapphyroque & ſmaragdo reſolutis cum extracto Rhabarbari toſti, aut Cryſtalli aurique calce præſertim violentia veneni reſtincta, & ablutis à malignitate ſordium inteſtinis cæteriſque locis ſecundum præſcripta artis medicæ, quæ aquas auratas chalybeatasque, & ex horum metallorum magiſteriis concinnatas tabulas non habet in poſtremis, quanquam nec elutiones melleas hordeaceasque, & poſtea ſæbo caprino pingues aſtringentesque & cætera auxilia ſuo loco induſtrie adhibita, vt nec luti fornacarii exuſti reuerberatique vim reſpuant artifices. Verum hęc ſatis loquaciter. Ego te ob commune bonum obteſtor; vt ingenii experientiæq; viribus ſtreune vtaris, & in Chymicis medicamentis præſertim ita elabores, vt arti ampliandæ natum te intelligant præſentes & poſteri. Vale.

EPIST. LXII. DE LIQVORE albuminum.

Ad Eximium Phil. & Med. D. Matthiam Carnarium Ducis Holſatorum Illuſtriſ. Primarium.

XΆριτι θεοῦ εἰμί, ὅ εἰμί ad Corinthios de ſe olim ſcripſit Gentium Apoſtolus. Quid me, Carnari, cenſes, quanquam in diuerſa & neutiquam iſti comparanda cauſa, aliud poſ-

ſe dicere? Viſa tibi eſt balbuties mea Hermete, & Aſclepio digna vtor illo, ſi quid ſum, Dei gratia ſum. Dei eſt totum iſtud, quod in meo ingenio commendandum amici putant. Ad hunc redeant glorioſæ exiſtimationis monumenta. Mihi homuncioni ſatis eſt, emiſſitiis epiſtoliis aliquid præclari ab amicis emendicare, aut etiam importunitate extorquere. Cauiſſes tibi, ſi ſapuiſſes. Rupto enim ſilentio ſepta ad te aperuiſti, meamque admiſiſti imprudens garrulitatem. Non te mittam, niſi ſolertiâ tuâ probè exatiatus. Vulgo iactatur, inque centonibus medicis vernaculo idiomate in dedecus noſtræ medicinæ cenſutis tale legitur quodammodo Chymicum ad vertiginem propulſandam inhibendamq; remedium: Ouum recens à partu integrum aceto acri immerge, & in eo depreſſum decendii ſpatio relinque, quo vſque emollita labaſcat teſta. Ex hac acu pertuſa quicquid aquei exit liquoris, applica temporibus vertigine correptorum. Siſtentur agitationes non ſecus, ac eche̅neide in medio mari pleno curſu aquilonibus vela inſtantibus triremes. Chymicorum ἐπιτεχνήσιον vides. Liqueſcit ſane diſcuſſu crebro idem albumen, & ſpongiis exceptum redditumque aquæ fit ſimile, quomodo & lentore tenax factum vinum ſcopis diuerberatur, reduciturq; ad priſtinum fluorem. Philoſophus vitellum ait ſpiſſari frigore albumen non, ſed amplius humere, ſeu aquo-
ſius

ſius reddi. Teſtam oui aiunt ex Plinio aceto lenteſcere, ductilemque fieri, quo pacto alia nõnulla lixiuiis macerata percoctaue. Eadem teſta fragilitati duritiæque ſuæ reſtituitur aqua frigida, ſi in ea aliquandiu fuerit relicta. Aceto eſt extractoria quædã ſubtilitas, quam Chymici ſeparato phlegmate partibus aëreis, igneisque ſeu ſpirituoſis aiunt deberi. Eſt & acrimonia, qua domitat lapides poteſtque per eam via facta ſe penitus inſinuare, & reſolutis nonnullis ſpiritus excitare, vnde non raro efferueſcens exoritur ſpuma, vt cernere eſt in lapidibus aſtacorum, cinere cornuum, lapide ſtellato & ſimilibus. Qua quæſo vi non corrodit teſtam oui, ſed lentam flexilemq; duntaxat reddit? Quid eſt præſidii, quid facultatis: qua diuerberat tanquam ſcopis albumen iſtud viſcidum? Num per meatus inſinuans ſe aceti ſpiritus non tantum diuidit continuatam lentoris compagem, quæ cum humoris inſtar obtineat, poſtea confluit, illoque fluxu aqueam naturam repræſentat, ſed cum ea coit in ſocietatem? Si acres aceto ſunt ſpiritus qui calce teſtarum ex ouis etiam efferueſcunt, coagulabiles in tali humore (eſt enim frigidus tenaxque) procul dubio erunt. At coagulati conſiſtent in morem liquoris. Fiet itaq;, quod in deſtillationibus conſueuit. Sed tu côque ex aceto albumen: Non experiere idem. Num itaque tunc ſpiritus fugiunt communionem corporis: At deſtillatio phlegma deprehendit eſſe fugacius. Fors diuerſos ſtatuemus,

ſubtiliores vnos, alteros concretiores. Quidquid ſit, vnam opinor eſſe cauſſam, quæ teſtam flexilem reddit, & albumen diſſoluit eamque non qualitatem meram ſed, ſpiritum eidem coniunctum, qui, cum retunditur, expelliturque & exhalat aquæ ſimplicis frigidæ, copia, facile efficitur, vt ouo priſtina redeat natura. Quod autem Ariſtoteles frigori id aſſcripſit, non ſimpliciter ita eſt accipiendum. Nouimus enim vi frigoris liquores cogi non ſolui, niſi ex accidente, ſpiritum itaque coniunctum coagulari quis putet & albumini permiſceri, idque diuidere. Quod ſi violentius exprimatur prorumpit fractæ teſta, id quod ex aquis euenire ſolet in vaſis in glaciem coactis. Candida pars oui, vt eſt in 3. degenerat. animal. 1. ſua natura humida eſt, & calorem animalem in ſe continet. Itaque ſpiritu eſt plena. Quid affert porrò ille liquor capiti vertiginoſo, vt ceſſare à circumactu cogatur? Spirituum impetum ſiſtit. Qua poteſtate? Num ſpiritus oui miſti ſpiritibus aceti non tantum fixi ſunt ipſi, ſed & cum in actum euocantur, figendi ſpiritus humanos vim habent? Sunt ſane hi obnoxii tali affectioni, vt in gelatis cernimus. Siſtitur calidorum impetus obiectu frigidorum, vt ars noſtra documento eſt. Nonnunquam idem in diſpoſitis poſſunt calida. Nam hydrargyrus glaceſcit aquis regiis, quanquam poſt feruorem frigore actu iam dominante, vt illæ diſpoſitionem ad actũ attuliſſe

tulisse videantur, qua ratione etiam in sublimatione Chalcanthũ & sales. Nonnunquam mobilia inhibentur ignauis tenacibusq; tanquam iniecto vinculo. Ridiculus sit, qui hoc modo conferre illam aquam existimauerit. Album ouorum, & semen in eo contentum, sicut & oculorum Crystallus cogitur coctione. Nec hoc modo stat vertigo. Inclinandum eò videtur, vt putemus vel spirituali proprietate effectum caroticum præstari, sicut oleum gorgoneum calidum coagulat olea, & quomodo salsedines cogunt liquores calcium metallicarum dispari tamen euentu, & nudo, vt facile colligere licet prudenti & industrio, vel frigiditatis subtilis præsentia caliditas duntaxat spirituum, gyrationes compesci. Cum fulminum halitibus, congelascunt, consistuntque vina, antiperistasin alii producunt, alii proprietatem spirituum nitrosorum sulphureorumque, quanquam sat magna vis est Salis petrei resolutioni ad inducendum frigus. Sentio hinc aliquid declarationis peti posse, vt si non soluatur quæstio, saltem attingi quam proximè queat. Tu proculdubio ex recondito ingenii penu sagacitatis plena promes. Vale

EPIST. LXIII. DE AQVAE MEDICATA iuxta Bernhemium & fontis Tubarini sub Rotemburgo Chymia.

Ad Præstantem Medicum Hieronymũ Fabricium Reip. Winshemiæ Ordinarium.

TINCTVRARVM genera multa, Fabrici, esse, pridem experientia didicerũt Chy-

micæ artis professores. Sed ea ad duo redigi summa, scholarum dichotemias amantium consuetudine, non absurdè possunt. Scimus enim nonnullas esse spirituales, nonnullas corporeas, parciore tamen huius vocabuli in subselliis Chymicis vsu, quandoquidem hæc in essentiis corpora ignorant. Nos autem disciplinæ dilucidioris gratia aliquid etiam foris mutuemur, & ad corporum naturã propius accedentes, corporeas nuncupare non vereamur. Spirituales sunt, quæ propius ad aërem cœlestemue naturam accedentes totæ resoluuntur in halitus nullo notabili relicto, & sæpe ẽt ita resolutæ rebus adhærent. Corporeas appello, seu aquea, seu terrea cõsistentia, quæcunque sunt magis fixæ, & resolutis subtilioribus partibus aliquid coaguli deponunt. Ad has accedunt etiam sales, alumina, & Chalcanthi species, quin & calces resolubiles & succi quilibet, qui aquis immisti eas aliqua sui potentia tingunt, sicut illis adiicere possumus ẽt qualitatũ, maxime specificarũ, cõmunicationes quanq̃ substratus putetur illis spiritus suus, veluti cum aurũ moschi odore alteratur. Vtraq; autem genera deprehendi in fontibus medicatis, satis superq; cognitum est experimentis Physicorum. Admodũ scire desiderem quid ille Bernheimensis, qui nõ procul abest winshemio, quẽq; nostrates vestratesq; solẽni in vsu habent, secum vehat. Dicitur quidem de illo conscripsisse commentarios tuus antecessor;

cessor: Sed hactenus nondũ cõparuerunt isti. Mihi aliquãdo lubitũ est animi gratia aquã eius explorare. Itaq; cũ destillatione Chymica balnei ad medias peruenissem, effluxisse phlegma dulce & ingratũ, peneque abominandũ gustu cognoui, reliquiis albedine quadã infectis, quas cũ in sole coagularẽ, sedimentũ apparebat albũ, furfurosũ partim, partim sublutcũ, farinaceum, ꝗ linguæ primo cõtractu occurrebat dulce, post acre & mordicans, dulcedinẽ obliterante acrimonia. Ferramẽta nitida in liquorẽ immissa maculas contrahũt nigras, quales existere & à diluto melãterico solẽt. Admotum igni coagulum deliquescit ex parte, spirituque aluminoso & chalcanthino resoluto in bullas consurgit: Cætera calx ignaua est nec reuerberatu erubescit, sed duntaxat albedinem cinere, hocque iterum candore permutat, gustui terrea, acris & detersoria. Ita dum ludo, iudicatur fons Bernhemius constare aqua syluestri multa, alumine duplici, resolubili nimirum in liquorem, & calcinato, tandemque pauca melanteria. Hinc dulcedo est, hinc acrimonia, & terrestris natura. Gypsi aut margæ, aut marmoris cuiusdam tabe calcem factam putes. Sed mihi putrefacti aluminis est sedimentum. Inde albent aquæ post coctionem & fœdam dulcedinem sortiuntur. Alii examen instituunt etiam ex effectu in vsu vulgari aut medico. Sed hic mihi est obscuri[illegible]r. Tu bene feceris, si ingenio & experie[illegible] obseruata cõmunicaueris, quam-

quam hoc argumentum sine euidentia Physica valde sit dubium, nec statim, quod calculos è renibus deturbat, iudicari possit è chalcantho esse, cum idem præstet hydrargyro tincta, & nitro, & aliis nonnullis. De nostra Tubarina, si cognoscere libet, scito eam valentiorem esse Bernhemensi. Salis enim corpoream tincturam secū vehit excellentem deinde chalcanthi, aluminis, amianthique exhibet raměta, nec caret Chrysocollæ spiritib. & alumine calcinato multo, quo ego magis inclino, propter notas aluminis viui, q̃ ad eorum sententiā, qui gypsi, aut margæ ramenta esse asserunt. Aliquibus apparuit aliquid sulphuris, mihi vero nihil. Et fieri potest, vt diuersis tēporibus diuersę sese promant minerę. Nec abesse æris naturā censendum est, quādoquidē hui9 metalli olim fodinā ibi fuisse cōiicio, & lacus fundo exhibet ęruginis & Chrysocollæ virorē cæruleo mistū. Tofum concrescere circa canales deprehendas. Is est ex lentore & calce. Lapis post coctionē in cortinis cōcrescens ex eadē est minera, calcis scilicet aluminosæ. Itaq; & vulnerib9, vlcerib9, œdematis, &c. humore scatentib9 & putridis cōducit, sicut alumen vstū. Sed manū de tabula. Tu vale & viue. Pridie Cal. Septemb. Rotemb. ad Tub. Anno 1598.

FINIS LIBRI TERTII
Epist. Chymicarum.

DEO SOLI GLORIA